Sum Henrici Sartorij presbiteri Coloniensis

Pro Feuchtij postillae Epitome ...

...hyemali florenos duos cum dimidio

Pro Manuali hoc unum thalerum

— 12

MANVALE PAROCHORVM,

ET ALIORVM CVRAM ANIMARVM HABENTIVM, COMPLECTENS OMNIVM

SACRAMENTORVM RATIONEM, NATVRAM, ET ADMINIstrationem, cum instructione præsentibus temporibus conueniente, ac pleraq; alia Christianis hominibus necessaria, ex sacris Canonibus deprompta, & ad CONCILII TRIDENTINI decreta diligenter accommodata,

Pro Prouincia Salisburgensi.

I. CORINTH. IIII.

SIC nos existimet homo, vt ministros CHRISTI, & dispensatores mysteriorum DEI. Hîc iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur.



Cum gratia & priuilegio Cæsareæ Maiestatis.

INGOLSTADII,

Ex Officina Typographica DAVIDIS SARTORII.

Anno M. D. LXXXII.

AD PAROCHOS, ALIOSQVE ANIMARVM CVRAM HABENTES.

IOAN. BAPT. NING.

SI spinosus ager, sterilis, lapidosaq; tellus,
Cultura faciles dat liber iste modos.
Hinc sacri præcepta petens, artemq; coloni,
Impiger arua DEI *semine sancta colas.*
Si pecus infectum, teneris grauis herba capellis
Pharmaca, seu salices hæc monimenta ferunt.
Hinc herba, diris hinc sint medicamina morbis,
Cùm tinctas CHRISTI *sanguine pascis oues.*
Pharmaca si nouit, si pascua commoda Pastor,
Atque sua Agricola quicquid ab arte venit.
Nec spinosus ager, sterilis nec terra manebit,
Non pecus infectum, non grauis herba gregi.

OPERIS AD LECTOREM.

Sacra decent sacros, sapiuntq; profana profanũ,
Perlege, si sacer es, nil nisi sacra fero.

IOANNES IACOBVS, DEI GRATIA ARCHIEPISCOPVS ECCLESIÆ SALISBVRGENSIS, AC SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ LEGATVS, VNIVERSO Clero, populoque Prouinciæ ſuæ, ſalutem in Domino.

VOCATI A DIVINA CLEmentia ad hanc Paſtoralem curam Prouinciæ Salisburgenſis, vt muneri noſtro, quo indigni fungimur, ſatisfaceremus, quantum in nobis eſt, operæprecium facturi viſi ſumus, de Coëpiſcoporum noſtrorum quoque conſilio, ac voluntate, ſi Agendarium conficiendum curaremus, quod commune toti Prouinciæ eſſet, & in quo decreta ad Sacramẽtorum adminiſtrationem pertinentia insererentur, quæ Synodus Prouincialis habita Anno ſexageſimo nono ſtatuiſſet. Hoc onus P. Feliciano

 noſtro

noſtro mandare placuit, cuius certè induſtria, ac labore, breui effectum eſt, quod cupiebamus. At verò, cùm in publicanda Synodo Patribus conuocatis, Anno ſeptuageſimo tertio, is libellus rerum agẽdarum oblatus eſſet, viſum eſt, vt vnà cum conſtitutionibus Synodalibus, quæ eius mẽtionem multam facerent, & promulgaretur, & in lucem ederetur, atque, cùm res ita poſtularet, in duas partes diuidi curauimus; quarum vna pro Diœceſi noſtra contineret peculiares cæremonias, quibus in adminiſtratione Sacramentorum vti ſolemus; altera amplecteretur ea, quæ generalia ſunt. Eam verò partem, quæ peculiares cæremonias noſtras complectitur, ſub nomine Agendarij pro noſtra Diœceſi iam in lucem emiſimus, annoque ſuperiori ad finem menſis Martij, in publica Synodo Diœceſana, exemplaria impreſſa Parochis, aliisq́; animarum curam habentibus diſtribui curauimus, &, quæ iis cõtinentur, ſeriò obſeruari imperauimus. Quæ verò communia eſſe debent, ſub titulo Manualis Parochorum,

pro

pro tota Prouincia nunc in publicum damus; inter quæ, cùm in Sacramento pœnitentiæ, doctrina de censuris, & irregularitate, prolixior traderetur, propter huius temporis necessitatem, & Confessariorum, Officialium, seu Vicariorum generalium, atque aliorum iudicia Ecclesiastica exercentium cõmoditatem, opportunitatemque, seorsum emitti sub Enchiridij titulo mandauimus, quod itidem factum est: atque idipsum eo consilio, ne Parochi, aliiq; curam animarum habẽtes, voluminis magnitudine, ac varietate, in administratione Sacramentorum implicarentur, ac tantum oneris secum gestare grauarentur, si iustum opus excederet: In quo etiam Confessariis, Officialibus, seu Vicariis generalibus, ac reliquis omnibus iudicia Ecclesiastica exercentibus consultum voluimus, qui dum minori libello collecta separatim habebũt, quæ pro ipsis faciunt, faciliùs, commodiusque partes suas agere poterũt. Præcipimus itaque omnibus & singulis Prouinciæ nostræ Parochis, ac Sacerdotibus, præsertim

curam animarum habentibus, ſub pœna indignationis noſtræ, & Ordinariorum, & aliis pœnis nobis pro arbitrio reſeruatis, vt in adminiſtrandis Sacramentis, ac cæteris Eccleſiaſticis muneribus obeundis, ſe ad legem & normam huius libri conforment, nihilque faciant, quod non ſit huic inſtructioni conſentaneum. Similiter iniungimus non ſolùm Confeſſariis, verùm etiam Officialibus, ſeu Vicariis generalibus, aliisque iudicia Eccleſiaſtica exercentibus, eorum conſcientias ſuper hoc aggrauantes, vt diligenter & accuratè ea omnia euoluant, quæ in Enchiridio continentur, ne quid in abſoluendis pœnitentibus, aut in ſententiis ferendis, ac diiudicandis cauſis, contra æquitatē, & præter decus admittant. Quòd ſi commodè, facileque præſtare velint, quæ vtrobique docentur, ea ſtudiosè perlegant neceſſe eſt, ad quod eos in Domino hortamur; nam officio accommodatior lectio, & animarum ſaluti curandæ vtilior, haud reperiri poteſt; qua vna in re omnes noſtræ cogitationes, curæ, actionesque verſari, &
ſemper

ſemper fixæ eſſe debent, vt Deus Optimus, Maximus, tandem nos cum multis aliis inter æternæ vitæ gaudia felices ac beatos recipiat. Datum in noſtra ciuitate Salisburgenſi, die 14. Iunij, Anno à Chriſto nato

M. D. LXXVII.

REVERENDISSIMO
ET ILLVSTRISSIMO DOMINO, DOMINO IO. IACOBO ARCHIEPISCOPO, AC PRINCIPI SALISBVRGENSI, ET SANCTAE Sedis Apostolicæ Legato, Domino meo colendissimo

F. FELICIANVS NINGVARDA, D. THEOLOGVS.

REctißimè Christianus autor Seuerinus Boëtius Platonem commendauit, quòd dicere fuerit solitus, tum deniq; fore beatas Respublicas, si aut docti et sapientes eas regere cœpissent, aut qui regerent, omne suum studium in doctrina, ac sapientia collocâssent: id, quod ab Ethnicho Philosopho Christianißimè dictum, scriptumq; ad Ecclesiasticum regimen posse à nobis cõferri iure existimârim. Nam si qui præsunt, aut sancti, & eruditi sint, quales ferũtur fuisse Maiores nostri, ineunte re Christiana, ac consequentibus posteà seculis, aut in veris frugi & probatæ vitæ rationibus persequendis, fidelibusq; probè instituendis diligen-

tes

tes fuerint, necessariò consecuturum est, vt huiusmodi Ecclesias suas ita constitutas ac moderatas habituri sint, vt cum summo splendore nominis Christiani, sui commendatione non vulgari, ac multorum vtilitate maxima, & immortalis beatitudinis apud Deum Optimum Maximum, & apud homines, quibus salutem dederint, ad quosq́; virtutum, ac rerum præclarè gestarum fama peruenerit, sempiternæ memoriæ, ac gratæ recordationis præmia adepturi sint. Res magni sanè momenti est Principis integritas; at longè maioris ciuium recta institutio. Quare tua singularis laus est, Archipræsul vigilantißime, quòd simul, vt huiusce Prouinciæ gubernacula suscepisti, studiosè cœpisti cogitare, quibus modis muneri tuo, ac subditorum tuorum commodis, vtilitatibusq́; satisfacere posses. Nam cùm circum circa prospiceres, funestam hæresum pestem serpere, ne tam immanis, ac vorax bellua loca tua inuaderet & peruastaret, optimi Pastoris munere functurus, habuisti cum Coëpiscopis tuis, Patribus laudatißimis, præclaram Synodum, in qua multa & magna optimæ ac

mæ ac constantis erga Ecclesiam voluntatis tuæ indicia dedisti; vbi plura mihi dicenda putarem, nisi res ipsa id loqueretur, quandoquidem extat volumen impressum, & in manibus omnium habetur. Huc accedit, quòd primùm in reformando Clero cogitationẽ tuam posuisti, à quo cæterorum commoda vitæ spiritualis pendent, vt eo ad officium reuocato, de aliis meliorem spem omnes habeant. Et, vt hominibus testatum faceres aliquo monumẽtò, quanto flagrares desiderio tollendi abusus, qui Clero in rebus diuinis irrepsissent, mihi commiseras, vt è multis Agendarum (quod nomen communiter obtinuerunt) libris, qui singulis Ecclesiis proprij erant, vnum colligerem, quo toti Prouinciæ vtendum esset, vt sublata tanta varietate, quæ periculosa quandoque est, vna Ecclesiasticorum munerum curandorum ratio vbiq; conspiceretur. Quod ego quidem iam sedulò præstiteram, tanquàm is, cui nihil tam arduum, præsertim ad proximorum salutem, splendoremq; nominis tui, imperare vnquàm possis, quin id illicò perlubens sim facturus. Verùm cùm posteà suasu quo-

quorundam permittendum tibi nunc temporis, & concedendum videretur, vt in quibusque Ecclesiis, in peculiaribus cæremoniis sui ritus manerent; in communi verò Sacramentorum doctrina & instructione, eadem lex, eademq́ doctrina, idemq́ modus esset, mandâsti mihi denuò, vt, quæ in administrãdis Sacramẽtis communia omnibus præscripta fuerant, à cæteris separarem, & duos libros conficerem. Vt ergò satis mandato tuo fieret, sumpsi in manus Agendæ librum, qui pro tota Prouincia edendus erat, & excerpsi ea, quæ ad peculiares ritus Diœcesis tuæ in administrandis Sacramentis, processionibus, benedictionibus, & id genus Ecclesiasticis functionibus pertinere videbantur, atque Agendæ Diœcesanæ opusculum pro Ecclesia Metropolitana confeci, cuius iam impressi exempla hîc tuo iussu in Synodo Diœcesana nuper distributa, per totam Diœcesim in omnium manibus habentur: Cætera, quæ omnibus Ecclesiis communia arbitrabar, de doctrina & instructione Sacramentorum, deq́ aliis nonnullis rebus, ad Cleri officia ritè obeunda perti-

nentibus, nunc tandem in hoc volumen pro tota Prouincia, vt per tempus licuit, in ordinem digeßi. Verùm permolestè fero ipse, quòd id fieri maturiùs nequiuerit, necessarij otij penuria moram afferente; nam, cùm vix commemoratum Agendæ libellum perfecissem, iussus sum à S.mo *Domino nostro, Domino* GREGORIO *Pont. Max. (quod R.mam & Ill.mam D. T. non fugit) non solùm Sac. Cæs. M.tem & alios Principes, tàm Ecclesiasticos quàm seculares, & Capitula Ecclesiarum Cathedralium huius Prouinciæ cum literis, ac mandatis adire, verùm etiam Monasteria diuersorum ordinum multis in locis longè inter se dissitis visitare; in qua itinerum peragratione vltra biennium abfui, tot semper occupationibus præpeditus, vt vix respirandi tempus superesset aliquando. Intereà tamen, si quid ad relaxandum ex multis curis animum dabatur otij, id totum, vt horæ sæpe interruptæ ferebant, ad concinnandum præsens opusculum, quasi tumultuarium contuli, quo R.mæ & Ill.mæ D. T. ardēti zelo, & Prouinciæ ipsius exigenti neceßitati fieret satis. Itaque vnà*

mecum

mecum rediens, hoc ipsum opusculum (id Manuale Parochorum nuncupare libuit) perfectum & absolutum attuli, quod ita in lucem prodibit, vt Clerus totus ex eo pietatem, ac diligentiam tuam facilè agnoscat; nam vt eius honori & vtilitati consulas, nullum non moues lapidem, omnia tentas, semper es indefessus, vt meritò hæc Prouincia plurimùm tibi debitura sit, quoad rerum steterit natura. Hoc autem R.ma & Ill.ma D. T. compertum habeat, cùm pars, quæ est de censuris & irregularitate præsentium temporum necessitati accommodata, in iustum ferè volumen per se excresceret, eam dilatandi me, ac seorsum peculiari libello emittendi consilium, & Enchiridij nomine inscribendi cœpisse. Quod certè multorum quoque doctorum virorum iudicio, atque arbitrio accedente diligenter efficere conabor; non enim solùm curã animarum habẽtibus, sed longè magis iudicia etiã Ecclesiastica exercentibus, multum vtilitatis afferet. Proinde, cùm ob iam narratas causas imperfecta adhuc sit, & non adeò multa desint, quæ optatum finem morentur, consulo, vt ab impressione Ma-

ne Manualis supersedere velit, quoad Enchiridium etiam absoluatur, quod me breui facturum confido, nisi alia impedimenta intercedant; Cùm enim hæc duo opuscula inuicem cohæreant, & affinia sint, operæ quoq; precium est, vt in lucem simul prodeant. Quodreliquum est, me R.mæ D. T. officiosissimè cōmendo, & secundam valetudinem perfecta felicitate coniunctam precor ex animo. Datum Salisburgi, quarto Nonas Aprilis, Anno à partu Virginis

1577.

Ad Cle-

Ad Clerum Prouinciæ Salisburgensis

F. FELICIANVS NINGVARDA, D. THEOLOGVS.

POstquàm R.^mus atque Ill.^mus in Christo Pater ac Dominus, Dominus Ioannes Iacobus, Archiepiscopus & Princeps Salisburgensis, in hanc maximam, grauissimamq; curam à diuina prouidentia vocatus est, vt vniuersæ Prouinciæ Salisburgensi præsideret, sanè quam pro eo, ac debuit, diligēter, studioseq; elaborandum sibi putauit, vt industrij, vigilantisq; Pastoris officio ac nomine dignus & esse & dici posset. Nam, cùm mentis oculis, velut ex alta & eminenti quadam specula, hanc ampliss. Salisburgēsem Prouinciam intuitus & contemplatus esset, prospexissetq;, quantum humeris suis suscepisset onus, secum cogitare cœpit, id sustinere se cum laude non posse, nisi publicis rebus orthodoxæ religionis, inclinationibusq; temporum maturè consuleret, & summa vi, summoq; studio niteretur, vt, quæ superiorum temporum fuissent iniuria labefactata, ad splēdorem pristinum reuocarentur. Duo cernebat, quæ præsenti remedio maximè egerent: vnum, quòd singulę Ecclesiæ peculiarem, ac diuersum penè mo-

nè modum, ab ordine Metropolitanæ Sedis dis-
iunctum, nõ solùm in processionibus, benedictio-
nibus, canticis, verùm etiam in administrandis Sa-
cramentis, diuino officio recitando, & aliis rebus
Dist.11.c.de sacris contra vetustum Ecclesiæ morem haberent:
his. alterum, quod Agendarium (vt vocant) hoc est, li-
ber, in quo formulæ processionum, benedictionũ,
& ministrandorum Sacramentorum, idq; genus
aliarum rerum ad curam animarum spectantium
tradi debent, plerisq; in locis mutilum, truncum, &
mancum esset, & eo quisq; ita imperfectè quodam-
modò, ac superficie tenus vteretur. Quibus rebus
maturè succurrere, cùm vehementer cuperet, sen-
sim, & cum meditatione agendum, deq; suorum
etiam Coëpiscoporum, quibus cum iam conuen-
tus aliquot habuerat, voluntate, ac sententia curan-
dum inprimis existimauit, vt vnum idemq; Agen-
darium accommodatum, & illustratum ad tempo-
ris huius necessitatem, in vsum totius Prouinciæ
d c. de his. proponeretur, ita vt sacri Canones volunt, & huius
temporis necessitas postulat. Itaq; cùm ab omni-
bus constitutum & decretum esset, vt viro alicui
erudito atq; idoneo negotium hoc committere-
tur, qui certam, & quasi compendiariam rerum
agendarum formam colligeret, quam omnes Ec-
clesiarum huius Prouinciæ Rectores sequerentur,
Psalm.67. & essent velut fratres vnius moris in domo, in qua
1.Corint.14. omnia honestè, cõformiter, & secundùm ordinem
fieri

fieri debent: id quidem muneris omnium Patrum mandato mihi demãdatum eſt, qui, cùm me minùs aptum ad id præſtandum reputarē, ſtatim recuſare cœpi, deinde tamen ita iubente R.^mo & Ill.^mo Dño Metropolitano, cuius imperium detractare nõ debui, eam prouinciam licet moleſtã ſuſcepi, & cùm peraccuratè multa non Metropolitanæ ſolùm, ſed omnium etiam Prouinciæ Eccleſiarum, atq; aliarũ nonnullarũ Agendaria perlegiſſem, quanquam in proceſsionibus, ac cęremoniis ſolemnitatum, feſtorum, profeſtorumq́; dierum, vſum aliquē à noſtro differētem compereram: nihilominus tamen in adminiſtrandis Sacramentis (id quod præcipuè ſpectari oportet) in benedictionibus, in canticis ordinariis feſtorũ, & id genus aliis rebus, præſertim in decretis, ad Sacramentorum adminiſtrationē pertinentibus, quæ vbiq; eadem eſſe debent, nihil, aut parum certè diſcriminis intereſſe cognôrã. Quare omnia in multa diſperſa ad probatam, ac laudatam veteris Agendarij Salisburgenſis Eccleſię Metropolitanæ legē in pauca enucleatè redegeram, quãdoquidem ius ſummũ eſt, vt in Prouincia Metropolis Eccleſiaſticæ rationis ſit magiſtra, & quæ neceſſariò videbantur (pauca autem ea non erant) hac ætate noſtra aut adiungēda, aut immutanda, quoad eius fieri potuit, accommodaueram, pleraq; ex ſanctionibus ſacrorum Canonum petita, & ad leges Concilij Tridentini adaptata, adiunctis ad quodq;

d. e debit.

d. e debit.

Sacramentum cohortationibus admodũ piis, cùm Latina, tùm lingua vernacula, iisq́ suis locis probè compositis, & aliis huiusmodi rebus multis, quę ad curandam animarum salutem facere, ac pertinere poterant. Deinde quia non paucos (proh dolor) Sacerdotes curam animarum habentes reperiri animaduertebã, in doctrina & institutione Sacramentorum ita parum versatos, vt etiam si addiscere velint, nesciant tamen, quos nam autores habere ac consulere debeant: et quosdam intelligentes quidẽ, ac non mediocriter in legendo exercitatos, sed re nimis tenui, ita vt non possint tot scriptorum sacra opera coemere, quæ vsui suo satis forent, & vicissim alios, aut diuitiis abundantes, auaritia ita laborare, vt omnia malint, quàm vel obulum in libros è manibus sibi labi, aut ampla Bibliotheca, ac multis libris ornata instructos, officium suum flocci sic facere, vt per segnitiem ac socordiam, sacram lectionem negligant: Horum omnium rationib. vel potiùs vtilitati publicæ, vt consuleretur, quicquid ad perfectam, absolutamq́ Sacramentorum doctrinã & instructionem spectaret, subieceram, tamq́ fusè ac copiosè libellũ ipsum auxeram, atq́ ornaueram, vt nihil superuacaneũ: ac tam breuiter & succinctè omnia tractauerã, necessarium nihil vt prætermissum esset, eo consilio, vt omnes tùm saltem ea percurrere deberent, cùm in manus ad ministrãda Sacramenta Agendarij librum sumpsissent. Huc ex sa-

eris Canonibus accesserant decreta, ad normam Concilij Tridentini accommodata, in ministrandis Sacramentis seruãda & custodienda, quę cùm alioqui Synodalibus constitutionibus interseri soleant, in Agendario tamen digerere placuit, Parochis, & curam animarum habentibus, vt ad manus essent: Quod meum cõsilium in Synodo Prouinciali, Salisburgi habita Anno sexagesimo nono, supra millesimum ac quingentesimum, probatum Patribus omnibus est, vt in cõstitutione secunda, cap. 6. & in aliis locis videre licet, vbi de Sacramẽtis agitur, cùm multam ibi mentionem hisce de rebus facere contingat, ac se vbiq; ad Agendarium referant. Id mecum Romam missus cum mandatis impetrandæ approbationis Apostolicæ eorum, quæ à Patribus sapienter salubriterq; pro hac Prouincia decreta essent, vnà cum Synodo detuleram: nam, cùm eius in cõstitutionibus Prouinciæ frequens mentio fieret, existimâram fore, vt esset ostendendum, quemadmodum posteà factum oportuit. Cùm verò ex vrbe reuersus, in publico Prouinciæ cõuentu præteriti anni septuagesimi tertij, cùm decreta Synodalia sanctæ Sedis autoritate iam confirmata, tùm Agendarium hoc iisdem iudiciis approbatum, vti ex literis Apostolicis, ad R.mum & Ill.mum Dominũ Metropolitanum datis, videre licet, Patribus obtulissem, R.morum Episcoporum per occupationes absentium, ac Capitulorum Legatis commissum

 est,

eſt, vt perlegerent, ac referrēt, quid videretur. Quibus viſum nonnullis de cauſis eſt, vt in præſentia, quæ rationem adminiſtrandi Sacramenta, proceſſionum, benedictionum, idq; genus aliorum rituum, & cæremoniarum cuiq; Diœceſi peculiarium cōtinent, ſeorſum pro Diœceſi Salisburgenſi æderentur: & quæ de doctrina, & inſtructione Sacramētorum eſſent, etiam ſeorſum communia toti Prouinciæ emitterentur. Itaq; ſeparatim ædita ea parte, quæ eſt de proceſſionibus, ſtationibus, benedictionibus, ac peculiaribus cæremoniis in adminiſtratione Sacramentorum pro Eccleſia Metropolitana, ſub titulo libri Agendorum, hanc, qua communis doctrina & inſtructio adminiſtrationis Sacramentorum traditur, hoc opuſculo ſum complexus in communem vſum Prouinciæ, quod Manuale Parochorum appellare placuit. Vbi monendum illud eſt, quòd cùm commemorata Synodus Prouincialis ſeſe ad Agendarium refert, non tam ſupradictus Agendarij liber, quàm is præcipuè ſit intelligendus: cùm enim vterq; adhuc coniunctus vno eſſet volumine, fuit ille propter hunc quoque à ſancta Sede Apoſtolica approbatus. Habetis ergò hîc librum doctrinæ Sacramentorum, & inſtructionis adminiſtrādi ea, perfectum, ac magna induſtria, & diligentia, quaſi retextum, & elaboratum, non tam Parochis, & animarum curam habentibus, quàm etiam aliis Sacerdotibus, ac Cle-

ricis neceſſarium & vtilem: in quo primùm explicantur vniuerſim, Sacramenti definitio, origo, inſtitutio, vis, cauſæ, effectus, vtilitates: deinde ſigillatim vniuscuiuſq; natura, dignitas, efficacia, poteſtas, fructus, efficiens, materia, forma, & finis. Vbi quoque autoritates aliquot in medium afferuntur ex ſacris literis petitæ, quibus ſingula Sacramenta diuinitus inſtituta, & ad humanam ſalutem ordinata perhibentur. Tum, adiectis opportunis & neceſſariis decretis ex ſacris Canonibus, ac Tridentino Concilio, adminiſtrationis inſtructio copioſa ſatis cuiq; Sacramento, piis cohortationibus adhibitis, ſubiungitur: id quod maximè fieri debuit in duobus ſaluberrimis Sacramentis Pœnitentiæ, ac ſacroſanctæ Euchariſtiæ: quia Sacerdotes noſtri temporis his in rebus potiſſimùm inſtitui oportet, quibus inſtructi vt ſint, propter tempora maximè opus eſt. Huc acceſſerunt quædam precationes, & viſendis ægrotis, & ſepeliendis mortuis, etiam paruulis in Domino defunctis, accommodatæ, cum iuſtis, ac cæremoniis exequiarum. Poſtremò traditur ſeries certo ordine conſtituta dierum feſtorum, ac ieiuniorum, quæ Eccleſia inſtituit, vt à Chriſtianis perſanctè obſeruentur & cuſtodiantur. Quæ omnia clariùs accipietis ex ſequenti Indice, quàm vt hîc ſingula potuerint recenſeri. Verùm cùm in Sacramento Pœnitentiæ magna prolixitas cerneretur, propter tractatum

excommunicationum, cùm Papalium tùm Episcopalium, & aliarum censurarum, atque irregularitatis, quæ ad temporis huius necessitatem accõmodatè longiori explicatione opus habuerunt, quasi necessariò visum, ad vitandam voluminis magnitudinem, vt hæc seorsum peculiari libello æderentur, quod equidem factum est sub titulo Enchiridij de censuris, atque irregularitate: in quo tùm Confessarij, tùm etiam Officiales, seu Vicarij generales & alij Iudices Ecclesiastici, sine magno labore, & longa ac perdifficili multorum librorum lectione, ea omnia in promptu habebunt, quæ ipsorum partes postulant, ac diligentia exigit. Quod reliquum est, diuinum æternumq; Christi numen inuocemus, supplicesq; oremus, vt pro sua erga genus Christianum clementia & charitate hanc mentem dare omnib' velit, maximè verò iis, qui Ecclesiis præsunt, vt nullos sibi labores tàm iucũdos atq; vtiles arbitrẽtur, quàm quos pro salute publica susceperint, quorum vtilitatem sic tueantur, vt, quicquid doceant, agantq;, ad eam referant, obliti cõmodorum propriorum: nam procuratio Ecclesiæ ad vtilitatem eorum, qui commissi sunt, non ad eorum, quibus commissa est, gerenda est. Agite ergò vos, agite, quorum fidei, & curæ, non arces, non castra, non ciuitates, non manufacta, & interitura regna, sed animæ à Deo immortali ad suam similitudinem conditæ, ac perpetuum æuum victuræ,

atq;

atq; non corruptibilibus, auro, vel argento, verùm precioso sanguine Agni immaculati Christi redemptæ, commissæ sunt, ac concreditæ: cogitate, obsecro, in quo gradu sitis, quo loco positi, quantum onus sustineatis: Vos enim estis sal terræ, discite sapientiam Christianam, & eam populos vestros docete: Sapienter regite subditos vestros, terram sapienter iudicate: Vos estis lux mundi, sic luceat lux vestra coram subditis vestris, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est: præferte eis faces sanæ doctrinæ, vitæq; integritatis, vt, qui vos præeuntes subsequuntur, verbo vestro & opere ædificati ac cõfirmati, ex huius mortalis vitæ obscuro exilio, ac misero naufragio, post longam tandem peregrinationem & iactationem speratos, optatosq; æternæ patriæ fines, & portum immortalis beatitudinis pertingãt. Hoc vestrum est officium, hoc proprium munus, vt Christi vices in terris agentes, Christo ad salutem animarum cooperemini, ab eo si discedatis, Christus à vobis discedet, vos perdet, ac diris, sempiternisq; inferorum cruciatibus meritò adiudicabit. Ecclesiarum Pastores vigilate, ac greges vestros custodite, ne vos & oues vestras lupi rapaces circumueniant, ac deuorent. Agricolæ Domini seminate, vt colligatis centuplum in die messis, vineas vestras excolite, vt in vindemijs multum fructum referatis, tremendum CHRISTI iudi-

Matth. 5.

Matth. 5.

iudicium erit dies messis, idem erit vindemiarum tempus, in eo vos non vestra tantùm, sed aliorum etiam, quorum salus, vita, & recta institutio à vestro regimine pendet, dicta factaq; omnia præstare oportebit, hoc vnum vobis sæpe in mentem veniat, hoc dies noctesq; in auribus vestris resonet, hoc semper ob oculos versetur, hoc vestræ actiones omnes respiciant, si & subditorum vestrorũ, & vestra vobis chara salus est, sicq; æternæ patriæ (vt debetis) desiderio tenemini, cuius nos omnes Christus pro sua misericordia compotes facere dignetur. Bene valete, ac vestri officij memores ita semper viuite, vt non tam vestræ, quàm plurimorum etiam aliorum saluti, ac beatitudini prodesse possitis, quod Deus Opt. Max. faxit.

INDEX MATERIARVM, CAPITVLORVM, ET EORVM, QVÆ IN MARGINE PER ORDINEM ANNOTANTVR.

Homo

In ne-

Decreta

Decreta à Parochis in Baptismi administratione seruanda. Cap. 4. pag. 57

Nomi-

De de-

Quili-

Sacer-

Casus octo, quibus cõfessio inualida redditur,

Aperto

Bened.

Anno-

De ex-

Erudiendos esse Christianos ad celebra-

Aegrotus

Quid

Infirmi

Quili-

De ma-

Confessio

Quid

Quid

DE SACRAMENTIS
PROEMIVM.

Lib.19. c.2. in fi. cont. Fauſt.

Homines ſine Sacramẽtis coadunari non poſſunt.

PRæclarè dictum eſt à B. Auguſtino, in nullum religionis nomen, ſeu verum, ſeu falſum, coadunari homines poſſe, niſi aliquo ſignaculorum, ſeu Sacramentorum viſibilium conſortio colligantur. Nam in omni religione extiterũt ſemper quædam velut ſymbola, & externæ notæ, quibus homines, qui eundem Deum colerent, mutuò agnoſcerentur. Vt enim idolorum cultores, quorum vana ſuperſtitio in magna ſignorum eiuſcemodi varietate verſata eſt, miſſos faciamus; in priſcis quidem naturæ legibus tria (ut Hugo) Sacramenta obſeruabantur, oblationes, decimæ, & ſacrificia: at in veteri teſtamento multò plura: Circumciſio, eſus Agni Paſchalis, Purificatio à quibuſdam ſordibus externis, velut quædam à peccatis expiatio, conſecratio ſacerdotum, manuum, pedumque ablutio, raſio pilorum, victimarum oblatio, eſus panum propoſitionis, atq; alia eiuſmodi multa, quæ ad vſus ſacerdotum erant conſtituta. Proinde nobis etiam, qui in vnum omnium perfectiſsimæ religionis corpus (quod eſt Chriſti) coadunati ſumus: in vno enim ſpiritu (inquit Paulus) omnes nos in vnum corpus baptizati ſumus. Et, vos eſtis corpus Chriſti, & membra de membro, eiuſdem modi Chriſtianæ profeſſionis ſignacula, hoc eſt, Chriſti Sacramenta, ad ſalutem conſequendam neceſſariò extare debuerunt, vt nos mutuò agnoſcamus, & in vnione, ac virtutibus omnibus fructuosè nos exerceamus, atq; ita vnius religionis neceſ-

Omnibus temporibus fuerunt Sacramenta

Hug. de S. Vict. lib. 1. de Sac. par. 2. c. 3.

Ex prima ſecundæ q. 102. ar. 5. in corp.

Sacramẽta legis naturæ ſecundùm Hug. fuerũt tria, ſed veteris legis multa plura.

1. Cor. 12.

1. Cor. 12.

Absq; Sacramentis nulla cõstat religio.

ſariis quaſi nexibus & fœderibus inter nos inuicem maneamus colligati: alioquin ſine Sacramentis nec conſtare, nec diſcerni ſatis vlla religio poteſt. Hæc illa ſunt, quæ vtriusq; legis antiquę, cùm naturæ, tùm Hebræorũ myſteriis omnibus longè præſtant, & in quibus tuendis, conſeruandiſque multũ operæ, ac laboris ſanctã Chriſti Eccleſiam poſuiſse cernimus. Sacramenta quippe veteris legis (vt ex ſacris literis rectè colligit D. Auguſtinus) ſunt ablata, quia impleta, & alia inſtituta ſunt, virtute maiora, vtilitate meliora, numero pauciora, intellectu auguſtiora, obſeruatione faciliora, ſignificatione præſtantiora. Hæc profectò hominum inuenta nõ ſunt, aut meræ cærimonię, quæ rebus externis tantùm, atq; corporeis cõtineantur; ſed certa & efficacia ſunt diuinę gratiæ ſigna, ac beatitudinis noſtrę pignora firmiſsima, quibus velut aptiſsimis inſtrumentis Deus Opt: Max. credentium animabus ſalutem reſtituit, ſi modò ijs dignè vtamur Sacramentis: Sunt etiam (& hoc potiſsimum) ſalutaria in noua lege remedia pro peccantibus inuẽta, à Chriſto Domino, ac ſeruatore noſtro, nobis è cœlo delata, à beatis Apoſtolis diuulgata, à ſacris Conciliis explicata, laudabili Eccleſiæ Catholicæ conſuetudine corroborata, ac per totum denique Chriſtianorum orbem ab Eccleſiæ primordiis ad hanc ætatem usq; à fidelibus Chriſtianis ipſo vſu retenta, ſum̃a veneratione (vt par erat) habita, et quoad hæc ipſa rerum natura ſteterit, perpetuò duratura. Sunt ea poſtremò, per quæ vis ac merita mortis Ieſu Chriſti Domini noſtri nobis fidelibus adhibentur: animorũ morbi graues ac mortiferi, hoc eſt, peccata & vitia curantur: vna excellentiſsima virtus iuſtitia diuinitus quotidie mortalibus aut defertur, aut delata firmatur, augeturque aut etiam amiſſa recuperatur. His verò Sacramentis externi ritus adiunguntur

Sacramẽta Veteris legis ſunt impleta, & alia inſtituta.

Cont. Fau. lib. 19. c. 13. to. 6.

Ex D. Amb. c. 4. li. 4. de Sacr.

Per Sacramenta, peccata & vitia curantur.

guntur, benedictiones, preces, cærimoniæ, (vt Apostolicæ traditiones, Canonesq; sacri ac leges statuêre) quo Sacramentorum administratio religiosiùs exerceatur, maior vtilitatis fructus astantibus adferatur: dum Symbolis quibusdam admonentur de mysteriis, quæ illìc plurima ac maxima cernũtur: cultus denique internus, qui fide potissimùm, spe, ac charitate cõtinetur, per externum in mentibus credentium indies magis augeatur. Quæ verò, & quid sint ista Sacramenta, quæ materia, quæ forma, qui ministri, qui effectus, & quomodo administranda, cùm in genere, tùm etiam in specie ad singula descendẽdo fusè explanabitur, vbi etiam sacrorum librorum autoritatibus comprobabuntur. In primis autem, post communem ipsorum descriptionem, planè docebitur eorum origo, efficacia, necessitas, numerus ex sacra scriptura petitus, & quomodo à legis naturalis, veterisque testamenti Sacramentis figurata, ac significata fuerint, aliaque id genus multa suis locis ordine declarabuntur, vt ex lectione ipsa perspicietur.

DE DEFINITIONE SACRAmenti in communi.

CAPVT PRIMVM.

SAcramentum, si vim nominis inspiciamus, idem est, quod sacrum, siue illud contineat, siue efficiat, siue significet, siue etiam quouis modo ad illud ordinetur. Quod si vsum vocabuli consideremus, variæ sunt ipsius significationes: aliquando enim pro sacro arcano accipitur, vt Iob. 12. Sacramentum Regis abscondere bonum *Variæ acceptiones Vocabuli Sacramẽti.*

est; quandoque pro iuramento sumitur: legimus enim in sacris Canonibus periuros ad Sacramentum denuò non esse admittẽdos: quippe qui semel fidem fallentes, deinceps etiam adhibito iuramento fide indigni existimantur. Vsitatissima demùm significatione Sacramentum dicitur, quod rem sacram significat, qua tantum acceptione de Sacramento dicturi sumus. Definitur itaque Sacramentum hoc modo, est signum rei sacræ. est autem signum, quod præter id, quod sensibus ingerit, in alterius cognitionem ducit. Quædam verò significant vt voces, alia vt res: atq; hæc rursus alia naturalia signa dicuntur, vt vestigium dicitur pedis signum, & alia ad placitum, quorum aliqua ex sola institutione, & quædam etiam ex rerum similitudine ad significandum accommodata sunt: quemadmodum ablutio aquæ in baptismo spiritualem animæ ablutionem apertè significat. Est igitur Sacramentum signum ad placitum ex diuina institutione pro rerum similitudine ad significandum accommodatum. Neque tamen Sacramẽtum existimari debet, quod rem sacram quouis modo significat, sed id tantummodò, quod ea ratione rem sacrã innuit, qua homines iustificat. In iustificatiõe autem nostra tria consideranda occurrunt, Christi passio vt efficiens causa, gratia & iustitia ipsa vt forma quædam inexistens, ac beatitudo vt eiusdem finis & absoluta perfectio. Non igitur vnius duntaxat rei sacræ signum est Sacramentum, sed horũ omnium, quæ iam dicta sunt, hac tamen differentia, (vt pulchrè ait S. Thom.) quòd sit passionis Christi tanquam iam præteritæ comemoratiuum; gratiæ verò, quæ in Sacramentorum collatione infunditur, demonstratiuum; gloriæ denique, vitæque æternæ pòst conferendæ signum prognosticum. Porrò cùm mortaliũ infirmitas Sacramentis omni æta-

Sacramentum quid?

22 q. 4. c. qui Sacramento & q. 5. c. paruuli.

D. Aug. X. de Trinit. c. 5.

Ex S. Tho. 3. p. q. 60. ar. 2.

3. p. q. 60. ar. 3.

te æquè indiguerit, nec fuerit manus Domini aliquando abbreuiata, omni quoque ætate Sacramenta à Deo hominibus data fuisse necesse est, ita tamen vt pro temporum diuersitate singulis iuxta ordinem diuinæ prouidentiæ maximè conueniret. Quantum autem ad præsens negotium spectat, tria sanctæ Dei Ecclesiæ tempora secernenda iudicamus, vnum legis naturę, quo interno potiùs instinctu, quàm scriptis legibus homines à Deo in finem ab ipso præscriptum dirigebantur: alterum legis scriptæ, quam & Mosaicam seu veterem appellant: ac tertium legis nouæ à Christo in terris agente traditæ. Habuit & quælibet ætas sua Sacramenta, quibus omnibus iam posita & explicata Sacramenti definitio ęquè conuenit. Verùm cùm pręcipuè de Sacramentis nouæ legis agere in animo sit, aliorum consideratione seposita, quid sit Sacramentum nouæ legis nunc videamus.

Sacramēta ōnibus hominibus omni ætate fuisse necessaria.

Quælibet ætas sua habuit Sacramenta.

DE DEFINITIONE SACRAmenti nouæ legis.

CAPVT SECVNDVM.

QVò lex est perfectior, eò etiam quæ legis sunt perfectiora existimari debent. Cùm ergò lex noua cæteris præcellat, necesse est nouæ legis Sacramenta cæterarum legum Sacramentis longè antecellere. Non enim vt Sacramenta legum, quæ ante Christum fuerunt, gratiam tantùm significant, sed etiam efficiunt: alioquin quod Paulus Apostolus ait, de Sacramentis veteris legis, quæ nouæ fuit veluti vmbra quædam & figura, nostra quoq;

Sacramēta nouæ legis nō tantùm significant gratiā, sed etiam efficiunt.

Ad Gal. c. 4.

infirma & egena elementa meritò dici possent, quod est absurdissimum, eodem Apostolo dicente; Cùm benignitas & humanitas apparuit Saluatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ, quę fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam saluos nos fecit, per lauacrũ regenerationis & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abundè per Iesum Christũ Dominum nostrum: & alibi; Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ. Saluos autem fieri & mundari per Baptismum (de Baptismi enim Sacramẽto fit sermo) nihil sanè est aliud, quàm Baptismum esse veluti instrumentum, quo Deus Opt. Max. deleto in nobis peccato gratiam efficit. Hinc illud Augustini super Ioan. Aqua, inquit, baptismi corpus tangit, & cor abluit. Quibus tandem sacrosancti Concilij Tridentini decretum accedit. Si quis dixerit Sacramenta nouæ legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantùm externa sint acceptæ per fidem gratiæ, anathema sit. Sacramenta igitur nouæ legis causæ sunt gratiæ, quam significant. Quoniam autem gratia res quædam spiritualis est, ex rerũ similitudine, aut ex virtute naturali eorum, quæ in Sacramentis assumuntur, produci nullo modo potest; ex quo fit manifestum, Sacramenta per modum causæ principalis gratiam non efficere; efficiunt autem quatenus instrumenta quædam à Deo Opt. Max: ad hoc ipsum instituta atq; mota. Dicuntur prętereа nouæ legis Sacramenta gratiã continere, non quasi gratia ipsa Sacramentis inexistat, sed quomodo res significata in signo, & effectus in causa instrumentali esse dicitur. Atq; ex his facilè colligi potest definitio Sacramenti nouæ legis; est enim signum rei sacræ, gratiam, quam

Ad Tit. c. 3.

Ad Ephes. c. 5.

Baptismus in nobis deleto peccato efficit gratiam.

Sess. 7. can. 6.

quam significat, continens, ipsamque efficiens. Atcùm in gratia, quæ est effectus Sacramenti, ipsisque Sacramentis alia atq; alia consideratio fieri possit, hinc est, quòd ab aliis Doctoribus aliæ quoq; Sacramenti definitiones, aliç, inquam, vocum potiùs, quàm rerum mutatione tradantur. Diuus Augustinus considerans diuinam virtutem & non vim naturalem Sacramentorum gratiam producere; ipsam verò gratiam esse æternæ salutis pignus, gratiæ denique productionem non cadere sub aspectum, rerum tamen visibilium adminiculo mentibus ingeri ita definiuit. Sacramentum est, in quo sub tegumento rerum visibilium diuina virtus secretiùs operatur salutem. Hugo ad materiam Sacramentorum respiciens, quæ alioquin corpus quoddam est signi rationem ad placitum habens, & ex rerũ similitudine ad significandum accommodata hanc nobis definitionem tradidit; Sacramentum est corporale vel materiale elementum, extrinsecus oculis suppositum, ex institutione signans, ex similitudine repræsentans, & ex sanctificatione inuisibilem gratiam continens. Similem etiam definitionem posuit Magister sententiarum, causæ & effectus contrarias qualitates tangens, quandam tamen vtriusque similitudinem innuens; Est, inquit, Sacramentum inuisibilis gratiæ, visibilis forma, vt ipsius similitudinem gerat, & causa existat. S. Thomas animaduertens Sacramentum non ad modum causç principalis, sed instrumentalis tantummodò gratiam efficere, aliam definitionem posteris reliquit. Sacramentum, ait, nouæ legis est causa instrumentalis gratiæ. Ex Conciliis denique Florentino, Tridentino, ac diuersorum Patrum dictis hæc Sacramenti absoluta definitio, comprehendens etiam alias iam dictas, colligitur: Sacramentum est diuinæ & inuisibilis gratiæ externum & visi-

[Left margin: De Ciuit. Dei lib. 3. c. 14. — Hugo de S. Vict. li. 1. de Sacr. par. 9. c. 2. sed. medium. — 4. dist. p. Quid sit Sacramentũ? — 3. p. q. 69. ar. 3. c. & ar. 4. in corp. — Ex Con. Flor. de Sac. & Cõ. Trid. ses. 7. & Ambros. lib. 4. de Sacr. c. 4. & Aug. li. 3. de doct. Chri.]

[Right margin: *Defin. Sacramẽti D. Aug.* — *Definitio Sacramẽti D. Hugonis.* — *Defi. Sacramenti Magistri sent.* — *Defi. Sacramenti D. Tho. Aq.* — *Defi. Sacramenti ex diuersis excerpta.*]

visibile signum à Christo institutum, vt per id quisq; Dei gratiam accipiat, atq; sanctificationem. c. 9 atque Bern. Ser de Cœna Domini.

DE EORVNDEM NOVÆ LEgis Sacramentorum origine, efficacia, ac necessitate.

CAPVT TERTIVM.

Sacramentorũ origo. Nemo est, nisi omnis eruditionis ignarus, sanæque mentis expers sit, qui hæc Sacramenta à Deo instituta, nobisque per Christum, verum Deum ac hominem, data fuisse non fateatur. Is enim instituere quidpiam dicitur, à quo res vim suam omnem, atq; virtutem habet, vt constat de legumlatoribus, à quibus leges neruos suos accepêre. At vis ac robur omne Sacramentorum à Deo fluit, à Deo itaque Sacramenta originem habere necesse est. *Sacramentorũ vis ac robur à Deo* Ex D. Tho. 3. q. 64. ar. 2. o.

Sacramentorum efficacia. Peculiarem verò efficaciam illa & vim habent ex sanctissima Christi morte, cuius fructus ex Sacramentorum sumptione in nobis apertè cernuntur: huic rei vel illud argumento potest esse, quòd ex Christi cruci iam affixi latere fons abundantissimus aquæ, ac sanguinis effluxit; quorum vnum ad Baptismum spectat, ad Eucharistiam alterum pertinet: hæc duo siquidem potissima Sacramenta sunt. Quo fit vt rectissimè dixerit glossa in illud D. Pauli ad Rom. 5. in similitudinem præuaricationis Adæ, &c. Ex latere Christi dormientis in cruce fluxerunt Sacramenta, per quæ saluata est Ecclesia. *Sacramentorũ necessitas.* Neque vrget, quòd hæ res infimæ, ac visibiles nõ videantur ad diuinam nobis omnipotentiam declarandam necessariæ; quando quidem non Deo illas ad conferenda,

ferenda, ſed nobis ad accipienda beneficia, ob naturæ noſtræ imbecillitatem, opus eſſe fatemur: cùm Deus, qui virtutem ſuam, qua omnia poteſt, Sacramentis non alligauit, absq; hiſce rebus, quæ ſub aſpectum veniunt, ea, quæ per Sacramenta conſequimur, elargiri queat. Proinde hominum gratia factũ eſt, vt clementiſsimus Deus ſapientiſsimè ita decerneret ac ſanciret. Sunt autem hæc Sacramenta ad ſalutem humanam neceſsaria tres ob cauſas; quarum prima ex conditione humanæ naturæ petitur, cui innatum eſt, vt rebus corporeis & aſpectabilibus, ad earum, quę oculorum aciem fugiunt, contemplationẽ, intelligentiam, cognitionemque deducatur: diuinæ verò prouidentiæ eſt, ita rebus ſingulis conſulere, vt illarum natura poſtulat. Altera eſt ex ſtatu hominis, qui peccando ſe per affectum, ac voluntatem rebus corporeis tàm humilibus ac contemptis ſubiicit. Quemadmodum enim peccatum in rebus corporeis poſitum eſt, quo quaſi graui quodam vulnere confectus homo, in diſcrimen ſalutis venit, ac ſe perpetuæ addixit damnationi: ita per quædam corporea ſigna, medicina ſpiritualis adhibenda homini fuit, vt qualis morbus, talis eſſet curatio. Tertia ducitur ex ſtudio actionis humanæ, quæ in rebus corporeis potiſsimùm verſatur: nam difficile ac durum homini ne ſit, ſi actione corporea omnino ſpolietur, proponuntur illi in Sacramentis corporei actus, quibus vtiliter exerceatur ad vitandas cùm ſuperſtitiones, quæ in Dæmonũ cultu conſiſtunt, tùm actiones omnes quomodocunq; noxias, quæ in peccatis poſitæ ſunt. Quibus omnibus à ſacroſancta Synodo Tridentina conſideratis atq; perſpectis, hunc tradidit Canonem: Si quis dixerit (inquit) Sacramenta nouæ legis non eſſe ad ſalutem neceſſaria, ſed ſuperflua; &

Ex D. Tho. 3. p. q. 61. ar. 1. in cor.

Sacramẽta ſunt, tres ob cauſas neceſſaria ad ſalutem.

Prima.

Secunda.

Tertia.

Seſſ. 7. cã. 4. De Sacramentis in comũni.

ſine eis, aut eorũ voto per ſolam fidem homines à Deo gratiam iuſtificationis adipiſci; licet omnia ſingulis neceſſaria non ſint: anathema ſit.

SACRAMENTA ESSE TANtùm ſeptem non plura, nec pauciora.

CAPVT QVARTVM.

Sacramẽta à Christo instituta.

CVM Sacramenta (vt ſuperiùs oſtenſum eſt) à Chriſto ſaluatore noſtro ſint nobis potiſsimùm in remedium peccatorum noſtrorum tradita, vt nempe à peccatis ac pœnis

Cur Sacramẽta inter ſe differant.

ipſis reſpõdentib9 liberemur; peccata verò ac pœnæ genere ipſo inter ſe differant, ex eo quòd varię ſunt ſpecies culparũ, ac varia pœnarum genera, multiplicesque hominum ſtatus, ſtudia, atq; propenſiones: idcirco hæc ipſa etiam augeri oportuit Sacramenta, vt ſingula ſingulis vi quadam peculiari reſponderent, ac morborum varietati diuerſa quoq; afferretur curatio. Quoniã verò eiuſcemodi pœnæ ob varia peccata contractæ, in ſeptem præcipua capita, ſpecie inter ſe diſcrepantia concluduntur (ſuntque æternæ vitæ priuatio, imbecillitas animi, fames vitæ ſpiritualis, animæ interitus, peccatorum reliquiæ, corporiſque inualetudo, confuſio, & libido, humaniq́ue generis vniuerſi interitus) hinc rectè factum eſt, vt ſeptem quoq; Sacramenta, non plura, neq; pauciora conſtituerentur, quibus tanquã medicamentis pœnæ illæ ſeptem tolli poſſent, hoc eſt, Baptiſmus, Confirmatio, Pœnitentia, Euchariſtia, Ordo,

E. D. Tho. 3 p. q. 65. ar. 1. ſecundũ.

do, Extrema vnctio, & Matrimonium. Nam Baptiſmus *Effectus omniũ Sacramentorũ aduerſus pœnas.*
Mar. 16. vitæ ſpiritualis priuationem tollit, ſecundũ illud; Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit; et, Niſi quis
Ioan. 3. renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei. Confirmatio animi imbecillitatem expellit, quæ in infantibus ac pueris eſt, dum Spiritum ſanctum illis ad robur elargitur: ita enim inquit
Luc. vltimo. Chriſtus ad Apoſtolos iam baptizatos; Sedete in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto. Pœnitentia animas per peccata poſt Baptiſmum commiſſa mortuas ad vitam reuocat: Proinde gaudium erit in Cœlo
Luc. 15. ſuper vno peccatore pœnitentiam agente. Euchariſtia fames remouetur, & vita ſpiritualis ſuſtentatur, dicente Domino; Caro enim mea verè eſt cibus, & ſanguis
Ioan. 6. meus verè eſt potus, qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam. Extrema vnctio reliquias peccatorum, quæ aut ex negligentia, aut ex ignorantia non fuerint per pœnitentiam omnino ſublata, penitus diſſipat: vt eſt apud D. Iacobum;
Iac. 5. Si in peccatis ſit, dimittentur ei; hominemque ad ſempiternam beatitudinem paratiſſimum reddit, ac priſtinam illi quandoq; ſanitatẽ reſtituit, teſte Euangeliſta;
Mar. 6. Vngebant (Apoſtoli) oleo multos ægrotos, & ſanabantur. Ordine, multitudinis diſſolutioni, quæ alioquin in rerum præcipuarum adminiſtratione contingeret, oc-
1. Cor. 14. curritur: non enim eſt diſſenſionis Deus, ſed pacis:
Ibidem. Hinc Apoſtolus, omnia autem honeſtè & ſecundùm ordinem fiant in vobis. Matrimonium effrenatas libidines cõpeſcit: propterea ſcriptum reliquit Apoſtolus;
1. Cor. 7. nubere meliùs eſſe quàm vri: humanum quoq; genus conſeruat; quod, niſi ſobolem homines propagarent, intereat neceſſe eſt: Ideo dixit Deus: Relinquet homo

patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ. Item; crescite & multiplicamini, & replete terram: Matrimonium denique nouæ legis Sacramentum singularem gratiam confert ad actus coniugij sanctè exercendos. Hinc ait D. Thomas; Patet Sacramentorum numerus, secundùm quod ordinantur contra defectum peccati. Nam Baptismus ordinatur contra carentiam vitæ spiritualis; Confirmatio contra debilitatem animi, quæ in nuper natis inuenitur; Eucharistia contra infirmitatem animi ad peccandum: Pœnitentia contra actuale peccatum post Baptismum commissum: Extrema vnctio contra reliquias peccatorum, quæ scilicet non sunt sufficienter per pœnitentiam sublatæ, aut ex negligentia, aut ex ignorantia: Ordo contra dissolutionem multitudinis: Matrimonium in remedium contra concupiscentiam personalem, & contra defectũ multitudiuis, qui per mortem accidit.

Gen. 2. & Mar. 10. Gen. 9. 3. p. q. 65. at. 1. in corp. circa fi.

Septenarij numeri Sacramẽtorũ probatio.

Cæterùm hoc ipsum, videlicet non esse plura, nec pauciora Sacramenta, quàm septem, comprobatur etiam ex conformitate, & quadam similitudine, quę est inter vitam nostram spiritualem, ac corporalem, ad conseruandum & perficiendum hominem renatum in vita ipsa spirituali. Hinc ait D. Thomas: Sacramenta Ecclesiæ ordinantur ad duo, scilicet ad perficiendum hominem in his, quæ pertinent ad cultũ Dei secundùm religionem Christianæ vitæ, & in remedium contra defectum peccati. Vtroque autem modo conuenienter ponunter septem Sacramenta. Vita enim spiritualis conformitatem aliquam habet ad vitam corporalem, sicut & cętera corporalia conformitatem quandã spiritualium habent. Vitam verò spiritualem appellamus nouam vitam, quam per Baptismum adepti sumus,

quæ

quæ necessaria est omnino ad consequendam salutem,
Ioan. 3. dicente Domino: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei; & quia non satis est homini corporali nato, si viuere velit, quòd natus sit, sed aliis etiam adiumentis, ad vitæ corporalis conseruationem & perfectionẽ, eget; ita quoq; non sufficit homini per Sacramentum baptismi renato, quòd vitam spiritualem adeptus sit, sed aliis quoq; Sacramentis ad hanc vitam spiritualem conseruandam ac perficiendam opus habet, nisi quis statim ac baptizatus est, morte corporali præueniatur; quia tunc ipsum solum baptismi Sacramentum satis est ad consequendam salutem. In vita autem corporali duobus modis aliquis perficitur ac conseruatur, vno quoad se, & altero quoad totam hominum societatem, in qua viuit: quia ita ratio comparata est vitæ, naturæque nostræ, vt sociales simus. Sui autem gratia bifariam contingat necesse est, vel per se, cùm aliqua vitæ perfectio acquiritur, vel per accidens, cùm aliquod vitæ impedimẽtum amouetur, quale morbus esset, aut quid aliud eiusmodi. Ac per se tripliciter fiat oportet, primùm per generationem, qua homo incipit esse, ac viuere: cuius loco in spirituali vita est Baptismus, qui est spiritualis generatio, iuxta illud, per lauacrum regenerationis Spiritus sancti, &c. Deinde per accretionẽ, qua homo ad perfectam quantitatem & virtutem perducitur, cuius vicem in vita spirituali tenet Confirmatio, in qua datur Spiritus sanctus ad dilatandum animi robur, secundùm illa verba Christi ad discipulos iam baptizatos: Sedete in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto. Postremò per nutritionem, qua hominis vita & virtus alitur ac conseruatur, pro qua in spirituali vita habetur Eucharistia: Id-

[Marginal notes: Ex D. Tho. 3. p. q. 65. ar. 1. c. in princ. — *Homo duobus modis in vita corporali conseruatur.* — Tit. 3. — Luc. 14.]

circo dixit Chriſtus: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Atq; hæc quidem vtriq; homini, naturali ſcilicet & ſpirituali ſatis eſſent, niſi vterq; vitã ærumnis ſubiectam ageret: cùm enim homo interdum, tùm inualetudine corporis, hoc eſt, morbo laboret, tùm etiam in ægritudinem animi, id eſt, peccata prolabatur, neceſſaria certè eſt illi curatio ab ægrotatione, quæ duplex eſt, vna dicitur ſanatio, quæ ſanitatem corpori reddit, cuius loco in vita ſpirituali pœnitentia eſt, ſecundũ illud: Sana animam meam, quia peccaui tibi; altera eſt priſtinarum virium per temperantiam ac conuenientem inediam, corporiſque exercitationem reſtitutio, quam in ſpirituali vita extrema vnctio imitatur, quæ peccatorum reliquias tollit, vt D. Iacobus ait; Et ſi in peccatis ſit, dimittentur ei. Perficitur autem homo ad totam hominum ſocietatem bipartitò: Primùm per dignitatem, ac poteſtatem, quæ illi ad regendum multitudinem, ac reſpublicas adminiſtrandas tribuitur: atq; in vita ſpirituali eſt Sacramentum ordinis, quo Sacerdotes conſecrati hoſtias Deo offerunt, non pro ſe ſolùm, ſed etiam pro populo, quem quoq; regunt, ac gubernant: Proinde ait Apoſtolus; Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis: ipſi enim peruigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri. Deinde per naturalem propagationem ſobolis, humaniq́ue generis conſeruationem, quod non tam in corporali, quàm ſpirituali etiam vita per matrimonium fit, eò quòd non Sacramentum modò, ſed naturæ quoq; officium eſt.

Ioan. 6. — *Pſal. 40.* — *Iac. 5.* — *Heb. 7.* — *Heb. 13.*

Quòd ſi quorundam ſententiam ſequi velimus, qui Sacramentorum numerum non ad pœnas modò, quas ſuprà diximus, ſed ad virtutes etiam Sacramentis ipſis appo-

Sacramẽtorum accommodatio ad virtutes.

Ex D. Tho. 3. p. q. 65. ar. 1. in cor. & 4. d. 2. q. 1. ar. 2. in corp.

appoſitas, pœniſque illis contrarias accomodant, fidei reſpondet Baptiſma, contra culpam originalem: ſpei extrema vnctio, aduerſus peccatum veniale: Euchariſtia charitati, contra malitiæ fraudem, prauitatemque mentis, dum naturæ propenſionem, inclinationemq; voluntatis ad peccandū refrenat, atq; coercet: Prudentiæ ordo, aduerſus ignorantiā: Iuſtitiæ pœnitentia, contra crimen capitale. Temperantiæ matrimoniū aduerſus intemperātes ſenſus cupiditates: fortitudini deniq; confirmatio contra debilitatē animi, timiditatemque.

Ex his itaque omnibus luce clarius conſtat, nouę legis Sacramenta à Chriſto inſtituta eſſe tantùm ſeptem, ita vt neq; plura, nec pauciora conſtitui poſsint. Hinc ſacrum Concilium Tridentinum: Si quis dixerit, Sacramenta nouæ legis non fuiſſe omnia à Ieſu Chriſto Domino noſtro inſtituta; aut eſſe plura vel pauciora, quàm ſeptem, videlicet, Baptiſmū, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam vnctionē, Ordinem, & Matrimonium, aut etiam aliquod horum ſeptem non eſſe verè & propriè Sacramentum; anathema ſit.

Seſſ. 7. Cā. 1. de Sacramentis in communi.

SEPTENARIVM SACRAMENtorum numerum ex ſacris literis depromi.

CAPVT QVINTVM.

HÆc ſeptem Sacramēta, quæ à ſaluatore noſtro Ieſu Chriſto inſtituta, ſacrarum literarum teſtimoniis & auctoritatibus fundata ac ſtabilita, diuinis Apoſtolorū præco-

præconiis toto terrarum orbe palam prædicata atq; promulgata, & iaminde ab ortu Christiani nominis ad hæc vsque tempora sanctissimè & constantissimè retenta ac conseruata cernimus; Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema vnctio, Ordo, & Matrimonium, licet in sacris paginis suis nominibus coniunctim appellata non reperiantur, allegoriis tamen simul adumbrata, ac separatim, quædam reipsa continẽtur, ad literam quædam sub eisdem verbis perscripta inueniuntur; Nec refert, si eiusmodi vocabula in sacris literis non extent omnia, modò res ipsa constet, ac vis Sacramentorum & veritas diuinis approbetur testimoniis: nam quæ vniuersa Ecclesia ex Apostolorum traditione retinet, conseruat, ac commendat, licet in sacra scriptura voces eorum non reperiantur, maximam tamen fidem nos iis adhibere oportet. Quid autem sibi volunt septem illæ buccinæ iubileorum, quibus diruti sunt muri Iericontini, nisi ipsa septem Sacramenta, quibus omnes spiritualium inimicorum incursus reijciuntur? Quid aliud septem Sacerdotes prædictas septem buccinas tenentes & iisdem clangentes, quàm septem Sacramentorum ministros? Quid septem dies, quibus Iosue cum toto exercitu Israelitico munitiones Iericontinas in potestatem redegit, nisi vsu & exercitio septem Sacramentorum Ecclesiam de inimicis integram victoriam consecuturam? Quid aliud significant septẽ columnæ sapientis, quàm septem Sacramenta à Christo sapientia patris instituta, quibus veluti septem fortissimis basibus Ecclesiæ ædificium sustentatur? Quid designant septem oculi super lapidem vnum, quàm septem Sacramenta in Ecclesia supra petram à Christo extructa, ipso dicente: Tu es Petrus & super hanc petram

Iosue 3. *Septẽ buccinæ iubileorum.* *Septem dies.* *Prouer. 9.* *Septem columnæ sapientis.* *Zach. 3.* *Septẽ oculi.* *Matth. 16.*

tram ædificabo Ecclesiámeam, quibus tanquã clarissimis mundi luminibus totius Ecclesiæ corpus illuminatur? Quid aliud candelabrum aureum, q̃ vidit Zacharias Propheta cũ septem lucernis sup illud, & septẽ infusoriis, significat, quàm in Ecclesia Christi septem oculos Domini, qui discurrũt (vt idem Propheta ait) in vniuersam terram, (id est septem Sacramenta per vniuersam Ecclesiã) quibus misericordiæ plenis infirmitates nostras respiciens, peccata nostra delet, suamque gratiam copiosè largitur? Quid septem illi panes, quibus tantam hominum multitudinẽ Christus Apostolis distribuentibus saturauit, nisi hæc septem Ecclesiæ Sacramẽta significent, quæ Apostoli primùm, auctore Christo, administrauêre? Quid septem sportæ fragmentorum? nonné septem Christianæ religionis Sacramenta notant, Apostolorum successoribus tradita, vt omnibus ad Christi opem confugientibus prouideatur? Quorsum septem illi boni testimonij viri ad quotidianum mensarum ministerium delecti, si septem Sacramentorum ministros nobis apertè non demonstrant? Non est bonum (inquiunt Apostoli) nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis. Considerate ergò fratres viros ex vobis boni testimonij septem, plenos spiritu sancto, & sapientia, quos constituamus super hoc opus, quod non de rerum corporalium modò, sed spiritualium præcipuè, hoc est, Sacramentorum ministerio planè intelligendùm videtur. Proinde Paulus ait: Non enim misit me Christus baptizare, sed euangelizare. Quid septem illæ Ecclesiæ in Asia sunt, quàm septem Sacramenta in magna Christi Ecclesia? Quid illi septẽ spiritus in conspectu Throni, quàm septem ministri Sacramentorum? Quid aurea illa candelabra septem, in

Zach. 4. Septem lucerna. Matth. 15. & Mar. 8. Septem panes. Actor. 6. Septem boni testimonij viri. 1. Cor. 1. Apo. 1. Septem Ecclesiæ. Septem Spiritus. Septem candelabra.

in quorum medio similis filio hominis vestitus podere visus est, quàm septem Ecclesiæ Sacramenta, mysticum Christum circumdantia? Quid septem stellæ, quas filius hominis candelabris aureis cinctus in dextera sua habebat, quàm septem ministri Christi innixi dexteræ, per septem Sacramenta, septuplicem spiritus sancti gratiam in singulos distribuentes? Vtrunque enim, cùm vis administrandi Sacramenta, tùm Spiritus sancti donum Christi beneficio & benignitate conceditur. Quare optimè inquit Euangelista; Hæc dicit, qui habet septẽ spiritus Dei, & septem stellas, hoc est, septuplicem potestatem ministris datam, & septuplicem Spiritus sancti gratiam in Sacramentis ipsis inhærentem. Cæterùm quid septem illæ lampades ardentes ante thronũ, quæ sunt septem Spiritus Dei, quàm eadem septem Spiritus sancti dona Sacramentis septem attributa? Quid porrò in dextera sedentis super thronum scriptus liber est intus & foris, signatus sigillis septem, quàm mysticum Christi corpus, hoc est, Ecclesia Mater nostra communis vsquequaq; à Spiritu sancto edocta, hisce septem Sacramentis ad Christi fidelium salutem munita atq; obsignata? Quid septẽ cornua Agni stantis in medio tanquam occisi, quàm septem Sacramenta ab ipso Agno Iesu Christo instituta, & septem oculi, quàm septuplex gratia, quæ in ipsis Sacramentis confertur? Quod ibidem Euangelista ipse innuit, inquiens, qui sunt septem Spiritus Dei missi in omnem terram. Quid tandem plagæ septem illæ nouissimæ sunt, in quibus consumata est ira Dei, quàm septem pestes, ad quas auertendas, tollendasque penitus septem Ecclesiæ Sacramenta instituta cernuntur? At quorsum in re tam facili ac perspicua tot verbis opus est? Iñumeri loci ferè ex sacris scrip-

Septem stellæ. — *Apo. 3.* — *Septẽ Lampades ardẽtes.* — *Apo. 4.* — *Apo. 5.* — *Septẽ sigilla libri.* — *Septem cornua Agni.* — *Septem plagæ.* — *Apoc. 15.*

tis

tis in mentem veniunt, qui à nobis in eandem adduci sententiam possent, nisi breues esse studeremus. Quòd si quis rationes, ex scripturis ad literã desumptas, cupiat, quibus Sacramenta seorsim constituãtur, eas in proprio cuiusq; Sacramenti tractatu commodiùs tradi posse existimamus.

QVONAM MODO NOVÆ LEgis Sacramenta à priscis naturæ, veterisq; legis Sacramentis præfigurata fuerunt, &c.

CAPVT SEXTVM.

VT rectiùs tradamus, quonam modo prisca illa antiquorum cùm naturalis, tùm Mosaicę legis Sacramenta, nouæ legis Sacramenta pręfigurârunt, de illis nonnulla differere necesse est. *Sacramẽta Veteris legis* Etsi itaq; in statu naturæ integræ Sacramenta necessaria non fuerint, in statu tamen naturæ lapsæ necessaria semper fuerunt; his enim statibus plurimùm interest; nam antequàm peccaret homo, fuit humana natura illęsa, integra, & omnino sana; sicut scriptum est, ab initio fecit Deus hominem rectum, & posuit eum in manu consilij sui; cùm igitur Sacramenta sint peccatorum, & humanæ infirmitatis veluti medicina quædam, nec (vt Saluator ait) qui sani sunt, medico egeant, nulla fuit in statu innocentiæ Sacramentorum necessitas. At in statu naturæ corruptæ, ita est homo peccatorum vulneribus debilitatus, vt diuinis hisce remediis sem-

Ex D.Tho. 3.p.q.61.ar. primo, 2. & 3.

Ecclesiastes. c.7. & Ecclesiastici c 15.

Matth.9.

per indiguerit. In ſtatu prætereà innocentiæ, originalis iuſtitię dono, mens Deo fuit perfectiſsimè ſubiecta, mẽti, vires animæ inferiores, atq; animæ, corpus omnino ſubiiciebatur. Quare contra ordinem illius ſtatus admodum fuiſſet, à rebus corporeis, ſiue quoad ſcientiam, ſiue quoad gratiam homines tunc dependiſſe, cùm igitur Sacramenta ſint res quædam corporeæ, ad gratiam in ipſis collatam aptè ſignificãdam inſtitutæ, nullus fuiſſet in eodem ſtatu Sacramentorum vſus. At, cùm per peccatũ homo ab obediẽtia Dei ſe ſubtraxerit, rebusq; ſenſibilibus ſubiecerit, ordo, aut potiùs naturæ corruptæ deordinatio poſtulabat, vt per res ſenſibiles ad diuina aſſurgeret, eaq; perciperet, vt rectè Paulus Apoſtolus docet: Inuiſibilia (inquit) Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. Corpus quoq; originali dono priuatum, quod iam corrumpitur, aggrauat animam, & ſenſum deprimit multa cogitantem; ita quidem vt iam humanæ actionis ſtudium, in res corporeas, & ſenſibiles maximè feratur. Proinde cùm Sacramenta ſint res quædam ſenſibiles, quibus fidem ſpiritualem in Deum proteſtamur, ipſiusque dona percipimus, omni tempore poſt peccatum fuerunt neceſſaria.

Ex D. Tho. 3. par. q. 61. ar. 2.

Ad Rom. primo.

Sap. 9.

Sacramẽta poſt lapſum ſemper fuiſſe neceſſaria.

Verùm vt hominibus in finem ſuum dirigẽdis, non vna ſolùm lege, ſed pluribus, vt tempori conueniebat, Deus Opt. Max. prouidit, ita non omni tempore, eadem, ſed aliis temporibus, alia quoq; Sacramenta inſtituit. Primò enim omnium vt præclarè S. Thomas ait: Sine lege ſcripta, inſtinctu & lege quadam naturali res hominum adminiſtrari voluit Deus, vt nempe bonis, quòd ſequerentur, non deeſſet, ſuperbis quoq;, quãtum humana ratio valeret, certo experimento, notum fieret. Cùm verò tandem humana ratio eouſque deficeret,

Pro diuerſitate temporũ varia à DEO inſtituta Sacramenta

Prima ſecundæ q. 98. ar. 6.

ret, vt sibi relicta, ad turpissima quæq; prolaberetur, lignumq; & lapides pro Deo coleret, cœpit Deus tempore Moysis, scriptam legem tradere, qua rationi aliunde certò præscriberetur, quid sequendum, quidué fugiendum esset. Nouissimè verò, cùm iam satis didicissent homines, non posse se veritatem cognitam, sine Dei auxilio, opere adimplere, per Christum veritas, & gratia facta est, legeque noua, mens nostra ad veritatem cognoscendam instituitur, atq; vt facta cogitationi respondeāt, diuina copiosiùs infusa gratia corroboratur. Habuit itaque lex naturæ sua Sacramenta, sua quoq; habuit lex Moysis; quæ quidem vtraq; veluti figuræ quædam Sacramentorum nouę legis, cum aliquo tamē discrimine, prænuncia fuerunt.

Ioa. primo.

Ex D. Tho. 4. d. 2. q. 1. ar. 2. ad 4tū. & quintū. Et prima secundæ q. 101. ar. 4. ad primum.

Commune porrò fuit vtrique iam dictæ legi, quòd neutra possent ad perfectum adducere, iuxta illud Pauli: Nihil ad perfectum adduxit lex, neq; proinde illarum legum Sacramenta (vt Sacramenta nouæ legis) quenquam iustificare potuerunt, cuius rei rationem accommodatissimam reddit Sanctus Tho. Iustificatio, inquit, non fit aliunde quàm per applicationem, & quasi continuationem quandam passionis Christi ad nos; Ea autem antequam peracta fuit, non potuit tanquam præexistens mouere, nisi per actum animæ, eo omnino modo, quo finis adhuc non habitus, mouet agentem; non ergò per res quasdam exteriores vt sunt Sacramenta, fiebat tunc passionis Christi applicatio, sed ipsi potiùs Christo Domino, tanquam præcellens quiddam reseruabatur, vt ipse solus res certas exteriores nominaret, quibus ex ipsius passione virtus iustificandi conferretur. Proinde ante Christi aduentum, nulla fuerunt tantæ virtutis Sacramenta: antiqua tamen illa Sacra-

Vetera Sacramenta neminē perfectum reddebant.

Ad Hæb. 7.

Ad Hęb. 10.

3. par. q. 63. ar. 6. c.

Ex D. Tho. 3. par. q. 64. ar. 3.

C 3 menta

menta inutilia non fuerunt; nam quatenus fidei de Christo venturo protestationes quædam fuerunt, qua nempe fide, virtus passionis Christi hominibus applicabatur, fuerunt etiam iustificationis signa quædam & indicia; atq; vt fidei iustificantis protestationes, ad ipsam quoq; iustificationem suo modo contulisse, dici possunt.

Legis tamen naturalis quoad Sacramentorum determinationem, longè alia fuit ratio quàm legis veteris: in illa enim lege prout legis illius natura postulabat, illud tantùm à Deo constitutum existimatur, vt nempe re aliqua externa, quacunq; tandem fidei protestatio fieret; an verò hac, vel illa fieret, naturali offerentis iudicio relictum fuit; vt præclarè S. Thomas; Sicut (inquit) in statu legis naturæ homines nulla lege exterius data, sed solo interiori instinctu mouebantur ad Deum colendum, ita etiam ex interiori instinctu determinabatur eis, quibus rebus sensibilibus ad Dei cultum vterentur. At in lege vetere, certa quædam à Deo præscripta sunt, quibus solis vti licebat; cuius rationem pręfatus Doctor hanc assignat: Quia (inquit) cùm iam magis obtenebrata indies fieret humana ratio, maiori etiam directione opus fuit. Hoc ipsum quoq; ratio legis veteris postulabat: nam cùm iam temporis plenitudo aduentaret, conueniebat populum illum sanctioribus iam legibus institui, eisque ex diuino pręscripto vti mysteriis, quæ Christi passionem clariùs & expressiùs referrent.

3. par. q. 60. ar. 5. ad tertium.

C

Sed quod ad legẽ naturæ attinet, ex sacra pagina varias eo tẽpore oblationes factas accepimus, vt in Genesi de Cain, Abel, Abrahã, Melchisedech, & in libro Iob, de ipso Iob, & alibi de aliis. Quot verò Sacramẽtorũ genera

Gen. 4. Gen. 12. Gen. 14. Iob primo.

ra in ea lege fuerunt, non ita certum eſt, ſumpta tamen ab hominum neceſſitate probabili coniectura, quatuor eo tempore Sacramentorũ genera fuiſſe colligi poteſt. Certum enim eſt, homines ea quoq; ętate indiguiſſe remedio culpę originalis, quo ſimul in ſortem Sanctorum inſcriberētur. Vnde illud ſancti Gregorij: Quòd (inquit) apud nos valet aqua baptiſmatis, hoc egit apud veteres, vel pro paruulis ſola fides, vel pro maioribus virtus ſacrificij; maximè etiam decebat, vt, qui eo tempore ſacra tractarent (omnes nempe primogeniti vt diuo Hieronymo placet) ad hoc ipſum externa cærimonia conſecrarentur. Indigebant etiam gratiæ augmento, ad quod oblatio illa Melchiſedech accommodata videri poteſt. Et demum cùm illo quoq; tempore ſæpe per peccata homines Dei gratia indignos ſe redderēt, opus erat reconciliationis Sacramento. Et tot legis naturæ Sacramenta fuiſſe non eſt improbabile; quanquam ad horum quoduis non vnum aliquid externum, ſed pro offerentis arbitrio, alia atq; alia aſſumebantur.

Quatuor Sacramentorũ genera apud priſcos.

In Moral. & habetur de cõſ. diſt. 4. c. quid autẽ apud nos.

Remedium culpæ originalis priſcis fuit noſtrũ.

Ex D. Tho. 3. p. q. 60. ar 5. ad tertiũ.

Neque ſanè hac in re Dominicus Sotus, vir alioquin eruditus, & de re Theologica optimè meritus, audiendus videtur; vult enim nec in lege naturæ, nec in lege veteri, Sacramentum reconciliationis aliquod fuiſſe, quo peccata actualia remitterentur. Verùm cùm hoc Sacramenti genus eo quoq; tempore neceſſarium fuerit (ad peccandum enim tunc non minus propenſi fuerunt homines) nec Deus in neceſſariis deficiat, conceſſum tunc quoq; fuiſſe credi debet. Originale porrò difficilius tollitur actuali, ſiquidem virtus ad originale ſufficiens, actuale etiam conſequutione quadam tollit, non tamen quæ ad actuale tollendum ſufficit, ad originale quoq; tollendum ſatis eſt, vt in

Sotus in 4. d. 2. q. 2. ar. 3. § circa autem vltimum.

Baptiſmo & pœnitentia apertum eſt; Cùm ergò in lege veteri, atq; in lege etiam naturę, Sacramẽtum fuit, quo culpa originalis tolleretur, quid obſtat, quo minus fuerit actualis culpæ delendæ Sacramentum? maximè cùm eadem vtriusque neceſſitas, eademque ratio fuerit. Expreſsè deniq; S. Tho. inter Sacramenta legis antiquæ peccatorum quoq; actualium expiationes refert. Quòd ſi fortè Sotus voluerit tantùm, in illis legibus nullum fuiſſe Sacramentũ, quòd deleto actuali gratiã ipſam conferret, quo modo in lege noua pœnitentia cõfert, à vero non aberrat. Sacramenta enim, quæ ante Chriſtum fuerunt, gratiam, ipſa non attingebant; Sed vt proteſtationes quædam fidei, qua paſſionis Chriſti applicatio fiebat, ad eam ſuo modo conferebant (vt dictum eſt priùs) ſicut in deletione peccati originalis, ſic etiam in actualis remiſſione.

Prima ſecundæ q. 102. ar. 5. in corp.

Priſca & vetera Sacramenta gratiam nõ attigerunt.

Sed nũc de Sacramẽtis veteris legis peculiariùs dicamus. Plurima enim de variis illius legis ſacrificiis in Leuitico paſſim habentur, quę tamen Sacramẽti rationem habuerint, non ita certũ eſt: Sanctus Thomas omnia illius legis Sacramenta ad ſex omnino capita reuocat; quædam (inquit) fuerunt, quibus homines Deo veluti dicabantur, & horum quidem vnum, ad omnes pertinebat, vt circũciſio; aliud verò fuit Leuitarum propriũ, vt illius legis ordo, ſeu Sacerdotum conſecratio; Alia pertinebant ad vſum eorum, qui iam Deo aſſcripti fuerunt, vt quoad omnes quidem vſus agni Paſchalis; quoad leuitas verò eſus panum propoſitionum, & alia id genus. Alia deniq; fuerunt ad remouenda impedimenta cultus; vt communiter quidem omnibus purificationes, & expiationes peccatorum; pro Leuitis verò & Sacerdotibus manuum & pedum ablutiones, & ſi quæ ſint huiuſmodi.

Prima ſecundæ q. 102. ar. 5. in corp.

Sed

Sed nec omnia hæc propriè Sacramenta dici ex sancti Tho. sententia existimandum est: nam vt suprà dictum est, Sacramentum definitur signum rei sacræ, quatenus illa iustificat. Significat ergò gratiam, in ipsius vsu & exercitio collatam, & iustificantem; at purificationes immundiciarum, & ablutiones illæ, in quarum vsu gratia non conferebatur, non potuerunt esse eiusmodi signa; non ergò fuerunt Sacramenta propriè dicta, magis quàm in lege noua dispensatio ab irregularitate, aut aspersio aquæ benedictæ: cùm tamen apertè significarent purificationem & ablutionem à peccatis quandocunq; tandem factam, similitudine quadam Sacramenta dici possunt; quo etiam modo à sancto Tho. reliquis antiquæ legis Sacramentis annumerantur.

Sed nunc demum, quomodo Sacramenta legis naturæ & Mosaicæ nostra præfigurârunt, dicamus. Figuram igitur appellamus, cui aliud insinuandi atq; ingerendi ratio conuenit; atq; cùm pro omnium peccatis ab origine mundi mortuus sit Christus, nec aliud nomen sub cœlo datum sit hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri, quotquot ab origine mundi salui facti sunt, per Christum salutem sunt consecuti. Proinde quæcunque hominibus ab initio ad gratiam cum Deo ineundam, & salutem adipiscendam applicari consueuerunt, Christum venturum, eaq;, quæ ad reparationem nostram ab ipso gerenda forent, insinuandi ingerendiq; rationem continebant; atq; hinc est, quòd leges priscæ, nouæ: illarum verò Sacramenta, Sacramentorum nouæ legis figura fuerint: non quidem fortuita rerum similitudine tantùm, aut humani ingenij accommodatione, sed ex diuina institutione; Ita enim Deus Opt. Max. pro temporum varietate vel instinctu interiori, vel etiam datis

Quibus modis Sacramenta nouæ legis à veteribus fuerunt præfigurata.

Figura quid.

Ad Heb. 9.

Actor. 4.

legibus concurrebat, vt res ipsæ, quæ in Sacramentis antiquis assumebantur, nostra referrent, atq; ad nostra vt ad ipsorum perfectionem tenderent.

Dici autem solet ea, quæ in lege naturæ agebantur obscuriùs, quæ in veteri expressiùs longè nouæ legis mysteria præmonstrâsse; quod quidem à toto genere verissimum est. Quid enim expressiùs insinuare potuit, Christi in crucem exaltationem, ad se confugientes, etsi venenatis, peccatorum morsibus laniatos, promptè sanantis, quàm serpentis exaltatio in deserto, ad cuius aspectum ignitis serpentibus icti mox sanabantur? Sed si singula singulis componamus, quædam legis naturæ, nostra non minùs exprimunt, quàm nonnulla legis veteris. Nam oblatio Melchisedech non minùs referebat altaris sacrificium, quàm panes propositionis; nec in illa minùs lege quàm in ista animaliũ mactationes Christi mortem designabant.

Exaltatio serpentis in deserto typus CHRISTI.

Num. c. 21. Ioan. c. 12.

Oblatio Melchisedech sacrificium Altaris referebat.

Sed vt ad rem propiùs accedamus, Sacramentum legis naturæ, in quo fiebat originalis remissio, Baptismũ nostrum pręfigurabat: indeterminatè tamẽ, quia non fuit certa aliqua illius materia rem vsq; adeò exprimẽs; id quod de cęteris illius temporis mysteriis asserendum est; ita enim & illorum sacrorum initiatio, sacri ordinis Sacramentum, quo vt hostia quasi pacifica, ad maiorem ineundam gratiam vtebantur, Eucharistiæ; illud verò, quod veluti pro peccato offerebant, nostræ pœnitentiæ figura fuit. At veteris legis circumcisio multò propriùs Baptismum nostrum denotat; aptissimè enim per pelliculæ illius abscisionem innuitur mali, quod per carnalem originem & generationem contrahimus, deletio. Vnde Paulus de Baptismo loquens: Circumcisi (inquit) estis in Christo circumcisione non manu facta corporis

Circũcisio Baptismum denotabat.

Ad Coll. 2.

carnis,

carnis, sed in circumcisione Domini nostri Iesu Christi, consepulti ei in Baptismo.

Similiter & illius temporis ordo, ordinis nostri Sacramentum præsignabat. Cùm enim Sacerdotes fierent, aqua priùs purificabantur, deinde oleo vngebantur, & tertiò ad vsum ministerij applicabantur. Quibus, vt inquit sanctus Tho. significabatur, nouæ legis ordine initiandos, primò per aquam baptismatis, & lachrymarum purificari debere: tùm oleo Spiritus sancti singulariter ornari; & demum sic constitutos ad sancta ministeria intentos esse oportere.

Prima secundæ q. 102. ar. 5. ad octauum.

Esus porrò Agni Paschalis sumptionem Eucharistiæ præfigurabat; torrebatur agnus ille igne; ad Christi in Sacramento sumendi cruentam passionem denotandam: comedebatur cum azimis, vt intelligamus, sumentium conuersationem debere esse synceram: vt Paulus; Epulemur igitur in azimis synceritatis & veritatis: aderant quoq; huic conuiuio lactucæ agrestes, & renes comedentium accingebantur: quo innuebatur sumptioni Eucharistiæ amarum præcedētium delictorum dolorem, & in futurum emendationis diligentisque custodiæ propositū præcedere debere. Huc etiam referebantur hostiæ illius legis pacificæ & panes propositionis. Per hostiam denique pro peccato, & expiationes figurabatur pœnitentiæ Sacramentum, quo pleniùs virtute hostiæ in cruce oblatæ peccata remittuntur.

Esus Agni Paschalis sumptionē Eucharistia præfigurabat.

Prima Cor. 5.

Cur denique in lege veteri nulla confirmationis, extremæ vnctionis, aut matrimonij figura fuerit, docet sanctus Tho. cuius hæc sunt verba; Sacramento (inq. t) confirmationis, quod est Sacramentum plenitudinis gratiæ, non potest respondere in veteri lege aliquod Sacramentum, quia nondum aduenerat tempus plenitudinis,

Prima secundæ q. 102. ar. 5. ad tertium.

In veteri lege nullū fuit Sacramentū correspondens cōfirmationi.

Item neque fuit aliud correspōdēs extremæ Vnctioni.

Matrimoniū in lege veteri fuit in officiū naturæ, nō autē vt Sacramentū coniunctionis Christi & Ecclesiæ.

Præsignatio Passionis Christi à lege naturæ & Mosaicæ.

Sacramēta legis naturæ ad quatuor capita redacta.

dinis, eò quòd neminem ad perfectum adduxit lex. Similiter & Sacramentum extremæ vnctionis, quod est quædam immediata præparatio ad introitum gloriæ, cuius aditus nondum patebat, in veteri lege precio nondum soluto. Matrimonium autem fuit in veteri lege, prout erat in officium naturę, non autem prout erat Sacramentū coniunctionis Christi & Ecclesiæ, quæ nondum facta erat; vnde & in veteri lege dabatur libellus repudij, quod est contra Sacramenti rationē. Hæc ille, sed de modo, quo nostra Sacramēta à veteribus pręfigurabantur, hæc sufficiant. Nunc paucis addamus, quonā etiam modo à mysterijs antiquarū legum, tùm naturæ, tùm Mosaicæ, causa Sacramentorum nostrorum, Christus nempe eiusque passio præsignata fuerunt. Heb. 7. Deut. 24.

Et si Sacramenta legis naturæ; ad quatuor capita superiùs reduxerimus, quibuscunque tandem vel sacrificiis, vel oblationibus illa perficiantur; Hugo tamen vniuersalius nonnihil loquens, omnes illius legis colendi ritus, ad tria capita reuocat, quæ communi quodam nominis vsu Sacramēta vocat. Nam de legis illius mysteriis loquens, tria tantùm, inquit, ea in lege fuerunt Sacramenta, sacrificia, oblationes, & decimæ: atque vt D. Tho. Per sacrificia mors Christi figurabatur: per oblationes affectio morientis ad mortem: quia ipsemet sua sponte, & voluntate sese morti obiecit; secundùm illud Prophetæ; Oblatus est quia ipse voluit. Per decimas comparatio morientis cum iis, pro quibus moriebatur, qui imperfecti erant, ab ipso omnem expectantes perfectionem, non secus ac nouem per decem perficiuntur. Lib. 1. de Sacramen. par. 2. cap. 3. 4. dist. 2. q. 1. ar. 2. ad quartum. Esa. 53.

Sacramēta legis Mosaicæ Christi mortem apertè ostenderunt.

Sin verò Sacramenta legis Mosaicæ perpendas, quæ definitè ac multò apertiùs Christi mortem ostendebant:

debant: per immolationem Agni Paſchalis, immolatio Christi ſignificabatur: ſecundùm illud Apoſtoli; Paſcha noſtrum immolatus eſt Christus; per oblationes & ſacrificia, CHRISTVS ipſe primò quidem in cruce; deinde verò in altaris Sacramento, per eſum Agni Paſchalis, ac panum propoſitionis; ſumptio corporis Christi in Euchariſtia, in vno, hoc eſt, Agni immolatione à ſacrificantibus; in altero, hoc eſt, eiuſdem agni eſu à communicantibus: per circumciſionem, ſpiritualis Chriſti circuncisio, quæ eſt ſacrum baptiſma Chriſti mortem in nobis repræſentans, ac reſurrectionem; ſecundùm illud Pauli; Circumciſi eſtis circumciſione nō manufacta, in expoliatione corporis carnis, ſed in circumciſione Chriſti, conſepulti ei in Baptiſmo, in quo & reſurrexiſtis per fidem operationis Dei. Per purificationem verò ab externis ſordibus, & expiationem à peccatis, an non effuſio ſanguinis Ieſu Chriſti oſtenditur, qui emundat nos ab omni peccato? Sine ſanguinis enim effuſione non fit remiſſio. Proinde dixit Saluator noſter; Hic eſt enim ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorū. Huiuſce rei cauſam in medium affert Apoſtolus, cùm ait; Si enim ſanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus, inquinatos ſanctificat, ad emundationem carnis; quanto magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit imaculatum Deo, emundauit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis ad ſeruiendum Deo viuenti? Ecquem alium Pontifices, Sacerdoteſque conſecrati ſignificabant, quàm ſeruatorem noſtrum Ieſum Chriſtum, qui aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum per amplius & perfectius tabernaculum non manufactum, id eſt, non huius creationis, neq;

[Left margin: 1. Cor. 5. — Col. 2. — 1. Ioan. 1. — Heb. 9. — Matth. 26. — Hebr. 9. — Hebr. 9.]

[Right margin: *Pōtifices & Sacerdotes conſecrati ſignificārūt Chriſtum.*]

per ſanguinem hircorum aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinē introiuit ſemel in ſancta æterna redemptione inuenta? At quorſum tam multa? nonnè Paulus clariſſimè docet legem vmbram habuiſſe futurorum bonorum, quæ omnia in Chriſto ſunt, & per Chriſtum habentur? Proinde hæc verba alibi ſcripta reliquit: Nemo vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei feſti, aut neomeniæ, aut Sabbatorum, quæ ſunt vmbra futurorum, corpus autem Chriſti. Ex his itaq; manifeſtè patet, quo modo Eccleſiæ noſtræ Catholicæ Sacramenta, horumque cauſa, hoc eſt, mors Chriſti ab vtriusque legis cùm naturalis, tùm Moſaicæ Sacramentis & myſteriis, diuersè tamen, & cum diſcrimine figurata ſint, ac ſignificata. Heb. 10. Col. 2.

DE MATERIA AC FORMA, ex quibus Sacramenta conſtituuntur, deq́; miniſtro eorum & effectu.

CAPVT SEPTIMVM.

Absq; materia ſenſibili nullum perficitur Sacramentum.

QVódque Sacramentum ex materia aſpectabili, & ſub ſenſum cadente (quæ elementi nomine etiam apellatur) ex verboque diuino ad eos fructus, quos ſecum affert, conſequendos, per miniſtrum conficitur, ſecundùm illud D. Auguſtini; Accedit verbum ad elementū, & fit Sacramentum; quibus ſublatis nullum Sacramentum rectè perfici, aut effectum ſuum conſequi poteſt. In Ioan. tract 8.

Mate-

Materia, quæ in quouis Sacramento sub sensum, aspectumq; cadit, eius rei, hoc est, diuinæ gratiæ, cuius id signum est, in exprimendo illius effectu, quandam in se similitudinem continet, qua apertissimè ostenditur, Sacramentum ipsum in anima eum effectum habere, quem in corpore natura duce præstare potest ipsa materia, quæ res in quibusdam Sacramentis euidentissimè patet. Quamobrem præclarè dixit D. Augustinus; Si enim Sacramenta quandam similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, omnino Sacramenta non essent. Et D. Thomas de Sacramentis tractans, illud scriptum reliquit; sensibilia & corporalia gerunt spiritualium, & intelligibilium similitudinem ex his, quæ in vita corporali specialiter aguntur. Atq; alibi; Sacramenta non efficiunt, nisi id, quod figurant.

Materia Sacramētorū in communi.

Epistola 23 ad Bonif. de Bap. paruulorum.

3. p. q. 72. ar. 1. in cor.

4. d. 3. q. 1. ar. 2. tertium.

Forma cuiusque Sacramenti verba sunt, effectum eiusdem ab ipsa etiam materia aliqua ex parte indicatū apertiùs ac clariùs demonstrantia. Si enim omnia signa inter se conferas, vim tantam verbis inesse cernes, vt si illa desint, obscurum planè futurum sit, quid nam sibi Sacramentorum materia velit. Nam (vt de Baptismo loquamur) cùm aqua, propter innatam sibi frigiditatem, humiditatemque non minorem frigefaciendi, quàm abluendi vim habeat, atq; naturam, & rei vtriusq; symbolum esse possit, nisi verba adiungantur, vtrum horum in Baptismate significet, certò affirmare nemo audeat: at, cùm verba adhibentur, illicò intelligimus, in Baptismo aquam sumi ad spiritualem ablutionē significandam.

Forma Sacramentorū in communi.

Sacerdos plerunque minister Sacramenti esse debet, quamuis interdum Episcopi quoq; maiestate opus sit.

Minister Sacramentorū in communi.

sit. Extra ordinē Laicus etiam in quibusdam duntaxat Sacramentis necessitate ita flagitante, aliqua ex parte ministri munus obire potest, vt suis posteà locis dixerimus.

Effectus Sacramentorū in communi

Effectus Sacramenti vberrima ac multiplex est Dei gratia, quæ salutis & beatitudinis nostræ causa, viaque, & aditus ad sempiternam fœlicitatem est, vt præclarè docet D. Augustinus; Sacramentum est, in quo sub tegumento rerum visibilium diuina virtus secretiùs operatur salutem. Et Magister sententiarum: Non significandi tantùm gratia, Sacramenta sunt instituta, sed etiam sanctificandi: quia Sacramentum propriè dicitur, quòd ita signum est gratiæ Dei, & inuisibilis gratiæ visibilis forma, vt ipsius imaginem gerat, & causa existat. Hinc sacrosancta Synodus Tridentina: Si quis dixerit, Sacramenta nouæ legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantùm externa sint acceptæ per fidem gratiæ, vel iustitiæ, & notæ quædam Christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus: anathema sit. Sed hoc ex superioribus partim iam notum est, partim non ex proximis modò Sacramentorum definitionibus, verùm etiam ex singulis eorum tractationibus constabit.

Sess. 7. can. 6. de Sacramentis.

OB MVLTIPLICEM GRATIAM, quæ ab Apostolo describitur, multiplicem Sacramentalem gratiā aut mancam, aut superfluam non esse.

CAPVT

CAPVT OCTAVVM.

1. Cor. 12. NVmerus gratiarũ, quæ ab Apoſtolo traduntur, cùm ſcribit; Vnicuiq; datur manifeſtatio Spiritus ad vtilitatem: Alij quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ: alij autem ſermo ſcientiæ ſecundùm eundem ſpiritum: alteri fides in eodem ſpiritu: alij gratia ſanitatum in vno ſpiritu: alij operatio virtutum: alij prophetia; alij diſcretio ſpirituum: alij gratia linguarum; alij interpretatio ſermonum: huic noſtro præſenti inſtituto de multiplici Sacramentali gratia moleſtiam vllam minimè ingerit; neq; hæ, aut illæ ſuperuacaneæ, ſeu diminutæ dici poſſunt: cùm inter ſeſe maximè differant, ac varios & multiplices producant effectus, nobis multifariam neceſſarios. Nam gratia, quam Sacramenta gignunt, illa eſt, quæ cuiq; ad ſalutem ſuam eſt neceſſaria, quia nos cum Deo vnit, ac ſociat, quæq; propterea à Theologis gratia gratum faciens iure optimo appellatur; quia hominẽ Deo gratum faciat. At verò earum, quæ ab Apoſtolo eo in loco ſcribuntur, nulla nos cum Deo coniungit, neque grates Deo reddit, ſed facit tantùm, vt homines ad ſalutem proximi cooperentur, vnuſq; efficiat, vt alter ad Deum reducatur. Atq; hæc prout Dominus vult, qui operatur omnia in omnibus, in ſingulos diſtribuitur, quæ ideo non ineptè gratiæ gratis datæ nomen accepit, quia ſupra vires naturæ gratis, & non ex merito; ad Eccleſiæ & proximorum ædificationem, non ad ſuſcipientis iuſtificationem, confertur. Hinc duplex diſcrimen inter vtranq; gratiam oritur: Primùm quidem eſt, quòd gratia Sacramentalis ad ſuum cuique commodum detur, at gratia gratis data ad aliorum vtilitatem conceda-

1. Cor. 12.

tur: Proinde Apoſtolus ait; Vnicuiq; datur manifeſtatio Spiritus, ad vtilitatem ſcilicet aliorum: Alterum autem, quia gratia gratum faciens peccato mortali poſito ſtatim tollitur, & contra: non enim ſimul hæc duo eſſe poſſunt: gratia verò gratis data non idcirco, quia te capitali crimine obſtrinxeris, amittitur, neque ex contraria parte; quia in eodem hæc duo ſimul eſſe non repugnat. Pertinet enim (inquit D. Thomas) ad gratiam gratum facientem, vt per eã Spiritus ſanctus inhabitet, quod quidem non pertinet ad gratiam gratis datam, ſed ſolùm vt per eam Spiritus ſanctus manifeſtetur, ſicut internus motus cordis per vocem; veluti cùm quis peccator, quem non inhabitat Spiritus ſanctus, miracula facit, vt oſtendatur quòd fides Eccleſiæ, quam ipſe prædicat, vera ſit, aut ſi quid interpretetur, vel linguis loquatur variis, & ſic de cæteris. Præterea licet nullus in Eccleſia ſit, qui non participet aliquid ex gratiis gratis datis, ſecundùm illud; De plenitudine eius omnes accepimus gratiam pro gratia: nemo tamen reperitur (vno Chriſto excepto, cui Spiritus datus non eſt ad menſuram) qui æquè, ac perfectè iisdem gaudeat gratiis omnibus, quæ communes certè omnibus non ſunt, quia non vniformes, aut æquales datæ, ſed diuiſæ vnicuique ſecundùm propriam virtutem, & ſecundùm menſurationẽ donationis Chriſti, hoc eſt, ſecundùm quod Chriſtus dedit ac menſus eſt ſingulis. Propterea rectè ait Apoſtolus, habentes donationes ſecundùm gratiam, quæ data eſt nobis, differentes. Et alibi; Vnusquiſq; proprium donum habet ex Deo, vnus quidem ſic, alius verò ſic: quia quidam abundat in vna, quidam in alia: Gratię verò Sacramentales cùm communes, atque vniformes omnibus (idoneis tamen) tùm æquè ac perfectè omnes

1. Cor. 12. — Ex prima ſecundæ q. 113. ar. 2. in corp. — In c. 12. primæ cor. — Ioan. 1. — Ioan. 3. — Ex D. Tho. prima ſecundæ q. 66. ar. 2. 1. & in 4tum ad Epheſ. — Matth. 25. — Epheſ. 4. — Rom. 12. — 1. Cor. 7.

in vno, quanquam non eodem tempore, esse possunt. Ex his igitur facilè colligere potes, hanc Sacramentalem, aliam ab illa Apostoli gratiam esse, neutramque superuacaneam, aut diminutam dici posse: quin potiùs hanc quidem ad suam cuiq; beatitudinem esse necessariam, & sufficientē; illam verò ad salutem proximi tantùm vtilem, ac opportunam.

QVOD NEQVE PROPTER *septem dona Spiritus sancti, quamuis ad salutem sint necessaria, gratiæ Sacramentales vel diminutæ, vel superuacaneæ dici possunt.*

CAPVT NONVM.

SI multiplex gratia, quam Paulus Corinthiis enumerauit, multiplici Sacramentali gratiæ nihil omninò officit, quin quæque suum effectum sortiatur; multò minus septem dona Spiritus sancti id efficient: cùm hæc ipsa omnia nō tam ad salutem consequendam, quàm ad conseruandam eandem gratiam Sacramentalem necessaria sint: quippe sapientia, intellectus, consilium, fortitudo, scientia, pietas, ac timor Domini. Nam hisce septem donis Spiritus sancti Sacramētalis gratia conseruatur, ac quasi preciosissimus thesaurus arca signata custoditur: quibus sublatis, Sacramētalis gratia simul depereat necesse est. Neq; verò ad hæc tanta dona nobis ad beatitudinem necessaria peruenetis, nisi Sacramētalem gratiam priùs

Septem dona Spiritus sancti.

Gratia Sacramētalis cōseruatur per septem dona Spiritus sancti.

adeptus sis, aditumque tibi ad illa per eam patefeceris. Etenim hæc inter sese ita habent, vt neq; Sacramentalem gratiam sine donis Spiritus sancti conseruare, neq; dona sancti spiritus assequi sine Sacramẽtali gratia possis: quod vt paucis ostendamus, duplicẽ esse hominem scito; externum, hoc est, corporeum, & internum, id est, spiritualem, vti etiam superiùs cap. 3. de vita spirituali & corporali dictum est: de interno loquebatur Apostolus scribens ad Romanos; condelector enim legi Dei secundùm interiorem hominem: & ad Corint. de vtroq; licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur, tamẽ is, qui intus est, renouatur de die in diem. Cùm in vtroq; homine igitur sit aliqua nominis conuenientia, in vtriusque generatione, perfectione, & conseruatione, aliqua etiam esse debuit, vt est, similitudo, ac conformitas. [a] Nam homo in vita corporea dupliciter perficitur, ac conseruatur; primò quoad esse suum, deinde ad benè viuendum. Fit verò primùm septẽ modis, per generationem, nutritionem, accretionẽ, curationem, pristinarum virium restitutionem, ordinem, ac sobolis propagationem; [b] septẽ quoq; modis, qui sunt septem Sacramenta, hominem internum perfici ac conseruari necesse est, vti superiùs cap. 3. vbi ostenditur, Sacramenta esse tantùm septem, propter conformitatem & similitudinẽ, quæ est inter vitam nostram spiritualem, quæ hîc homo internus nuncupatur, & corporalem, quæ hîc homo ipse corporeus nominatur, satis & diffusè ostensum est, ita vt hîc ea repetere superfluum sit.

Duplicìter sumi hominem.

Rom. 7.

2. Cor. 4.

Homo externus dupliciter perficitur, quo ad se, et quo ad benè viuendum.

a Perficitur autem homo externus quoad se, septẽ modis

b Similiter septẽ Sacramentis perficitur homo internus.

c Ex D. Tho. 3 q. 65. ar. 1. in corp.

Ad hæc autem perficitur homo terrenus ad benè viuendum per bonos mores: quia sine illis perfectus esse nemo potest: quid enim est homo, si bonis moribus non sit ornatus: Naturale quippe est illi, & ingenitum, vt bo-

Homo externus perficitur ad benè viuendũ per bonos mores.

nis moribus imbuatur. Nam si quæq; animalia, vel rationis expertia, suos habent, seruantque mores; multò magis decet hominem, qui intelligentia ac cognitione valet, moribus, hoc est, virtutibus moralibus, ornatum esse. Horum autem loco in vita spirituali sunt septem, illa Spiritus sancti dona, quæ hominem verè perficiunt, in his, quæ ad benè viuendum pertinent: vt benè viuendo Deo semper viuant, quo modo, attende. Nam virtus moralis à more ducitur, quatenus mos naturalem quandam inclinationem ad aliquid rectè agendum significat, cui notioni & illa finitima est, quæ consuetudinem signat, quia consuetudo vertitur quodammodo in naturam & inclinationem naturę simillimam reddit. Quia verò moueri ad aliquid agendum illius partis proprium est, quam appetitu metimur, idcirco in appetitione virtutes morales inesse dicimus, quæ illam perficiũt ex ea parte, qua aliquo modo participat rationem, hoc est, quatenus apta nata est moueri per imperiũ rationis: ita etiam in renato homine se habent hæc septẽ dona diuinitus data Spiritu sancto operante. Proinde scribit D. Thomas hæc dona Spiritus sancti, se habere ad homines respectu Spiritus sancti, vt virtutes morales se habent ad vim appetitiuam respectu rationis. Virtutes autem morales habitus quidam sunt, quibus vires appetitiuæ disponuntur ad promptè obediendum rationi; ita & dona Spiritus sancti sunt quidam habitus, quibus homo perficitur ad promptè obediendum Spiritui sancto. Hoc tamen inter se differunt, quòd virtutes quidem morales (de iis autem loquimur, quæ per actiones humanas acquiruntur, quales fuère olim in multis ethnicis) ad ornamentum hominis bonumque nomen seruiunt: Sancti verò spiritus dona non modò

Ex D. Tho. prima secũdæ q. 68. ar. 4. 1.

Ex D. Tho. prima secũdæ q. 58. ar. 1. in cor.

Ex D. Tho. prima secũdæ q. 68. ar. 3. c.

Prima secũdæ q. 68. ar. 3. c.

Homo internus similiter perficitur ad bene viuendum per septem dona Spiritus sancti.

Consuetudo altera natura.

Virtutes morales quid?

Quomodo virtutes morales & dona Spiritus sancti differant.

Virtutibus moralibus etiam multi ethnici dotati fuerunt.

Omnia dona Spiritus sancti ad salutem sunt necessaria. dò ornamenta, verùm vt necessaria ad salutem omnia sunt: nam si eorum vnum desit, nihil prorsus effeceris; quinimò nec disiungi possunt, vt dicetur. Quemadmodum enim vires appetitiuæ disponuntur, per virtutes morales respectu rationis imperantis: ita vires animæ omnes disponuntur per dona respectu Spiritus sancti mouentis: atq; vt ratio nostra per prudentiam perficitur, ita per charitatem habitat in nobis Spiritus sanctus, secundùm illud; Charitas Dei diffusa est in nobis per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Quare sicut virtutes morales in prudentia inter se iunguntur: ita dona Spiritus sancti in charitate, vt qui charitatem habeat, omnia dona Spiritus sancti habeat, quorũ nullum certè sine charitate obtineri potest. Quamobrem ad eum finem consequendum septem dona Spiritus sancti omnino necessaria sunt. Ac quia ex spe charitas oritur, & spes ex fide, quatenus vna ad alteram hominẽ disponit ac præparat, per easque cum Deo primùm homo coniungitur, secundùm illud sapientis; Qui timetis Deum, credite illi, (quod de fide) & non euacuabitur merces vestra: Qui timetis Dominum, sperate in illum, (quod de spe) & in oblectatione veniet vobis misericordia: Qui timetis Dominum, diligite illum, (quod de charitate dictum puta) & illuminabuntur corda vestra. Propterea rectè docẽt sacri Theologi, has tres virtutes (quę Theologicæ appellantur, quia Deum immediatè pro obiecto habeant) à septem Spiritus sancti donis tanquã radices ac fundamẽta præsupponi, ita vt hæc dona omnia ad has tres virtutes, quasi quasdã deriuationes pertinere dicant; vniri verò ac connecti in ipsa charitate virtutum omnium suprema. Proinde inquit Apostolus; Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc: maior

Qui charitatẽ habet, omnia dona Spiritus sancti habet.

Origo charitatis.

Virtutes theologicæ sunt deriuationes & fundamẽta donorum Spiritus sancti.

Ex D. Tho. prima secũdæ. q. 68. ar. 5. c.

Rom. 5.

Ex D. Tho. prima secũdæ q. 68. ar. 2. c. & ar. 3. 1.

Ex D. Tho. prima secũdæ q. 6. ar. 6. 3. & q. 68. ar. 4. tertiũ. & in cap 13. cor. primę.

Eccl. 2.

Ex D. Tho. in corp. 13. primę cor.

1. Cor. 13.

maior autem horum est charitas, sine qua nemo sperat, nemo credit, nemoque Spiritus sancti dona adipiscitur; sine quibus omnibus saluari quis non potest; vt sigillatim ostendemus. Nam de sapientia ita loquitur sapiens; *Absque charitate nemo sperat, neque credit.*
Sap. 7. Neminem diligit Deus, nisi eum, qui cum sapientia inhabitat. De intellectu Propheta regius; Da mihi intel-
Psal. 118.
Eccl. 21. lectum Domine, et viuam. De consilio sapiens; Consilium sapientis, sicut fons vitæ permanet, ac paulò pòst;
Eccl. 22. Sicut loramentum ligneum colligatum in fundamento ædificij non dissoluetur: Sic & cor confirmatum in cogitatione consilij. De fortitudine Princeps Aposto-
1. Pet. 5. lorum; Sobrij estote, & vigilate, quia aduersarius vester Diabolus tanquam Leo rugiens circumit, quærens quē deuoret, cui resistite fortes in fide. De scientia Aposto-
Phil. 3. lus; Existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei; cuius rei
1. Cor. 2. causam assignat, cùm ait; Nihil reputaui me scire nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum. Idcirco dixit
Phil. 1. alibi; Charitas vestra magis ac magis abundet in omni scientia, & in omni sensu, vt probetis potiora, vt sitis synceri, & sine offensa in diem Christi, repleti fructu iustitiæ per Iesum Christum. Nam quid prodest homini,
Esa. 5. si sine scientia operetur? Propterea captiuus ductus est
1. Cor. 14. populus, quia non habuit scientiam: Si quis enim igno-
Rom. 10. rat, ignorabitur. Ideo Apostolus rectè monet Romanos, quòd æmulationem quidem haberent, sed non secundùm scientiam. De pietate idem Paulus Apostolus;
1. Tim. 4. Exerce teipsum ad pietatem. Nam corporalis exercitatio ad modicum vtilis est; pietas autem ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ.
Eccl. 1. De timore Domini sapiens; Timenti Dominum bene erit in extremis, & in die defunctionis suæ benedicetur;

Et

Et infrà: Timor Domini expellit peccatum: nam qui sine timore est, non poterit iustificari. Vides itaq; quòd hæc septem dona Spiritus sancti ad salutem, beatitudinemque omnino necessaria sunt. Nec propterea manca, atq; imperfecta existimanda est Sacramentorũ multiplex gratia, quoniam hæc simplicem hominis spiritualis essentiam spectat: at dona illa Spiritus sancti hominem iam Christianum ac spiritualem ad benè viuẽdum instituunt, informantque, vt in via Domini rectè ambulet, ac gratiam, quam ex Sacramentis adeptus est, sine macula custodiat. Idcirco scribit D. Thomas; Dona Spiritus sancti esse habitus quosdã perficientes hominem, vt promptè sequatur institutum Spiritus sancti: sicut virtutes morales perficiunt vires appetitiuas ad obediendum rationi. Quid enim homini, qui iam baptizatus, aut confirmatus, aut à peccatis absolutus sit, aut sacram Eucharistiam ceperit, aut se matrimonio vinxerit, aut ordines susceperit, aut extremum vnctionem acceperit, Sacramentalis gratia prosit, nisi hæc septem Spiritus sancti dona sint illi adiumẽto, non vt suppleatur gratiæ Sacramentali, quasi aliqua in parte deficiat, imperfecteq; saluti nostræ prouideat, sed vt in ea ad extremum vitę spiritum vsque conseruetur? Sunt itaque hæc septem Spiritus sancti dona ita omnia ad hominum salutem necessaria, vt gratia Sacramentalis in nulla re manca & imperfecta dici posit, quia ad hanc ipsam conseruãdam tantùm Spiritu sancto duce obtinentur, sine quibus illa profectò absq; labe custodiri nequit, ac retineri.

Definitio donorũ Spiritus sancti.

Prima secũdæ q. 68. ar. 4. c.

DE

DE BAPTISMO
PROEMIVM.

De Presb. nõBap.c.3.

BAptiſmum, cùm ſit primus aditus ad Sacramenta alia omnia, ac fundamentum, ſine quo nullum ſuſcipi Sacramentum poteſt, (vbi enim fundamentum abeſt, quicquid extrues, inane fuerit, ac ruinæ proximum) nemoque poſt vitam cum morte commutatam ad beatorum domicilium hinc euolare ſine illius ope & adminiculo queat, Chriſto ipſo teſte; Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei: Orthodoxa ac Catholica docet Eccleſia mortalibus ad alia Sacramenta planè neceſſarium eſſe, vt ad illam beatam vitam, quæ perpetuo æuo cum diuinis mentibus traducitur, quæq; omnis miſeriæ ac doloris expers eſt & vacua, migrare poſſint. Hinc illa eſt D. Auguſtini ſententia; Neceſſarium eſt viſibile Sacramentum aquæ ad ablutionem viſibilis corporis; ſicut neceſſaria eſt doctrina inuiſibilis fidei ad ſanctificationem inuiſibilis animæ. Adultis tamen, quos mors præuertit, ad conſequendos Baptiſmi fructus, ſatis fuerit optimè affecta voluntas; vt vox illa D. Ambroſij de Valentiniano Imperatore teſtatur, qui adhuc cathecumenus inter viuos eſſe deſierat; Quem regeneraturus eram amiſi: veruntamen ille gratiam, quam propoſuit, non amiſit. Quia verò in recta, ac legitima Baptiſmi ſuſceptione, (quod de cæteris quoq; Sacramentis dicendum eſt) à Deo Opt. Max. gratiam

Baptiſmus fundamentum Sacramentorum.

Abſq; Baptiſmo nemo poteſt ſaluus fieri.

Ioan. 3.

Super Ioã. de con.d.4.

Tom. 5. in oratione de obitu Valentiniani Imperatoris.

gratum facientem; non modò ex opere operato, id est, ex Sacramenti ipsius applicatione, ac susceptione conferri censemus; verùm etiam ex opere operante, hoc est, ex optima voluntate, religione, & alia bona quacunque animi affectione, Sacramentum suscipientis, aut administrantis, seu astantium etiam, quid annexum baptismatis effectui, pro maiori vel minori pietatis, ac religionis intentione, suscipienti magis minusque impetrari credimus: Idcirco Sacerdotes illud inprimis curent, quàm diligenter fieri potest: vt hoc atq; alia quæuis Sacramenta, magna cum religione ac sanctimonia, cærimoniis omnibus ritè seruatis, administrent, & conficiant, astantes pro viribus, cùm re, tùm verbis, ad pietatem, cultumque diuinum exhortentur & inflamment: admoneantque illos, vt pro eo, qui Sacramentum suscepturus est, supplices Deũ orent, ac precentur: risum denique, cachinnos, aliaque id genus multa: quæ vel pietati ac religioni aduersantur; vel diuinam offendũt maiestatem; vel templa Deo sacra minus decent, prohibeant.

Sacramẽta summa deuotione sunt conficienda.

Ex 3. p. D. Tho. q. 64. ar. 1. 2. & ex 4. d. 5. q. 2. ar. 3. q. 3.

DE BAPTISMI DEfinitione.

CAPVT PRIMVM.

SOlent quidem exactæ rerum definitiones, genere, & differentia (vt in scholis loquuntur) constare; pleniores tamen & clariores descriptiones, non ab eo tantùm, in quo res cõsistit, sed ab eiusdem quoq; & causis, & effectibus pe-

ti solent, ex quo fit vt varij scriptores (id quod & in alijs quoq; tradendis contingit) alia atq; alia ad Baptismum spectantia considerantes, varias eiusdem descriptiones proposuerint.

Propter diuersas rationes, à diuersis diuersimodè Sacramentum Baptismi describitur.

In sacris itaque Canonibus ita Baptismum describi legimus: Est Sacramentum fidei, contra peccatum originale. Sunt quidem & alia Sacramenta, communi quadam ratione fidei signa & protestationes, proinde fidei Sacramenta omnia dici possunt; est tamen Baptismo peculiare, quòd in ipso fidem suscipere, & constanter retinere nos velle, protestamur. Quare Baptismus ratione quadam peculiari, Sacramentum fidei vocatur. Est autem Baptismi finis, propter quem proximé institutus est, peccati originalis remissio; non quidem quòd actualia quoque, si reperiat, non remittat, sed quia ipsius collatione, originalis deletio præcipuè intenditur. Vnde iis, quibus originale semel per virtutem Sacramenti remissum est, denuò non applicatur; etiamsi actualibus peccatis, quantumuis premantur; iis verò, quibus originale inest, etsi actualibus careant, legitimè confertur.

De consf. d. 4. c. regenerante.

Definitio Baptismi ex sacris Canonibus.

Baptismus nũcupatur Sacramentum fidei.

Finis Baptismi est præcipuè originalis peccati remissio.

Originale peccatũ semel remissũ denuò non imputatur.

Magister sententiarum Baptismum aliter definit. Est (inquit) ablutio corporis exterior, facta sub præscripta verborum forma. Quæ quidem definitio ex propriis traditur, ex materia scilicet & forma: nametsi aqua dici soleat remota Baptismi materia, proxima tamen est ipsa ablutio aqua facta; additur autem exterior, ad differentiam ablutionis interioris, quæ fit per Sacramenti gratiam. Forma verò Baptismi proprio verborum sensu consistit, vt suo loco fusiùs dicemus; proinde Magister addidit in prædicta sua definitione, sub præscripta verborum forma.

In 4. d. 3. c. 1.

Definitio Baptismi ex Magistro sent.

Forma Baptismi consistit in sensu verborum.

Baptismi definitio ex Hugone. Similis est illa Hugonis definitio; Baptismus (inquit) est aqua diluendis criminibus per verbum Dei sanctificata: quæ quidem definitio desumitur à materia remota, scilicet aqua. A b effectu, (diluit enim crimina, primò quidem originale, tùm etiam alia, si inueniat) & à forma, verbo nempe Dei, quo vt propria ipsius forma Baptismus completur. Ex Hugone li. 2. de Sacramentis. p. 6. c. 2. in princ.

Ex Damasceno alia colligitur descriptio, à variis Sacramenti effectibus præcipuè desumpta: Est (inquit) Baptismus, per quē primitias Spiritus sancti accipimus: est principium alterius vitæ, regeneratio, & sigillum, & custodia, & illuminatio. Baptismo proprium est, vt primo loco fidelibus conferatur, eoque Spiritus sancti inhabitantis, prima initia accipiamus: id quod Dam. nomine primitiarum intelligit; nam etsi in sacris literis primitiæ Spiritus dicantur, excellentia illa dona, quæ Deus Opt. Max. electis illis primitiux, & iam nascentis Ecclesiæ olim contulerit (sed & nos ipsi, inquit Paulus, primitias spiritus habentes, & ipsi intra nos gemimus) accommodatè tamen initia Spiritus in quolibet fidelium inhabitantis, primitiæ dicuntur; siue à primitiis frugum, quarum in sacra pagina frequens fit mentio, siue à nascentis Ecclesiæ primitiis analogiam sumamus; nam sicut primitiæ frugum copiosiorem messem iam instantem indicant, ita etiam dona Baptismi fidei & virtutum fructum, bonorumque operum exercitium, iam mox expectandum præmonent. Rursus sicut primitiæ Spiritus, quæ in exordio nascentis Ecclesiæ copiosiùs à Deo hominibus conferebantur, longè excellebant (quanquam tamen nullo unquam tempore, quantum satis est, suis Deus negauit) ita etiā copiosior passionis Christi in Baptismo fit applicatio, quàm in cæteris fidei nostræ mysteriis: vt nempe per Baptismum pecca-

Definitio Baptismi ex D. Damasceno. — Lib. 4. c. 10.

Cur dicitur Baptismus primitias Spiritus sancti conferre

Rom. 8.

Exord. 12. Leuit. 4. Numer. 5. & Deut. 12.

In Baptismo tolluntur plenariter

ta

ta omnia, & quoad culpã, & quoad pœnam, & omnem satisfactionis obligationem plenissimè tollantur. Est etiam Baptismus alterius vitæ principiũ; quia per ipsum in Sanctorum album veluti inscribimur, primaque vitæ æternæ pignora, fidem, spem, & charitatem primùm accipimus. Sed & natura, qua ex Adam nascimur. Vt ait sanctus Paulus: Omnes nascimur filij iræ; nullis proinde, nisi renatis, & quasi regeneratis, ad cœlorum regnum patet aditus; vt Christus Dominus ipse testatur; Nisi quis (inquit) renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Quare per aquam Baptismi fit hæc regeneratio; illoque initiati iam non ex hominibus, nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt; ab eo igitur, quod efficit ipse Baptismus, dicitur regeneratio. Porrò Baptismus caracterem imprimit; quo veluti sigillo quodam insigniti, ad Christi gregem spectare dignoscimur: hinc est quòd Baptismus sigillum vocatur. Quoniam autem ex sigillo maximè notum est, quid sit vniuscuiusque: eoque fit, ne alienus in potestatem redigat, quod suum non est, sigillo cuique suum quodammodo custoditur: cùm igitur Baptismi charactere signati, Deo veluti custodimur, aptè custodia appellatur. Accedit etiã, quòd gratia Baptismi muniti, arma, quibus à potestate antiqui hostis & peccati nos custodiamus, accepimus; loricam nimirum iustitiæ, galeam salutis, & scutum fidei, in quo poterimus omnia tela nequissimi ignea extinguere. Dicitur denique Baptismus iure optimo illuminatio; quia nempe fidei per Baptismum infusæ lumine, mens ita illustratur, vt discat virtutem sequi, vitium vitare, terrena desipere, cœlestia sapere, præsentia, vt momentanea despicere, futura, vt æterna amare & concupiscere.

omnia originalia & actualia delicta.

Cur dicitur Baptismus principium alterius vitæ.

Cur dicitur regeneratio

Per Baptismum ad regna cœlorũ patet aditus.

Cur sigillũ.

Cur custodia.

Cur illuminatio.

Ephes. 2.

Ioan. 3.

Io. primo.

Ephes. 6.

Baptiſmi definitio ex D. Dionyſio Areop.

Sed & aliam Baptiſmi definitionem à diuo Dionyſio nobis traditam accepimus: Baptiſmus, inquit, eſt principium quoddam ſanctiſſimorum mandatorum ſacræ actionis, & aliorum diuinorum eloquiorũ, & ſacrarum actionum; ad eorum ſuſceptiuam opportunitatem formãs noſtros animales habitus, ad ſupercœleſtis quietis anagogem, noſtrum iter faciens; ſacræ & diuiniſſimæ noſtræ regenerationis traditio. Donis Dei & hominum hoc intereſt, quòd ex donatione quidem hominum ius rerum acquirimus; ex donis verò Dei, & ius rerum, & recta diſpoſitione, res ipſas adeundi facultatem. Eſt autem Baptiſmus principium quoddam Chriſtianiſmi, eorum quæ fidelibus diuino eloquio promittuntur, & aliorum Sacramentorum veluti ianua. Quare per Baptiſmum homo acquirit ius quoddam ſanctiſſimorum mandatorum ſacræ actionis, id eſt, ad ſacram conſecrationem ſuſcipiendam, aliaque gerenda, quæ in ſacroſancti ſacrificij adminiſtratione obſeruanda traduntur. Acquirit etiam ius aliorum diuinorum eloquiorum, eorum ſcilicet, quæ diuino verbo fidelibus promittuntur; & aliarum ſacrarum actionum, quæ nempe in Sacramentorum adminiſtratione, & alijs Eccleſiæ ritibus exercentur. Nec verò ius tantùm ſacrorum confert Baptiſmus, ſed ad eorum ſuſceptiuam opportunitatem, format animales noſtros habitus, hoc eſt, gratia in Baptiſmo collata, ſenſuales noſtras inclinationes, nobis cum brutis animalibus communes, ijs maximè, quæ ſenſibus percipiuntur, alioquin deditas, ita componit, vt reliqua Sacramenta ſuo tempore ſuſcipere dignè poſſimus. Iter prætereà facit ad excellentem illam æternæ vitæ anagogem, & contemplationem; quia gratiam primò confert, vitæ æternæ pignus. Quomodo

Eccl. Hierarch. c. 2.

Dona DEI & hominũ differunt.

Baptiſmus eſt aliorum Sacramẽtorũ ianua.

Poſt Baptiſmum reliqua Sacramenta ſuo tempore dignè ſuſcipere poſſumus.

modo tandem ſit Baptiſmus regenerationis traditio, ſatis patet ex his, quæ paulò antè dicta ſunt: quia nimirum eſſe ſpirituale & filiorum Dei nobis iam prius ex Adam natis confert.

Sed vt huic capiti finem imponamus, poteſt & ita definiri Baptiſmus: Eſt nouæ legis primum & maximè neceſſarium Sacramentum, ex ablutione corporis exteriore, & legitima verborũ enuntiatione, iuxta Chriſti inſtitutionẽ conſiſtens, quæ quidem definitio ſumitur à materia, forma, & cauſa efficiente, qui eſt Chriſtus Dominus. Et demum à communi quadam differentia qua ad alia Sacramenta comparatur. Dicitur igitur primum Sacramẽtum, quia aliud Sacramentorum non poteſt ante Baptiſmum ſuſcipi; dicitur etiam maximè neceſſarium, quia ſine aliis Sacramentis multi ſalutem conſequi poterunt, & conſequuntur; ſine Baptiſmo verò nulli patet ad cœlos aditus; dicente Chriſto: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, nõ poteſt introire in regnum Dei. Cætera autem, quæ ad maiorem huius definitionis explicationem deſiderari poſſunt, ſatis apertè ex his, quæ ad aliarum deſcriptionum expoſitionem attulimus, colligi poterunt.

Alia Baptiſmi definitio ex materia, forma, & cauſa efficiẽte collecta.

Cauſa efficiens Baptiſmi eſt CHRISTVS.

Nullum Sacramentorum ante Baptiſmũ ſuſcipi poteſt.

Sine Baptiſmo nulli patet ad ſuperos aditus.

TESTIMONIA EX SACRIS literis petita ad Baptiſmum approbandum.

CAPVT SECVNDVM.

Ioan. 3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.

Item,

Item, Apostoli Domino præsente baptizabant. Ioan. 4.

Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, in nomine Patris, & filij, & Spiritus sancti. Matth. 28.

Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Marci 16.

Baptizetur vnusquisque vestrum, in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus sancti. Actor. 2.

Item, baptizati sunt Samaritani, viri, ac mulieres. Actor. 8.

Item Ephesij. Actor. 19.

Item, Eunuchus, qui erat super omnes gazas Reginæ Æthiopum. Actor. 8.

Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus; consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem: vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris: ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Rom. 6.

Quicunque enim in Christo baptizati estis; Christum induistis. Gal. 3.

Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea: vt illam sanctificaret: mundans eam lauacro aquæ, in verbo vitæ. Ephes. 5.

Secundùm misericordiam suam saluos nos fecit, per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abundè, per Iesum Christum saluatorem nostrum: vt iustificati gratia ipsius, hæredes simus, secundùm spem vitæ æternæ. Tit. 3.

QVÆ-

QVÆNAM SIT BAPTISMI materia, quæ forma, qui ministri, qui effectus.

CAPVT TERTIVM.

Baptismi materia, diuina institutione, est aqua vera, elementaris, ac simplex, secundùm illud Christi; Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c. quæ multiplices ob causas, ac rationes accommodatissimè à Saluatore nostro ad hoc instituta fuit: & primò quantum ad ipsam rationem baptismatis, quod est regeneratio in spiritualem vitam, quod aquæ maximè congruit: Vnde & semina, ex quibus generantur omnia viuentia, veluti plantæ, herbæ, & animalia, humida sunt, & ad aquam pertinent, vt propterea quidam Philosophi, omnium rerum principium aquam posuerint: secundò ad indicandũ Baptismi effectum, quem aqua suapte natura demonstrare videtur; vt enim aqua corporis sordes eluuntur; ita Baptismo omnes animi maculæ vanescunt: vtque aquæ frigiditate, caloris ardor & æstus temperatur; ita Baptismi virtute præcipites ardentis libidinis cupiditates coercentur atq; extinguuntur; Tertiò, quia congruit ad repræsentanda Christi mysteria, quibus iustificamur. Nam, vt bene ait D. Io. Chrysost. super illud Ioan. 3. Nisi quis renatus, &c. In hoc diuina consummantur iudicia, sepultura, mortificatio, resurrectio, vita, & hæc simul omnia. In aqua enim tãquam in sepulchro caput immergentibus vetus homo sepelitur, emergentibus nouus resurgit inde; vt facilè nobis est im̃ergi, & emer-

Ioan. 3.

Materia Sacramenti Baptismi.

Ex D. Tho. 3. q. 66. ar. 3. in corp.

Aqua commodè ponitur pro materia Baptismi ad repræsentãda Christi mysteria.

Homil. 24. in Ioan. Tomo tertio.

ſos reſpirare, ita Deo veterem ſepelire hominem, & nouum induere. Eſt autem & illa vna ex potiſſimis cauſis; quòd cùm Baptiſmus ſit Sacramentum neceſſitatis, materiam quoq; maximè promptam, ac paratam haberi neceſſe eſt. Nam aqua vbique gentium facilè reperitur, magnaq; apud omnes eſt ipſius aquæ copia; Nec refert ſiue illa ſit maritima: ſiue ex fonte, aut imbribus, aut fluuio hauſta: ſiue ex niuibus, vel glacie expreſſa, atque liquata, licet etiam impura, ac lutulenta, aquæ ſpeciem modò retineat: quia neceſſitate ita cogente, ad Baptismum obeundũ ſemper huiuſcemodi quæuis aqua idonea, & apta eſt. Aliàs autem ob tanti ſacramenti maieſtatem, aqua pura, nitenti, ac munda eſt vtendum; ſecundùm illa Apoſtoli verba; Accedamus cum vero corde, in plenitudine fidei, aſperſi corda à conſcientia mala: & abluti corpus aqua munda. Nihil autem intereſt frigida ſit, an calida.

D. Tho. opus. 65. de off. Sac. c. 2. 3. q. 66. ar. 4. c.

In neceſſitate qualibet aqua naturalis, dummodò ſpeciem aquæ nõ amiſerit, eſt conueniens pro mã huius Sacramenti.

Heb. 10.

Cõc. Flor. de Sacr. in Verb. primum Sacramẽtum.

Annotatio in materiã Baptiſmi.

Eccleſia verò noſtra Catholica propter Baptiſmi magnitudinem, reuerentiam, atq; dignitatem, ad excitandam in hominũ animis religionẽ, ad cacodæmonisq́ue inſidias uitãdas, Baptiſmi fructibus ne impedimento ſit; ex antiqua, laudabili, diuturna, ac generali cõſuetudine, ab Apoſtolis ipſis Spiritu ſancto duce nobis quaſi per manus tradita: hanc aquam in materiam Baptiſmi aſſumendam ſingulari religione, præclariſq́ue cærimonijs, benedici inſtituit: idq́; vt ſeruaretur in omnibus nominis Chriſtiani regionibus, decreuit, vtq́; ſinguli hac aqua benedicta baptizarentur; niſi ita mors immineret, vt præſtò illa eſſe non poſſet, imperauit. De qua quidem re magnus Baſilius in hæc verba loquitur. Conſecramus autem aquam baptiſmatis, & oleum vnctionis: prætereа ipſum, qui Baptiſmum accipit; ex quibus

De Spiritu ſancto c. 27.

quibus ſcriptis? Nonné à tacita, ſecretáque traditione? Ipſam verò olei inunctionem, quis ſermo ſcripto proditus docuit? Iam ter immergi hominem, vnde eſt traditum? Reliqua item, quæ fiunt in Baptiſmo: veluti renunciare Sathanæ, & angelis eius: ex qua ſcriptura habemus? Nonné ex priuata, & arcana traditione? Nonné ex doctrina, quam Patres noſtri in ſilentio, quod curioſos, & otioſos ſubmouet, ſeruârunt?

Forma eſt eius modi; Ego te baptizo in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti. Quam formam Sacramenti huius inſtitutor ipſe, Dominus noſter Ieſus Chriſtus tradidit, Apoſtolosque ſuos hiſce verbis docuit; Euntes docete omnes gẽtes: baptizantes eos in nomine Patris, & filij, & ſpiritus ſancti. Nec ab re: nam cùm Baptiſmus per ſuam formam conſecrari debeat, ſecundùm illud Apoſtoli; Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, oportet vt in forma baptiſmi eius cauſa exprimatur, quæ eſt duplex, vna principalis, à qua virtutem habet, quæ eſt ſanctiſsima Trinitas, & altera inſtrumentaria, videlicet miniſter, qui exterius confert Sacramentum. Vtraque autem in ea ipſa forma exprimitur: priùs inſtrumentaria cùm dicitur; Ego te baptizo: deinde principalis, ibi, in nomine Patris, & filij, & ſpiritus ſancti: Proinde hæc forma Baptiſmo conueniens eſt. Quibus verbis addi etiam communiter ſolet, particula; Amen; quæ cùm de neceſſitate ipſius formæ non ſit, ſi prætermittatur, effectus tamen baptiſmi non propterea impeditur: etſi malè facit baptizans, qui eam prætermittit, vbi, ab Eccleſia in vſum recepta eſt.

Forma Sacramenti Baptiſmi.

Matth. 28. Eph. 5. Ex D. Tho. 3. p. q. 66. ar. 5. c.

Animaduertat autem baptizans cùm baptizat, vt baptizandum non aqua ſolùm aſpergat, vel in aqua immergat, aut aquam in eum effundat, in nomine Patris, & filij, & ſpiritus ſancti, ſed dum hoc facit, vt etiam for-

Annotatio in formã Baptiſmi.

mam ipsam simul exprimat, videlicet; Ego te baptizo, in nomine Patris, & filij, & spiritus sancti, Amen. Alioqui nullus sequetur effectus. Hinc ait D. Thomas: Si non exprimatur actus baptismi vel per modum nostrũ, vel per modũ Græcorum, non perficitur Sacramentum, secundùm illam Dec. Alex. Si quis puerum ter in aqua immerserit in nomine Patris, & filij, & spiritus sancti, Amen, & non dixerit: Ego te baptizo in nomine Patris, & filij, & spiritus sancti, Amen, non est puer baptizatus.

Nisi exprimatur act9 Baptismi, non perficitur Sacramentum.

3. p. q. 66. ar. 5. c. 2.

De Baptismo & eius effectu cap. 1.

Quòd si ob latini sermonis imperitiam, aut aliud quoduis linguæ vitium, hæc ipsa conferendi baptismi verba à sacerdote, vel ab alio baptizante, corrumpi, aut immutari contingeret, veluti si diceret, Ego te baptizo, in nomini Patrem, & filium, & spiritum sanctum. Vel ego te baptizo in nomine Patr, & filij & spirit sancti, aut aliis similibus verbis incongruè, vel truncatè prolatis; Sacramento tamen hoc nihil nocuerit, modò sententia ipsa constet, ac firma baptizandi voluntas adsit. Tunc autem constare sententia, & non imutari dicitur: cùm in fine vocum duntaxat fit error: quia licet mutatio finis aliquo modo conexionem sententiæ variet, non tamen sententiam ipsam commutat: at comutatio principij (præsertim si sit frequens) ita variat sententiam: vt locutionis significationem prorsus tollat, quòd si sententia aliquo modo constet; tunc licet verba, quoad sonum, & oris prolationem commutentur: locutionis tamen significatio fuisse commutata non dicetur: quia quãuis oratio ineptè prolata, & corruptis syllabis expressa, nihil significet, ex vera hominum impositione, valet tamen ex vsu accommodato.

Verba incõgruè vel truncatè à baptizãte prolata, modò sententia constet, & voluntas baptizandi adsit, non tollũt effectũ.

Quando sententia forma baptismi constare dicatur.

De consl. d. 4. c. Retulerunt.

Ex D. Tho. 4. d. 3. ar. 2. q. 2. sextũ.

Si quis item per imprudentiam aliquid, quod non esset de essentia formæ, omitteret; vt exempli causa: dictio-

Imprudenter aliquid omissum, es-

Ex D. Tho. 3. q. 66. ar. 5. c.

dictionem, Ego, (quæ ad clariorem voluntatis significationem additur) non propterea tamen vim sententiæ debitam tolleret: Sacramentumque irritum faceret: vitio tamen alioquin (si id negligentia accideret) esset illi peccatoque vertendum, quòd si ex contemptu fiat, acerrimè puniendus est.

Ex D. Tho. 3. q. 60. ar. 8. c.

Sententiæ formæ nō tangens Sacramentum nō facit irritū.

At si quidpiam eorum, quæ de formæ substantia sunt, quomodocunque subticeret: tunc dubio procul verborum, sententiæque totius significationem tolleret, ac Sacramentū ipsum nullum esset. Hoc Didimus etiam in lib. de Spiritu sancto præclarè testatur: inquit enim; Si quis ita baptizare conetur: vt vnum de prædictis nominibus prætermittat, (scilicet, Patris, & filij, & spiritus sancti) sine perfectione baptizabit.

Minimū ad formæ substantiā pertinens omissum, Sacramenti efficaciā impedit.

Didimus in lib. de S. S.

Quòd si aliquid aliud, quod debitam verborum significationem non tollat, in principio, aut in medio, aut in fine, huic formæ adderetur: veluti si diceretur: Ego te baptizo in nomine patris omnipotentis, & filij eius vnigeniti, & sancti spiritus paracleti. Vel, ego te baptizo in nomine patris, & filij, & spiritus sancti: ac beata Virgo, aut aliorum Sanctorum aliquis tibi sit adiumento; nihilominus Sacramenti veritas integra adhuc esset, ac perfecta. Quæ tamē verba, vel alia similia baptizans supradictæ baptismi formæ etiam deuotionis gratia addere non debet, sed præscripto Ecclesiæ se quisque debet integrè accommodare.

Præscripto Ecclesiæ quisq; se accommodare debet.

At verò si eiusmodi adiunctio quidpiam immineret, debitamque verborum sententiam corrumperet; hæc Sacramenti prorsus tolleret veritatem, nullumque esset Baptisma: qualis illa Arrianorum est; Ego te baptizo in nomine Patris maioris, & filij minoris, & spiritus sancti à Patre dūtaxat descendētis. Vel, ego te bap-

tizo in nomine Patris, & filij, & spiritus sancti, ac beatæ Virginis Mariæ, aut alterius Sancti, contra id, quod ab Apostolo scribitur; Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est; aut in nomine Pauli baptizati estis? Ex his igitur manifestè colligitur varijs quidem verborum formulis, Sacramentum effici posse, vt tamen certa sit omnibus Sacramentorum administrandorum ratio, certæ quædam verborum formę, Ecclesiæ auctoritate pręscribuntur, quæ quidem, etsi non ex necessitate Sacramenti, ex necessitate tamen præcepti (vt in Scholis loquuntur) cuiq; pro locorum varietate sine vlla additione, imminutione, aut quacunq; tandem mutatione obseruãdæ sunt; Latinis quidem hæc forma præscribitur. Ego te baptizo in nomine Patris, & filij, & spiritus sancti. Grӕcis verò hæc: Baptizetur seruus Christi in nomine Patris, & filij, & spiritus sancti, nam & hac quoq; verborũ forma verum efficitur Baptisma, quoniam cùm principalis causa, ex qua Baptismus virtutem habet, sit sancta Trinitas, instrumentalis autem sit minister, qui tradit exterius Sacramentum, si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministrum, cum sanctæ Trinitatis inuocatione, perficitur Sacramentum. At nobis Latinis sine grauissimo peccato hac orientalis Ecclesiæ forma, quemadmodum & Græcis nostra, vti non licet; quia hoc esset Ecclesiæ suæ ritum peruertere: veluti de conficienda sacra Eucharistia in azimo, vel fermentato sub finem vlt. sess. Conc. Flor. expresse habetur. Cæterùm prædictæ iam formæ ex præscripto Ecclesiæ seruãdæ sunt, quando solemniter fit Baptismus, (semper autẽ, nisi necessitas aliud postulet, solemniter fieri debet) vbi tamen (vt fit) infantibus mox natis mortis periculum impendet, ita vt non possent, quæ ad solemnitatem requi-

1. Cor. 1.

Forma baptizandi ex præscripto Ecclesiæ occidentalis.

Forma baptizandi ex præscripto Ecclesiæ orientalis.

Ex Conc. Flor. post verb. primum Sacramẽtum.

Latinis sine grauissimo peccato forma Græcorũ vti nõ licet: & è contra.

requiruntur, expectari, non facit contra præceptum Ecclesiæ, qui forma, quam alioquin norit, baptizat: ne tamen rudiores in simili casu, eam formam adhibere tentent, quæ ad Sacramentum efficiendum non est valida, vel omnino cùm ea de re nihil sciant, non sine æterno moribundi malo, nihil agant, atq; etiam vt, quantum fieri potest, Ecclesiæ suæ ritum, etiam tempore necessitatis quisque retineat. Parochis incumbit, vt suos, maximè autem obstetrices, quæ plerunq; hisce periculis intersunt, edoceant, qua tandem ratione baptizent, vt vrgente necessitate vernacula saltem lingua Sacramentum ritè conferant.

Ex Con. Flor. in d. verb primũ Sacramentum. Isido d. off lib. 2. c. 21. et habetur de Cons. d. 4.

Minister Sacramenti Baptismi.

Minister baptismi Sacerdos est, cui baptizandi munus officij iure, ac dignitatis est tributum: si tamen res vrgeat: Diaconus quoq; ac Clericus quilibet, aut Laicus, id genus officij obire potest; Proinde ait Isidorus; Constat Baptisma à solis Sacerdotibus esse tractandum, eiusque mysterium, nec ipsis Diaconis explere est licitum, absq; Episcopo, vel Presbitero: nisi his procul absentibus, vltima languoris necessitas cogat: quod & Laicis fidelibus plerunq; permittitur.

Licet minister ordinariꝰ Baptismatis sit Sacerdos, attamen casu necessitatis quilibet baptizare potest.

Annotatio in ministrũ Baptismi.

Quoniam autem, si Sacramentorum omnium habeatur ratio, baptismus maximè necessarius est: vt quo homines ad aliam vitam longè meliorem, (spiritualem scilicet) quasi iterum nasci Christo dicuntur: ac sine quo puerorum saluti consuli non potest: idcirco ne quis re tàm necessaria, ac salutari deficiente, magnã salutis, vitæque beatæ iacturam faciat: prudenter à Patribus nostris, viris sapientissimis, ac spiritu diuino afflatis, iuxta Christi Domini nostri institutionem nobis traditum est; vt non modò materia Baptismi cõmunis esset, quippe aqua, quæ omnibus, etiamsi extremos orbis terræ fines

nes petas, in promptu est, ac præ ma nibus: sed vt minister ipsius etiam, cùm res ita ferret, quicunq; esset, vel nullis sacris initiatus: non tantùm fidelis, ac Catholicus, sed etiam hęreticus quoq;, Schismaticus, Iudęus, & infidelis quicunq;, seu ille vir, seu mulier fuerit: cùm dicat Apostolus, masculi & fœminæ in Christo distinctionem non esse; dummodo vera adsit, ac syncera baptizandi voluntas, debitaque verborum Euangelicorum forma seruetur. Nam (vt inquit Isidorus) hominem non iudicamus, qui baptizat; sed spiritū Dei subministrare gratiam baptismi, licet paganus sit, qui baptizat. Vbi tamen Sacerdos accersiri potest, eo præsente, Diaconus; aut præsente Diacono, alius inferior clericus gradatim: aut præsente clerico Laicus, aut præsente viro mulier; aut præsente Catholico, hæreticus, vel Schismaticus, aut præsente Christiano, infidelis, vel Iudæus, ad tanti Sacramenti administrationem ne admittatur.

Haeretici etiam & gētiles syncera baptizādi voluntate seruata debitaq; verborū forma, absentibus Sacerdotibus & secularibus Catholicis, id genus officij obire possunt.

D. Aug. de Bapt. & de Conf. d. 4. c. Solet. Itē & Conc. Flo. & Cō. Trid. Sess. 7. c. 4. de Bapt. Gall. 3.

De Conf. d. 4. Romanus

Effectus baptismi sunt dignitate, & vtilitate quàm amplissimi. In Baptismo enim nō originalia solùm: sed quæcunq; voluntaria etiam peccata (si quæ in adultis fuerint reperta) cum omnibus pœnis propter ipsa peccata debitis remittuntur, ac condonantur. Baptizati deinde ita Christo coniunguntur: vt vera membra corporis eius sint, atq; habeantur. Postremò Deo conciliantur: vt in eo liberati ac redempti viuant, conseruentur, diuinoque illustrentur lumine, & filij Dei nominētur, ac sint. Hinc Conc. Tridentin. per Baptismum enim Christum induentes, noua prorsus in illo efficimur creatura, plenam & integram peccatorum omnium remissionem consequentes: Hos autem Baptismi fructus satis superque materia huius Sacramenti aperit nobis, atque demonstrat; quare non est, cur pluribus

Effectus Sacramenti Baptismi. Per Baptismū omnia peccata originalia & actualia cū omnibus pœnis tolluntur.

De Conf. d. 4. c. Regenerante.

De Conf. d. 4. c. Ad hoc

Sess. 14. c. 2. doctr.

ribus verbis oſtendamus:quænam inde commoda aſſequamur.

DECRETA A PAROCHIS in Baptiſmi adminiſtratione ſeruanda.

CAPVT QVARTVM.

Baptiſmalis ablutionis ordo, & modus agendi requirit: vt Sacerdotes, Parochi præſertim, ea, quæ proximè ſequuntur, notent, ac diligenter aduertant. Ante omnia curent Parochi, vt quotãnis, ſabbato ſancto Paſchæ, & Vigilia Pentecoſtes, aquam Baptiſmatis ſolenni benedictione adhibita, Chriſmatis vnctione renouent, ac chriſma & cætera [a] olea ſacra ãni proximè elapſi comburẽt:nec veteribus extra mortis articulum vtantur.

Quibus tẽporibus ſingulorũ annorum aqua baptiſmalis ſit benedicenda.

De Cons. d.3. C. literis.

a *Olea ſac. quotannis renouãda.*

De Cons. d.4. C. ſi quis.

[b] Ne præterquã in Eccleſia Baptiſmali vt in loco ad ſuſcipienda Sacramẽta delecto, ac ſtatuto, baptizent; niſi ſecus fieri neceſſitas cogat [c]: Et baptiſteriũ (quod in omnibus templis Parochialibus eſſe debet: in quo diligenter toto anno aqua ſeruetur baptiſmalis ſolenni ritu benedicta) tectum, ſeráque munitum conſeruent: ne grauioribus ſubiaceãt pœnis, ſi quid inde nefandum ipſorũ incuria ac negligentia contingeret. [d] Ne quis Sacerdos, extra tempus neceſſitatis in alia, quàm in aqua cõſecrata (vt ritus Eccleſiæ volunt) baptizare audeat; cùm verò neceſſitas urgebit, [e] quælibet aqua naturalis vndecunq; illa ſit (vt paulò antè diximus) optima, atque aptiſſima

b *Nullꝰ baptizetur extra neceſſitatem, niſi in Eccleſia Baptiſmali.*

De cuſt. Euch. & alior. Sacra. c.1.

c *In vna quaq; Eccleſia parochiali habeatur baptiſterium, in quo aqua ſolenniter benedicta ſer*

fuerit, [f] vt ob decus, maieſtatéque ſanctiſſimi huius Sacramenti, ac præſentiam Chriſmatis, atque olei ſacri, ex antiqua & laudabili conſuetudine candelæ accenſæ præſtò ſint: Parochi verò (vt tanto myſterio maior honos habeatur ac reuerentia) baptiſmum antemeridianis horis, non poſt epulas, ac prandia; niſi res ita poſtularet, vel quid aliud impedimento eſſet, adminiſtrent.

[g] Cùm baptiſmo infans offertur, Sacerdos initio ſciſcitetur: an fortè aliàs, neceſſitate ita flagitante, baptizatus fuerit. Quòd ſi ita ſe res habuerit: petat à quo; tum interroget: an debita materia, ac verborum forma ſeruata ſit; quibus ſi eum ſimpliciter, ac ſyncerè baptizatum cõpererit, [h] caueat ſibi à baptiſmi repetitione: ne grauiſſimas pœnas ſubeat, ſed ſatis illi ſit, omiſſa tantùm diligenter obire: vt Catechiſmum, exorciſmum, vnctiones inter ſcapulas, & in pectore oleo ſacto, ac chriſmate in uertice, ſaliuam, vel lutum ſaliua permixtum, iuxta diuerſarum Diœceſium conſuetudinem, ad certa loca, veſtem candidam, candelas, cæteroſque ritus omnes, adiunctis item ſolitis precibus, quæ paulò inferiùs loco ſuo apponentur.

[i] Quòd ſi dubitaretur, an infans baptiſmo oblatus, ritè baptizatus fuerit, ſiue ex materię ipſius applicatione, aut etiã ex verborũ prolatione, dubitandi ratio oriatur, tũc ea omnia, quæ ſequũtur, forma excepta, in eo baptizando ſeruari oportet, non ſecus ac ſi conſtaret ipſum baptizatum non eſſe. Forma verò baptiſmi non abſolutè ac ſimpliciter, ſed cum conditione eſt proferenda hunc in modum: Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris & Filij, & Spiritus ſancti, Amen. Quòd ſi nulla dubitandi ratio ſubſit, ſed omnino conſtet non eſſe infantem baptizatum, tunc abſque hæſitatione, nulla condi-

netur, sectũ & seramumentum.

d *Absque necessitatis tẽpore cum nulla aqua nisi consecrata bapti zare Sacerdotes audent.*

e *Qualibet aqua naturalis in necessitate optima est & aptissima.*

f *Laudabilis consuetudo candelarũ accensarũ baptizandisque ante prandium, nisi necessitate aliter exigente.*

g *Quid debeat Sacerdos facere, cùm offertur baptizandus, antequam illum baptizet.*

h *Quomodo sit Sacerdoti procedendum, cùm ei offertur baptizatus*

De conſ. d. 4. c. q bis & c. eos quos

De conſ. d. 4. c. paruulos.

lib. 3. decr. de bapt. & eius off. c. 2.

De conſ. d. 4. c. plac.

conditione adiecta, eſt is ſimpliciter baptizandus.

[h] Si baptizando mortis periculum impendere videretur, Sacerdos infantem nuda verborum forma, aliis cæremoniis ac precibus intermiſſis, quàm primùm baptizet: debita ſemper materia, ac forma ſeruata: tum ſi ſuperuixerit, ea, quæ propter anguſtias temporis omiſſa fuêre, diligenter peragat: vt paulò antè in quinto capite de baptizatis eſt dictum. Si verò de vita eius aliqua ſit dubitatio, hæc ſemper addatur conditio; ſi tu viuis, ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti.

[l] Nullo modo infans in vtero materno adhuc exiſtens, matre etiã periclitãte, baptizari debet, propterea quòd, qui natus non eſt, ex aqua & Spiritu ſancto renaſci non poteſt. Quòd ſi mater mortua fuerit, viuente adhuc prole in vtero, ſcindi debet, & infans baptizari: Si autem, matre periclitante, aut imminente infanti ipſi periculo, infantis aliqua pars tantùm egrediatur, videlicet caput, in quo omnes ſenſus fundantur, ac reſident, baptizandus eſt, nec poſteà, ſi eum perfectè naſci cõtigerit, rebaptizari debet. [m] Similiter & alia quacunque parte egrediente, ſi huiuſmodi periculum immineat, baptiſmus conferri debet. Quia tamẽ in nulla exteriorum partium integritas vitæ ita conſiſtit, vt in capite, videtur quibuſdam propter dubium, vt quacunque alia parte corporis abluta, infans poſt perfectam natiuitatem ſit conditionaliter iterum baptizandus, ita: ſi non es baptizatus, ego te baptizo &c. Hoc tamen intelligendum videtur de partibus minùs principalibus, vt ſunt, digitus, pes, vel manus, non autem de iis, quæ communi iudicio principales & notabiles cenſentur, vt ſunt: pectus, humerus, vel alia huiuſmodi. Quòd ſi nullum impendeat periculum, ſemper expectandum

Ex D. Thoma 3. p. q. 68. ar. 11. ad 3. & 4.

aliiſq; cæremoniis Eccleſiaſticis, in neceſſitatis tempore.

[i] *Quid agendum Sacerdoti, cùm dubitatur an infans Baptiſmo oblatus, ſit ritè baptizatus.*

[k] *In mortis periclo qua cautione Sacerdoti ſit vtendũ.*

[l] *Infans in vtero adhuc exiſtens materno, periclitante etiam matre, nullo modo eſt baptizãdus, niſi pars aliqua principalis viſa fuerit.*

[m] *Quomodo ſit agendũ Sacerdoti poſt partũ infante ſub partu baptizato.*

est, quoad infans totus egrediatur.

Ne Parochus admittat vltra vnam vel duas personas in patrinos.

Nomina patrinorum inscribēda.

Parochus, antequàm ad baptiſmum conferendum accedat, diligenter ab eis, ad quos ſpectabit, ſciſcitetur, quem, vel quos elegerint, vt baptizatum de ſacro fonte ſuſcipiant: & eum, vel eos tantùm ad illum ſuſcipiendũ admittat, & in libro eorum nomina deſcribat, doceatque eos, quam cognationem contraxerint, (quæ in ſequenti capite deſcribitur) ne ignorantia vlla excuſari valeant. Quòd ſi alii vltra deſignatos, baptizatum tetigerint, cognationem ſpiritualem nullo pacto contrahant, conſtitutionibus in contrarium facientibus non obſtantibus. Si Parochi culpa, vel negligentia ſecùs factum fuerit, arbitrio Ordinarij puniatur.

Ex Conc. Trid. c. 2. decr. de reform. matrimon.

Ex decreto Con. Trid. Vnus tantummodo, vel vna mulier, vel ad ſummū vnus & vna infantes è ſacro fonte leuare poſſunt.

Inter quos contrahatur ſpiritualis cognatio in baptiſmate infantis.

Quia propter multitudinē prohibitionum, multoties in caſibus prohibitis ignoranter contrahuntur matrimonia, in quibus vel non ſine magno peccato perſeueratur, vel ea non ſine magno ſcandalo dirimuntur, volens ſancta Synodus Tridentina huic incommodo prouidere, & à cognationis ſpiritualis impedimento incipiens, ſtatuit vt vnus tantùm vir, ſiue mulier, iuxta ſacrorum Canonum inſtituta, vel ad ſummum vnus, & vna, baptizatum de ſacro fonte ſuſcipiant; inter quos, ac baptizatum ipſum, & illius patrem, ac matrem, nec non inter baptizantem, & baptizatum, baptizantiſque patrem, ac matrem, tãtùm ſpiritualis cognatio contrahatur; omnibus inter alias perſonas huius ſpiritualis cognationis impedimentis omnino ſublatis.

Ex Conc. Trid. loco [illegible]

De Conſ. d. 4. c. non plures.

Nullus religioſus & Prælatus infantem è ſacro fonte leuare poteſt.

Licet ſacri Canones concedant, vt religioſi curam animarum habentes ſibi commiſſos, & in caſu neceſſitatis quilibet baptizare poſſint, prohibetur tamē omnibus regularibus etiam Prælatis, ne quenquam è ſacro fonte ſuſcipiant. Proinde etiam nos vniuerſis religioſis viris

16. q. 1. c. doctos.

De Conſ. d. 4 Non licet. & c. ſequenti &

16. q. 1. c. Placuit. viris ac mulieribus, tam ſuperioribus quàm ſubditis, cuiuſcunque nominis, gradus, ac dignitatis fuerint, Superioribus quidem ſub pœna priuationis dignitatum & officiorum ſuorum; ſubditis verò, carceris ad vnum menſem, diſtrictè mandamus, ne baptizandos è ſacro fonte vllo modo, nec per ſe, neque per alios leuent, ne hoc prætextu compatres, vel commatres faciant. Similiter Parochis, & aliis curam animarum habentibus ſub pœna ſuſpenſionis ab officio ſeriò iniungimus, ne vtriusque ſexus regulares, vt præmiſſum eſt, ad leuandos infantes è ſacro fonte vllatenus admittant. Delinquẽtes tamen tàm regulares, quàm huiuſmodi Parochi, per Epiſcopos ſuos ſeuera impoſita pœnitentia reſtitui poſſint, ſi conſultum fore iudicabitur. *Pœna in violatores*

De conſ. d. 4. c. In bap. Nullus in compatrem, ſeu patrinum admittatur, qui baptizatus, Catholicus, non excommunicatus, ſanæ mentis, & bonæ famæ non ſit; quiuè eodem anno confeſſus non fuerit, aut non communicauerit. Admiſſi autem à Parocho, aut ab alio Sacerdote baptizante, moneantur; eos, qui pro pueris in baptiſmate fidem profitentur, aut profeſſi ſunt, à Deo pro ipſis acceptos eſſe vades; Quare illos ex fidei, ac promiſſorũ conſtantia, niſi ſint parentes, vel alij conſanguinei, aut tutores, qui id præſtent, debere eoſdem infantes iam adultos, articulos fidei, precationem Dominicam, decem præcepta decalogi, charitatiſque & iuſtitiæ officia, ac munera edocere; ad quod faciendum omnino hortandi ſunt. *Qui in compatres ſint admittendi.* De conſ. d. 4. c. Vos autem. *Ad quid patrini obligentur.*

Cauere etiam debent Parochi, ne vir adſit compater in baptiſmo, coniugis ſuæ filio, licet ille ex alio viro in lucem ſit ſuſceptus: neque vxor itidem filio viri ſui. 30. q. 1. c. Ad limina. Quòd ſi pater, vel mater filium talem, etiam ſuum mor- *Nulla mulier leuet è ſacro fonte filium mariti ſui ex alia muliere*

neque vir filium vxoris. &c.

te inſtante, baptizâſſet, cùm alius, qui hoc fungeretur munere, nullus tunc temporis inueniretur: non propterea tamen ſeparandi ſunt: nec vllo modo peccat is, qui hoc tam pium fecit opus.

Quomodo procedendum ſi fuerint plures baptizãdi.

Si ad baptiſmum mares, vel fœminæ plures adducantur, exorciſmi ad hunc, vel illum ſexum in plurali numero legantur; ſi verò mas vnus, & vna fœmella, tunc vbi prius in exorciſmo pro mare, dicebatur: hunc famulum tuum, addatur: & hanc famulam tuam. Quòd ſi fuerint mares duo vel plures, & vna tantùm fœmina, dicatur: hos famulos tuos, & hanc famulam tuam; & ecótra ſi plures fœminæ fuerint, ac mas vnus: has famulas tuas, & hunc famulum tuum: ita vt ſemper, facta mutatione, ſermo ad vnum, ſeu ad plures inſtituatur, qualis fuerit numerus baptizandorum.

Baptiſmus tripliciter conferri poteſt.

Cùm baptiſma triplici modo rectè conferri poſſit: immerſione, effuſione, & aſperſione: duobus tamen modis duntaxat (vt varij ſunt diuerſarum Eccleſiarum mores) exhibetur: capitis ſcilicet modica immerſione in aquam, aut aquæ effuſione in caput infantis. Ob teneram autem, debilemque puerulorum ætatem, cautè

In hyeme quomodo ſit baptizã dum.

faciunt Sacerdotes illi, qui in regionibus aquilonaribus hyeme, cùm frigora vigent maxima, aquæ baptiſmali calidam in pelui aquam admiſcent, eaque ſic temperata paruulos baptizant.

Sacerdos in aliena Parochia, neq; alterius Parochiæ quẽquam aude at, niſi imminente ne

Interdicimus etiam omnibus Parochis, aliiſque animarum curam habentibus, ſub pœnis à iure præſcriptis, ne, præterquàm in caſu neceſſitatis, in aliena Parochia, aut in ſua alterius Parochiæ hominibus baptiſmum adminiſtrent, abſque ſpeciali licentia proprij illorum Parochi, vel Epiſcopi, in ſcriptis obtenta; quæ licentia etiam non detur, niſi ſingulariter, & ob rationabi-

nabilem cauſam, nominatis ſemper baptizandorum parentibus.

ceſſitate baptizare.

Parochi admonere puerperas debent, vt quamprimùm domo poſt partum exierint, templũ gratias Deo acturæ adeant, ac benedictionem à Parocho accipiant.

Admonitio in puerperas.

FORMA ET ORDO IN baptizando ſeruandus.

CAPVT QVINTVM.

IN primis, vbi baptizãdum deferentes, ante templi fores conſtiterint; ſciſcitetur ſacerdos, an infans ſit mas vel fœmina, deinde quot, & qui huius ſint futuri compatres: ſi vnus, vel vna tantùm: aut vnus & vna ſimul fuerint; eos admittat: modò nullum obeſſet impedimentum; Plures enim ſecundùm Concilij Triden. decreta admitti non poſſunt. Poſteà proximè ſequentem ad ipſos, cæterosq; aſtantes habeat exhortationem.

Cùm chariſſimi, firmiſſima fide, ſynceroque voluntatis affectu ad hoc ſacri baptiſmatis Catholicum, ac planè pium opus conueneritis: audite obſecro breuem iſtã exhortationem. Deus Opt. Max. ea, qua eſt, infinita benignitate, ac clementia, hunc Adæ filium ex impuriſſimis hoſtis noſtri faucibus eripere: adoptionis iure filium ſibi inſtituere: in ſanctiſſimi, & opulentiſſimi regni ſui partem vocare: diuinorum deniq; munerum vult facere participem: Quæ equidem fieri nequeunt: niſi ſalutari, ac planè neceſſario regenerationis lauacro,

Exhortatio ad omnes aſtantes de Baptiſmate, præcipuè ad compatres.

Chri-

Christo ipso ad Nicodemum dicente: Amen, amen dico tibi: nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Qui verò hoc baptismi mysteriũ in aqua & spiritu instituit, tradiditq; Apostolis suis docendum, atq; in remissionem peccatorum administrandum, is formam verborum etiam adiecit: In nomine Patris, & filij, & spiritus sancti. Est autem sine dubio hæc necessitas ex eo perspicua; quòd omnes peccatorum sordibus inquinati nascimur, atq; in grauissima Dei ira, & offensione concipimur: in quo quidem vitæ statu moriendũ certè nobis esset, & apud inferos in sceleratorũ regione perpetui cruciatus suppliciaque perferenda: nisi iterum Christo ad iustitiam per sacrum regenerationis lauacrum nasceremur. Quamobrem gratias immortales bonorum omnium autori Deo, & agere, & habere debemus, (referre enim qui possumus?) pro tam amplo, & inexplicabili beneficio, proque singularibus Christi promeritis: quæ omnem scelerum nostrorum magnitudinẽ vincunt, quibusque nos perfidia nostra, flagitiisq; distractos à Deo, in pristinam, veteremque numinis diuini gratiam restituit, & ex durissima cacodęmonis seruitute, in tranquillam, veramque libertatem asseruit, veramq; vitam, per summum dedecus amissam, reddidit, ac societatem nobiscum sempiternam perpetuo fœdere confirmauit: nos ille in filiorum; illum nos in parentis locum accepimus: obligamus enim nos sacro sancto spiritualis militiæ Sacramento, signaque diaboli deserimus, & fraudes eius omnes, ac dolos detestamur, pollicemurque insuper magno, ac forti, quoad hac mortalis lucis vsura fruemur, nos cum hostibus, pugnaturos animo. Vt autem infans iste horribiles hostium impetus, ac conatus

Ioan. 3.
Mar. 16.
Math. 28.
Ps. 50.

natus ſtrenuè, & fortiter reprimere, callidamque Sathanæ audaciam coercere, confidentẽ eludere mundi aſtutiam, & inſanas ſenſuum illecebras frangere poſſit; vos delectos compatres moneo, atque obteſtor, vt datæ prouinciæ memores ſitis, nec vobis cura deſuerit in tanto officio, tantoque munere, quo vobis, quaſi graui quodam neceſſitatis opere, perquàm diligenter eſt perfungendum, huncque eundem infantẽ Deo ſacra baptiſmatis lauatione generatum, atque in numerum Chriſtianorum aſſcriptum, ita in fidem ipſi veſtram recipiatis, habeatisque commendatum, vt quamprimùm duce Deo ſapere cœperit, illum cùm iure compaternitatis: tum etiam debitis Chriſtianæ charitatis officiis, parentibus, vel adhuc viuentibus, vel iam defunctis, in orthodoxa fide, ac Catholica, & virtutum, pietatisque ſtudiis erudiatis, atque informetis. Huius igitur muneris functioni, vt poſt extremam orbis terræ euerſionem, cùm ante ſapientiſſimũ, ſanctiſſimum, & iuſtiſſimum iudicem mortalibus omnibus cauſa erit dicenda, rationes veras, ac tutas inferre poſſitis, & cum hoc infante immortalia cœleſtis domicilij præmia cõſequi, ſatisfaciatis volo, quod præſtare, ſi eſt animus, hac voce, præſtabo, affirmatote.

Præſtabo ac pręſtaturum me polliceor. *Reſponſio aſtantium compatrũ.*

Poſtremò Patrem omnis miſericordiæ, ac manſuetudinis inuocemus, ſupplicesque opem eius imploremus: vt hunc infantem in fide Catholica & Chriſtiana, quam nunc in hac ſacri baptiſmatis lauatione profitebitur, conſeruet: atque ita vitam noſtram fortunet, ac moderetur: vt ab omnibus communium inimicorum inſidiis, ad extremum vitę ſpiritũ vſque ſecuri eſſe, coramque Deo iudice ſeueriſſimo, & æquiſſimo, quando *Reliquum exhortationis.*

nobis omnia, cùm dicta, tum facta præstanda erunt, in niuea veste, ac pura, & integra mente, nulliusque sibi criminis conscia prodire, ac tandem cum isto infante, inter beatorum spirituum cœtus, vita illa immortali, quam Deus diligentibus se præparauit, perfrui perpetuò possimus. Quæ vt ita eueniant, pro sua religione quisque, ac pietate Deum precatione Dominica, atque angelica precetur salutatione.

Quæ hic de forma & ordine baptizandi sequuntur, possunt pro cuiusq; Diœcesis approbato, & obseruato more immutari.

Post exhortationem futuros compatres Sacerdos interroget; quo nomine baptizandus, vel baptizanda appellari debeat, his verbis:

Quo nomine est iste infans vocandus?

℟ Ioannes, vel N. (& si est puella) Maria vel N.

Sac. N. Abrenuncias Sathanæ?

℟ Abrenuncio,

Sac. Et omnibus pompis eius?

℟ Abrenuncio.

Sac. Credis in DEVM patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ?

℟ Credo.

Sac. Credis in IESVM Christum filium eius vnicum, Dominum nostrum natum & passum?

℟ Credo.

Sac. Credis & in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum cõmunionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, & vitam æternam post mortem?

℟ Credo.

S[illegible]ptizãdus adultus fuerit, ipse respõdeat, sin infans, respõdeat patrinus.

Dein-

Deinde Sacerdos inſufflet leniter in faciem baptizandi vel baptizandæ, aut (ſi plures fuerint) baptizandorum, per modum crucis dicens:

Exi ab eo, vel ea, aut (ſi plures fuerint) eis, immunde ſpiritus ſathana, & da locum Spiritui ſancto paracleto, eidem cum patre & filio Domino noſtro IESV Chriſto reddens honorem.

In ſequentibus etiam eſt ſemper habēda ratio baptizādi, ſit ne mas, vel fœmina; & an vnus tā tùm, vel plures, vt verba accōmodentur ad ſexum ac numerū, vt ſuprà habetur in decreto decimo tertio.

Deinde faciat Sacerdos pollice crucem in fronte infantis dicens:

Signum ſanctę cru ✠ cis Domini noſtri IESV Chriſti in frontem tuam pono.

Similiter ad pectus faciat crucē dicens:

Signum ſaluatoris Domini noſtri IESV Chriſti ✠ in pectus tuum pono.

Poſteà denuò crucem ad frontem & pectus faciat inquiens:

Accipe ſignum ſanctæ ✠ crucis, tàm in fronte quàm in pecto ✠ re; ſume fidem cœleſtium præceptorum, talis eſto moribus, vt templum DEI iam eſſe poſſis, ingreſſuſque Eccleſiam DEI euaſiſſe te laqueos mortis lætus agnoſce; horreſce idola, reſpue ſimulachra, cole DEVM patrem omnipotentem, & IESVM Chriſtum filium eius vnicum. Qui cum eodem Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat DEVS per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Deinde legitur ſequens oratio, tam ſuper maſculos, quàm fœmellas.

Omnipotens ſempiterne DEVS, Pater Domini noſtri IESV Chriſti, reſpicere dignare ſuper hunc famulũ tuum, vel hãc famulam tuam N. quem vel quã ad rudimenta fidei vocare dignatus es, omnemq́ue cæcitatem cordis ab eo, vel ea, expelle, dirumpe omnes laqueos Sathanæ, quibus fuerat alligatus, vel alligata, aperi ei Domine ianuam pietatis tuæ, vt ſigno ſapientię tuæ imbutus, vel imbuta, omnium cupiditatum fœtoribus careat, & ad ſuauem odorem præceptorum tuorum lætus, vel læta, tibi in Eccleſia tua deſeruiat, & proficiat de die in diem, vt idoneus, vel idonea efficiatur accedere ad gratiam Baptiſmi tui, percepta medicina, per CHRISTVM Dominum noſtrum, Amen.

Tunc Sacerdos exhalet calidum flatum in faciem eius & dicat:

Inſufflo te catechumine denuò in virtute Spiritus ſancti; vt quicquid in te vitii malorum eſt ſpirituum inuaſione, per huius exorciſmi myſterium gratiæ ſit tibi ipſa virtus purgatio.

Oremus.

Preces noſtras quæſumus Domine clementer exaudi, & electum tuum, vel, electam tuam N. crucis Dominicæ, cuius impreſſione eum, vel eam ſignamus, virtute cuſtodi; vt magnitudinis gloriæ rudimenta ſeruans, per cuſtodiam mandatorum tuorum, ad regenerationis gloriam peruenire mereatur, per CHRISTVM Dominum noſtrum. Amen.

Ore-

Oremus.

DEVS, qui humani generis ita es conditor, vt ſis etiam reformator, propitiare populis adoptiuis, & nouo teſtamento ſobolem nouæ prolis aſſcribe; vt filij promiſſionis, quod non potuerunt aſſequi per naturam, gaudeant ſe recepiſſe per gatiam, per CHRISTVM Dominum noſtrum, Amen.

Sal benedictum ſi non adſit, benedicatur vt ſequitur:

Exorcizo te creatura ſalis in nomine DEI Pa ✠ tris omnipotentis, & in charitate Domini noſtri IESV ✠ CHRISTI, & in virtute Spiritus ✠ ſancti. Exorcizo te per DEVM vi ✠ uum, per DEVM ve ✠ rum, & per DEVM ſan ✠ ctum; per DEVM ✠, qui te ad tutelam humani generis procreauit, & populo venienti ad credulitatem per ſeruos ſuos conſecrari præcepit; vt in nomine ſanctæ Trinitatis efficiaris ſalutare Sacramentū ad effugandum inimicum. Proinde rogamus te Domine DEVS noſter, vt hanc creaturam ſalis, tu Domine, ſanctificando ſan ✠ ctifices, & benedicendo bene ✠ dicas, vt fiat omnibus accipientibus perfecta medicina, permanens in viſceribus eorum. In nomine eiuſdem Domini noſtri IESV CHRISTI, qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos, & ſeculum per ignem, Amen.

Poſteà Sacerdos accipiat modicum ſalis benedicti, & imponat in os baptizādi; ſique plures fuerint, in ora ſingulorum, dicendo:

N. accipe ſal ſapientiæ, quòd propitiatus ſit tibi Dominus in vitam æternam, Amen. Pax tecum.

Exhibito ſale dicat Sacerdos ſequentem orationem.

Oremus.

Hæc oratio dicatur tã ſuper fœmellas, quàm maſculos.

DEVS Patrum noſtrorum, DEVS vniuerſę creaturæ conditor, te ſupplices exoramus, vt hunc famulum tuum, vel hanc famulam tuam, reſpicere digneris propitius, vt hoc primum pabulum ſalis guſtantem nõ diutiùs eſurire permittas, quo minùs cibo repleatur cœleſti, quatenus ſit ſemper Spiritu feruens, ſpe gaudens, tuo ſemper nomini deſeruiens, perduceũ, vel eam, Domine ad nouæ regenerationis lauacrum, vt cum fidelibus tuis promiſſionum tuarum æterna præmia conſequi mereatur, per CHRISTVM Dominum noſtrum, Amen.

Et ſi baptizãdus fuerit maſculus, proſequatur Sacerdos ſequentes orationes.

Oremus.

Oratio dicenda ſuper maſculos tantum.

DEVS Abraham, DEVS Iſaac, DEVS Iacob, DEVS qui Moyſi famulo tuo in monte Sinai apparuiſti, & filios Iſraël de terra Ægipti eduxiſti, deputans eis Angelum pietatis tuæ, qui cuſtodiret eos die ac nocte, te quæſumus Domine, emittere digneris ſanctum Angelum tuum de cœlis, qui ſimiliter cuſtodiat, & hunc famulum tuum N. & perducat eum ad gratiam Baptiſmi tui, per CHRISTVM Dominum noſtrum, Amen.

Adiuratio

Ergo maledicte diabole recognoſce ſententiam tuam

am, & da honorem DEO ✠ viuo & vero, da honorem IESV ✠ CHRISTO filio eius, & Spiritui ✠ ſancto, & recede ab hoc famulo DEI N. quia iſtum ſibi Deus & Dominus noſter Ieſus Chriſtus ad ſuam ſanctam gratiam & bene ✠ dictionem, fontemque Baptiſmatis dono ſuæ gratiæ vocare dignatus eſt; & hoc ſignum ✠ ſanctę crucis, quod nos fronti eius damus, tu maledicte diabole nunquam audeas violare. Per eum qui venturus eſt, iudicare viuos & mortuos & ſeculum per ignẽ, Amen. *facienda ſu per maſculos tantùm.*

Oremus,

DEVS immortale præſidium omnium poſtulantium, liberatio ſupplicum, pax rogantium, vita credentium, reſurrectio mortuorum, te inuoco Domine ſuper hunc famulum tuum N. qui Baptiſmi tui donum petẽs, æternam conſequi gratiam ſpirituali generatione deſiderat, accipe eũ Domine, qui dignatus es dicere: Petite & accipietis, quærite & inuenietis, pulſate & aperietur vobis; petenti itaque præmium porrige, & ianuam pande pulſanti, vt æternam cœleſtis lauacri benedictionem conſecutus, promiſſa tui muneris regna percipiat. Qui viuis & regnas in ſecula ſeculorum, Amen. *Oratio dicẽda ſuper maſculos tãtùm.*

Ergo maledicte diabole recognoſce ſententiam tuam, &c. vt ſuprà vſque in finem.

Deinde dicatur:

Exorcizo te immunde ſpiritus in nomine Pa ✠ tris & fi ✠ lij, & Spiritus ✠ ſancti, vt exeas & recedas ab hoc famulo Dei N. Ipſe enim imperat tibi maledicte, damnate, atque damnãde, qui pedibus ſuis ſuper mare ambulauit & Petro mergenti dextram porrexit. Qui cum *Exorciſmus ſuper maſculos tantùm.*

Patre

Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Deinde repetatur:

Ergo maledicte diabole recognoſce, &c. vt ſuprà vſque in finem.

Si verò fuerit fœmella, tūc ſequentes dicantur orationes.

Oremus

Oratio dicēda ſuper fœminas tantum.

DEVS cœli, Deus terræ, Deus Angelorum, Deus Archangelorum, Deus Prophetarum, Deus Patriarcharum, Deus Apoſtolorum, Deus Martyrum, Deus Confeſſorum, Deus Virginum, Deus omnium bene viuentium, Deus, cui omnis lingua confitetur, & omne genu flectitur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, te inuoco Domine ſuper hanc famulam tuam N. vt perducere eam digneris ad gratiam Baptiſmi tui. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Adiuratiō ſuper fœminas.

Ergo maledicte diabole, recognoſce ſententiam tuam, & da honorem Deo viuo & vero, & da honorem Ieſu Chriſto filio eius, & Spiritui ſancto; & recede ab hac famula Dei N. quia eam Deus & Dominus noſter Ieſus Chriſtus ad ſuam ſāctam gratiā & benedictionē fontemq; Baptiſmatis dono ſuæ gratiæ vocare dignat⁹ eſt; & hoc ſignum ſanctæ ✠ crucis, quod nos fronti eius damus, tu maledicte diabole nūquam audeas violare. Per eum qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos & ſeculum per ignem. Amen.

Oremus

Oratio dicēda ſuper fœminas tantum.

DEVS Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob, Deus qui tribus Iſraël de Ægiptiaca ſeruitute liberâſti, & per

Moy-

Moyſen famulum tuum de cuſtodia mandatorum tuorum in deſerto monuiſti, & Suſannam de falſo crimine liberâſti; te ſupplices exoramus, vt liberes hanc famulã tuam N. & perducere eam digneris ad gratiam Baptiſmi tui, per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Deinde repetatur:

Ergo maledicte diabole recognoſce &c. vt ſuprà vſque in finem.

Quo repetito dicatur ſequens exorciſmus.

Exorcizo te immunde ſpiritus per Pa ✠ trem, & fi ✠ lium, & Spiritũ ✠ ſanctum, vt exeas & recedas ab hac famula Dei N. Ipſe enim imperat tibi maledicte diabole damnate, qui cæco nato oculos aperuit, & quatriduanum Lazarum de monumento ſuſcitauit. Qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos & ſeculum per ignem, Amen. *Exorciſmus ſuper fœminas tantũ.*

Deinde repetatur:

Ergo maledicte diabole. &c. vt ſuprà vſque in finem.

Quo repetito legantur ſequentes orationes, tã ſuper maſculos, quàm fœmellas.

Oremus,

Æternam atque mitiſſimam pietatem tuam deprecor, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, luminis autor & veritatis, ſuper hunc famulum tuum, vel, hanc famulam tuam N. vt digneris eum, vel eam, illuminare lumine intelligentiæ tuæ; munda eum, vel eam, & ſanctifica; da ei ſcientiam veram, vt dignus, vel *Oratio dicenda ſuper maſculos, vel fœminas.*

digna efficiatur accedere ad gratiam Baptiſmi tui; teneat firmam ſpem, conſilium rectum, doctrinam ſanctam, vt aptus, vel apta ſit ad percipiendam baptiſmi gratiã, per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Oratio dicenda ſuper maſculos, vel fæminas.

Audi maledicte Sathana per nomen ęterni Dei & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti filij eius, cum tua victus inuidia tremens, gemensque diſcede; nihil ſit tibi commune cum ſeruo, vel, ancilla Dei N. iam cœleſtia cogitãte, renunciaturo tibi & ſeculo tuo, & beatæ immortalitati victuro; Da igitur honorem aduenienti Spiritui ſancto, qui ex ſumma cœli arce deſcendens, perturbatis fraudibus tuis diuino fonte purgatum pectus, id eſt, ſanctificatum Deo templum & habitaculum perficiat; & ab omnibus penitus noxiis præteritorum criminum liberatus ſeruus, vel ancilla Dei gratias perenni Deo referat ſemper. Et benedicat nomen eius in ſecula ſeculorum. Amen.

Supradictis orationibus recitatis Sacerdos legat ſequens Euangelium.

℣ Dominus vobiſcum.
℟ Et cum Spiritu tuo.
℣ Sequentia ſancti Euangelij ſecundùm Marcum.
℟. Gloria tibi Domine.

Hæc dicẽdo faciat Sacerdos pollice crucem in fronte & pectore infantis, & deinde imponat manum dexteram cum ſtola ſuper infantem.

Mar. 10. In illo tempore, oblati ſunt Ieſu paruuli, vt manus eis imponeret, & oraret; diſcipuli autem increpabant eos, Ie-

Iesus verò ait illis: Sinite paruulos, & nolite eos prohibere ad me venire, talium est enim regnũ cœlorum, & cùm imposuisset eis manum, abiit inde. Deo gratias.

Per istos sermones sancti Euangelij, indulgeat nobis Dominus noster Iesus Christus omnia delicta nostra. Amen.

Post Euangelium legat Sacerdos sequẽtem orationem, quam dicendo ponat stolam super baptizandum, & manu tangat caput ipsius baptizandi, inquiens:

Nec te lateat Sathana iminere tibi tormẽta, imminere tibi diem iudicij, diẽ supplicij sempiterni, diem, qui vẽturus est, veluti clibanus ardẽs, in quo tibi atq; vniuersis Angelis tuis æternus superueniet interitus. Proinde damnate, atque damnande, da honorem Deo ✠ viuo & vero; da honorem Iesu ✠ Christo filio eius, & Spiritui ✠ sancto, in cuius nomine atque virtute ego præcipio tibi, quicunque es spiritus immunde, vt exeas & recedas ab hoc famulo Dei, vel, hac famula Dei N. quem, vel quam, hodie Deus & Dominus noster Iesus Christus ad suam sanctam gratiam & benedictionem, fontẽque baptismatis dono suæ gratiæ vocare dignatus est, vt fiat ei templum per aquam regenerationis in remissionẽ omnium peccatorum. In nomine eiusdem Domini nostri Iesu Christi, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & seculum per ignem.

Suprà dictis precibus completis, oretur *Pater noster.* &c. *Credo in vnum Deum.*

 vsque

vſque ad finem. Quibus expletis, patrinus eleuet infantē, & Sacerdos accipiat modicum de ſputo oris ſui pollice dextro (addito etiā, vbi moris eſt, vti in Metropolitana Eccleſia Salisburgenſi, modico luto) & priùs tangat aurem dextrā infantis dicens:

Sac. Ephata, quod eſt adaperire.

Deinde nares tangat inquiens:

Sac. In odorem ſuauitatis.

Demùm ſiniſtram aurē tangendo dicat:

Sac. Tu autem effugare maledicte diabole, appropinquabit enim iudicium Dei.

Deinde baptizandus, vel baptizanda introducatur in Eccleſiam, dicente Sacerdote ſequentia verba:

Sac. Ingredere in templum Dei, vt merearis videre filium Dei viui.

Vbi autem peruentum eſt ad baptiſterium, infans per mulieres præparetur, nudeturq́ue, quē recipiat patrinus in manus ſuas, & mulier, ſi adfuerit, in cōmatrem vocata, ponat digitos ſuper caput infantis; Sacerdos autem ſtans verſa facie ad orientem, interroget puerum expreſſo nomine eius, inquiens:

N. Abre-

Sac. int. N. Abrenuncias Sathanæ?

Reſpōdebunt patrini loco infantis.

Patr. ℟ Abrenuncio.

Sa. int. Et omnibus pompis eius?

Patr. ℟ Abrenuncio.

Sac. int. Omnibus operibus eius?

Patr. ℟ Abrenuncio.

Deinde interrogetur de articulis fidei.

Si baptizādus, vt ſuprà dictum eſt, adultus fuerit, per ſe latinè, vel in lingua ſua materna reſpōdeat: ſi verò infans, reſpondebit pro ipſo patrinus.

Sac. int. Credis in Deum patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ?

Patr. ℟ Credo.

Sac. int. Credis & in Ieſum Chriſtū filium eius vnicum Dominum noſtrum natum & paſſum?

Patr. ℟ Credo.

Sac. int. Credis & in Spiritum ſanctum, ſanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum communionem, remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem, & vitam æternam poſt mortem?

Patr. ℟ Credo.

Tunc Sacerdos intingens pollicem in oleum ſanctum, faciat crucem in pectore infantis, dicens;

Sac. Et ego te lineo oleo ſalutis, pectus.

Et ſtatim faciat etiam crucē eodem pollice in oleo ſancto intincto, inter ſcapulas eius inquiens:

Et ſcapulas, in Chriſto Ieſu Domino noſtro, vt habeas vitam æternam, & viuas in ſecula ſeculorum, Amen. Pax tecum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Dein-

Deinde Sacerdos ita interroget infantẽ:

Sac. int. Quo nomine vocaris?

Patr. ℞ N. vel N.

Sac. int. N. vis baptizari?

Patr. ℞ Volo.

Post hæc Sacerdos accipiat puerum diligenter, & baptizet eum sub trina immersione, vel aspersione, aut intinctione, secundum consuetudinem loci, sanctissima TRINITATE semel inuocata, & appellato prius nomine infantis huiusmodi verbis:

Sac. Ioannes vel N. aut Maria vel N. ego te baptizo in nomine Pa ✠ tris, & fi ✠ lij, & Spiritus ✠ sancti, Amen.

Circa hoc animaduertere debet Sacerdos, vt cum prolatione verborum faciat vnà aspersionem, vel intinctionem, aut immersionem, secundùm Diœcesis cõsuetudinem. Et quando profertur *Patris*, adhibeat primam aspersionẽ cum cruce, secundam vbi *filii* dicitur, & tertiam quando *Spiritus sancti* mentio fit. Et ob id in medio dictorũ trium nominum, *Patris & filij & Spiritus sancti*, sunt appositæ cruces, vt, cùm proferuntur

tur, fiant aſpergendo, vel intingẽdo, vel immergendo baptizandum.

Baptizato infante, leuet eum patrinus de fonte, & teneat eum in manibus, & ſi mulier adfuerit, vocata in cõmatrem, eundem etiam tangat; interim Sacerdos intingat pollicem dextrum in ſanctum Chriſma, & inungat baptizatũ in vertice crucem faciendo, his verbis:

Sac. DEVS omnipotens, Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui te regenerauit ex aqua & Spiritu ſancto, quique dedit tibi remiſſionẽ omnium peccatorum, ipſe te lineat Chriſ ✠ mate ſalutis, in Chriſto Ieſu Domino noſtro, vt habeas vitam æternam & viuas in ſecula ſeculorum. Amen. Pax tecum.

Deinde Sacerdos ponat linteum, vel veſtem candidã ſuper caput baptizati dicens:

Sac. Accipe veſtem càndidam, ſanctã, & immaculatam, quam perferas ante tribunal Domini noſtri Ieſu Chriſti; vt habeas vitam æternam & viuas in ſecula ſeculorũ, Amen.

Poſteà Sacerdos det candelam ardentem in dextram manum baptizati, ſiue eius patrini, dicens:

Sac. Accipe lampadem ardentem, irrepræhenſibilem, cuſtodi baptiſmum tuum, ſerua Dei mandata; vt cùm Domi-

Dominus venerit ad nuptias, possis occurrere ei, vnà cũ omnibus Sanctis in aula cœlesti, habeasque vitam æternam, & viuas in secula seculorum, Amen. Vade in pace, & Dominus sit tecum. Amen.

Postremò Sacerdos, ac patrinus, seu patrini, si duo fuerint, manus lauent. Quibus lotis, vel antè (si ita visũ fuerit) Sacerdos sequẽtem exhortationem ad patrinos habeat, vel aliam similem.

Admonitio ad compatres pro gratiarum actione.

Dilectissimi in Christo compatres, de tanto Dei beneficio incredibili gestare lætitia, rerumque omniũ effectori, ac seruatori nostro Iesu Christo ingentes, & quã amplissimas agere debemus gratias; quòd hunc nostrũ in Deo dilectum filium immensa, qua est, bonitate, ac clementia, ex grauissimo diabolicæ seruitutis iugo absoluerit, in suamque gratiam per hoc sacrosanctum baptisma receperit.

Exhortatio ad eosdem de sponsione pro cura infantis.

Cùm itaque ad hãc compaternitatem dilecti, ac non inuiti huic baptismi mysterio præsentes sitis: Scitote vos Deo rem adeò gratam fecisse, vt illi sit acceptissima. Interea tamen curate illius oneris memores, quod hodierna luce humeris uestris imponitur, vt hic iam iam é sacro baptismi fonte susceptus infans, cũ primũ intelligere, ac sapere cœperit, si parentes, vel consanguinei, aut tutores hoc ipsum facere neglexerint, opera vestra, studio ac diligentia, in catechesi orthodoxa, hoc est, in precatione Dominica, Angelica salutatione, fidei symbolo, ac decem Decalogi præceptis, sedulò erudiatur, atque omni virtutum genere, vitæque Christianæ officiis informetur: vt optimis artibus instructus, certisque

què confirmatus præceptis, exemplisque vitia quæuis abhorrere, ac detestari, & se virtutibus, rectisque actionibus munire perfacilè possit. Quòd si rem ad spectatũ finem, exoptatumque exitum perduxeritis; dubium non est, quin digno meritoque laborum uestrorũ prȩmio, hoc est, sempiterna immortalis vitæ beatitudine, à sum̃o Orbisterrȩ molitore, ac cõseruatore Deo sitis cũ isto infante donandi. Vt verò diuinitus nobis ea præstandi concedatur facultas, ac potestas, & puero obtemperandi facilitas, atque animi propensio, summis precibus apud Deum cõtendamus: dicentes Pater noster &c. & Aue Maria &c.

Patrini in librum inscribendi.

Habita exhortatione, ablutisque manibus, nisi eas antea lauerint, Sacerdos illicò Patrinorum nomina in librum ad hunc vsum destinatum referat: ne obliuioni mandentur: nisi ante actum perscripta in Albo fuerint; alioquin secundum Concilij Tridentini decreta erit ordinarij arbitrio puniendus.

Conc. Tri. c. 2. decr. de refor. matrimo.

DE CONFIRMATIONE.

PROOEMIVM.

LIcet administratio huius Sacramenti ad solos spectet Episcopos; Parochi tamen vim eius innatam diuinitùs, atque insitam, & cæremonias externas addiscere debent: vt ad salutarem eius vsum, ac susceptionem, vtriusque sexus homines, (quacunque fuerint ætate) fidei suæ creditos, & commissos, frequentibus inducere exhortationibus, optimisque præceptis instruere possint. Quod vt præstent, illos & charitas Christiana, qua omnes tanquam mutuo quodam amoris vinculo constricti sumus: & officium, quo funguntur, iure suo hortatur, atque admonet: vt sui perfecti efficiātur Christiani, atq; omnibus partibus cumulati. Nam cū Spiritus sanctus infūditur, cor fidele ad prudentiam, & constantiam dilatatur; licet enim Sacramenti huius prætermissio puerorum ex hac vita decedentium saluti non obsit: vt adultis, quibus illud est cōtemptui, obest, prodest tamē viuentibus, quòd eos aduers⁹ hostes diuina auctos gratia, firmissimis muniat præsidiis, atque tueatur: vt præclarè Melchiades PP. confirmat his verbis: Quamuis transituris sufficiant regenerationis beneficia, victuris tamen necessaria sunt Cōfirmationis auxilia. Nam regeneratio per se saluat, mox in pace beati seculi recipiendos: Confirmatio verò

Qualis sit huius Sacramenti necessitas.

Vtilitas huius Sacramenti.

De conf. d. 5. c. omnes fideles.

De conf. d. 5. c. Spirit⁹ sanctus.

In epistola ad Episcopos Hispaniæ. & hab. de conf. dist. 5. c. Spiritus sanctus.

rò armat, & instruit ad agones mundi huius, & prælia reseruandos. Qui autem post Baptismum cum acquisita innocentia immaculatus peruenit ad mortem, confirmatur morte: quia non potest peccare post mortem.

DE DEFINITIONE *Confirmationis.*

CAPVT PRIMVM.

SAcramentũ Confirmationis ita apud Sanct. Tho. describi legimus: Est, inquit, plenitudinis gratiæ Sacramentum. Vt in vita naturali incipit quidem homo primùm viuere, nec mox ad actus omnes naturæ suæ conuenientes instituitur, sed ad corporaliũ organorũ perfectionẽ per facultatis augmẽtatiuæ virtutẽ, post, suo tempore ꝑducitur: ita in vita spiritali primùm quidẽ regeneratur homo, & quasi nascitur; Tum verò absolutã veluti accretionis perfectionẽ suscipit; illud fit Baptismo, hoc Cõfirmatione. Vnde sicut in vita naturali augmentũ, quo quis ad ꝑfectam Viri staturã & fortitudinẽ proficit, dici solet primę generationis, & veluti infãtiæ perfectio & plenitudo, ita Cõfirmatio, qua vires vitæ spiritali necessariæ acquiruntur, baptismi, veluti primæ generationis ad vitã spiritalem dici potest absoluta consummatio; qua sanè ratione à sancto Thoma plenitudinis gratiæ Sacramentum dicitur. Quòd enim ꝑ Baptismum cæptum est, planè perficit; hominemque ad robur perfecti veluti viri perducit, quem veluti in prima infantia vitæ spiritalis Baptisma priùs constituit. Verùm duplex est in vita spi-

3. p. q. 72. ar. 1. ad 4.

Definitio Confirmationis sanc. Thomæ Aqui.

Cœptum in Baptismo Confirm. planè perficit.

Plenitudo in vita spirituali duplex. ritali consideranda plenitudo; alia ad innocentiam, qua nempè remissis plenè sceleribus tùm quoad culpam tùm quoad pœnam, quis omninò mundus & veluti innocens efficitur; atque hæc quidem plenitudo in Baptismo confertur. Alia est plenitudo ad perfectum robur gratiæ: quo nempè confirmatus ad omnes vitæ spiritalis actiones viriliter exercendas instituitur. Atque hæc plenitudo est Confirmationis propria. Vnde illud Melchiadis Papæ ad Episcopos Hispaniæ scribẽtis: Spiritus, inquit, sanctus, qui super aquas Baptismi salutifero descendit lapsu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione augmentum prętat ad gratiam, in Baptismo regeneramur ad vitam, post Baptismum cõfirmamur ad pugnam; in Baptismo abluimur, post Baptismum roboramur. De conf. d. 5. c. Spiritus sanctus.

Alia definitio Cõfirmationis ex S. Thoma. Idem S. Thomas explicando huius Sacramẽti formam, aliam nobis eiusdem descriptionem insinuat, ac si dicat: Confirmatio est Sacramentum, quo vexillum Regis nostri triumphantis, ac signum militare nobis traditur, & plenitudo roboris Spiritus sancti confertur quo ad bona opera perficienda corroboramur, & ad res aduersas tolerandas munimur, ac deniquè ad pugnam inflammamur, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, amen. Est autem Christi Regis nostri triumphantis vexillum, signum illud quod erit in cœlo cùm Dominus ad iudicandum venerit. Atque hoc quidem vexillũ in Sacramento Cõfirmationis nobis traditur, cùm Episcopus huius Sacramenti minister signo Crucis confirmandum in fronte signat; id quod expressa Sacramenti forma habet. Illud verò ipsum quod Regi nostro comparatum vexillum dicitur, nobis signum est militare, quo veluti postremo delectu, qui priùs per Baptismum 3. par. q. 72. ar. 4. c.

Vexillum Christi nobis in Cõfirmatione traditur.

ptiſmum ad militiam deputabamur, poſt per Cõfirmatinnem tanquam idonei ad militiam approbamur. Sed & hoc ipſum quod in præfata deſcriptione ſignum militare vocitatur, ad Sacramenti huius characterem referri poteſt. Porrò, vt pulchrè Sãctus Thomas, Baptiſmo & Cõfirmationi hoc intereſt, quòd per Baptiſmum homo regeneratur, in vita ſpiritali conſtituitur, & ſanctificationem quandam in ſemetipſo accipit; id quod forma Baptiſmi ad Baptizatũ directa (te ſcilicet baptizo) aptè indicat: Per Cõfirmationem verò non ſolùm homo in ſe ſanctificationem quandam ſuſcipit, ſed etiam pugnæ cuidam exponitur; id quod & huius Sacramenti forma declarat, ea nempè parte qua dicitur: confirmo te Chriſmate Salutis; verùm vt ad pugnam idonei inueniamur, robur Spiritus ſancti ad tres præcipuè effectus (id quod in deſcriptione iam dicta habetur) nobis confertur. Primus effectus eſt, vt nulla rerum difficultate territi, quæ Deo auſpice rectè inchoamus, ſtrenuè perficiamus. Secundus eſt, vt aduerſa, quæ fortè veræ fidei confeſſioni, & bonorum operum perſeuerantiæ annecti quandoque ſolent, à carne, Sathana, eiuſque ſatellibus illata, conſtanter & intrepidè toleremus. Tertius eſt, vt veluti in hac pugna ſpiritali, glorioſi milites, victoriæ cupidi, ad certamen ſemper vigiles accingamur; vt demùm non alia quàm SS. Trinitatis autoritate hæc nobis conferri intelligamus, in fine præhabitæ deſcriptionis additur, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Amen.

3. pte. q. 72. ar. 4. ad 3.

Quid interſit inter Baptiſmum & Confirmationem.

Sed ad maiorem rei explicationem aliter etiam definiri poteſt Sacramentum Cõfirmationis. Eſt enim ſignum Chriſmate ab Epiſcopo in fronte Baptizati factum, quo ad varia huius mundi prelia, ſingulari Dei gra-

Alia & plenior Cõfirmationis definitio.

In definitione Cõfirmationis, quædam ad essentiam Sacramẽti, quædam ad ipsius efficaciam explicandam spectant. gratia instruimur, munimur & confirmamur. In hac definitione quædam sunt, quæ ad essentiam Sacramenti spectant, quædam verò, quæ ipsius efficaciam explicant; Ad essentiam in primis spectat Crucis signum, nam cum in forma huius Sacramenti, Crucis fiat mentio, necesse est, vt eiusdem veritate salua, crucis signo cõferatur Sacramentum; Chrisma porrò ex Oleo & Balsamo confectum ad Sacramenti naturam, vt propria eiusdem materia attinet. *Crucis signum ad essentiam Cõfirmationis spectat.* Oleum autem ad Sacramenti huius materiam assumitur, quia cum natura sua corporis vires confirmat, ad robur Spiritus sancti hoc Sacramento collatum significandum, est accommodatissimum. Vnde eadem rerum similitudine seruata, Christus Dominus oleo lætitiæ à Deo vnctus dicitur, vt singulari Spiritus sancti robore confirmatus intelligatur. Balsamum quoque à putrifactione præseruans additur, ob fragantiam odoris, iuxta sententiam sancti Thomæ; vt nempè animi fortitudinem ad commilitonum in pugna spiritali exemplum, veluti ad alios expirantem, in hoc Sacramẽto collatam denotet. ad quod sanè Balsamum accommodatum esse apertè docet illud Sapientis; Quasi Balsamum, inquit, non mixtum odor meus. *Episcopus ad confirmationis essentiam spectat.* Episcopus præterea ad Confirmationis essentiam spectat, vt ordinarius ipsius minister: nam etsi simplex Sacerdos ex comissione posset hoc Sacramentum cõferre, vt colligitur ex sacris Canonibus & ex Cõcilio Florent. ordinarius tñ minister nulla ad eam rem commissione indigens, est solus Episcopus. Nec verò vt in Baptismo contingit, quacunque tandem corporis parte Sacramentum hoc conferri potest, sed in fronte tantummodò; *Vexillum Christi in aperto gestari debet.* nam cùm in hoc Sacramento signũ Ducis nostri ad militiam confertur, quod nempè in aperto gestari debet, nec sit fronte quid aptiùs, hoc signũ fronti

Ps. 44. *3. p. q. 72. ar. 2. c.* *Eccles. 24.* *d. 95. c. peruenit & Con. Florent. de Sacramen. to confirmationis.*

ti commodè imprimendum erat; maximè autem cùm *Timor & verecundia in fronte sita sunt.*
in fronte timor & verecundia, contra quæ robur in hoc
Sacramento datur, perſpiciantur. Ad eſſentiam deni-
que Sacramenti pertinet, vt quinam eiuſdem capaces *Non baptizatus cō firmari poteſt.*
ſint, certò intelligatur. Proinde in definitione hac habe-
tur, ſignum Chriſmate ab Epiſcopo in fronte Baptiza-
ti faciendum, vt intelligamus non quēuis, ſed Baptiſmo
tantūmodo, qui eſt omnium Sacramentorum ianua,
initiatum, huius Sacramenti capacem eſſe. Sed nunc
de altera definitionis parte, quæ ad Sacramenti efficaci-
am ſpectat, breuiter dicamus. Eſt itaque vita hominis
Iob. 7. militia ſuper terram, ad quam rectè gerendam in Sacra-
mento hoc ſingularem gratiam, aut potiùs gratiæ ple-
nitudinem quandam, vt iam ſupra dictum eſt, accipi-
mus. Ea quidem viribus ſpiritalibus, iis quæ in virili æ-
tate à natura hominibus conceduntur, ſimilibus acce-
ptis, ad militiam inſtruimur; ea ab inſidiis & ſpiritali-
bus inimicorum telis, variis nempè carnis mundi & Sa-
thanæ tentationibus munimur; ea denique ne torpe-
ſcentes deiiciamur, contra omnia huius vitæ pericula
confirmamur.

TESTIMONIA EX SACRIS literis petita quibus huic Sacramento clarior fit fides.

CAPVT SECVNDVM.

INquit Chriſtus diſcipulis ſuis iam baptiza-
tis; Ego rogabo Patrem, & aliū Paracletum
Ioan. 14. dabit vobis. Paracletus autem Spiritus ſan-
Ioan. 14. ctus, quem mittet Pater in nomine meo; ille
vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcun-
que

quę dixero vobis. Cùm autẽ venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit: ille testimonium perhibebit de me. Adhuc multa habeo vobis dicere; sed non potestis portare modo: Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos Idem postquàm à mortuis excitisset, pollicitus est, inquiens: Ego mittam in vos promissum Patris. Vos autẽ sedete hîc in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto. Ioan.15. Ioann.16. Ioan. 16. Luc.24.

Et cùm complerentur dies Pentecostes, erãt omnes pariter in eodem loco: & factus est repentè de Cœlo sonus, tanquam aduenientis Spiritus vehementis, & repleuit totam domum, vbi erant sedentes, & apparuerũt illis dispertitæ linguę, tanquã ignis, seditq; super singulos eorũ, & repleti sunt omnes Spiritu Sãcto, & cœperũt loqui variis linguis, pro vt Spiritus sanctus dabat eloqui illis. Act.2.

HOC SACRAMENTO PRIMO vsi sunt Apostoli deinde Successores eorum.

CAPVT TERTIVM.

CVm audissent Apostoli, qui erant Hierosolymis, quia recepisset Samaria Verbum Dei: miserunt ad eos Petrum & Ioannem: qui cũ venissent, orauerunt pro ipsis, vt acciperent Spiritum Sanctum: Nondũ enim in quemquã illorum vene- Act. 8.

venerat, ſed baptizati tantùm erant in nomine Domini Ieſu. Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum.

Act. 19. Item Epheſij in nomine Domini Ieſu Christi baptizati, per manuum impoſitionem Pauli, ſanctum acceperunt Spiritum.

In Epiſt. 1. ad diſcipulos. Idem obſeruârunt & Apoſtolorum Succeſſores, vt Clemens Petri diſcipulus, atque in Pontificatu Succeſſor, apertiſſimè indicat, inquiens; Cum quis regeneratus per aquam fuerit, poſtmodum ſeptiformi Spiritus gratia ab Epiſcopo confirmetur: quia aliter perfectus eſſe Chriſtianus nequaquā poterit, vt à beato Petro accepimus, & cæteri ſancti Apoſtoli, pręcipiente Domino docuerūt. Idem Vrbanus Papa, ac Martyr, in Epiſtola ſua ad vniuerſos Epiſcopos ſcripta. Idē Euſebius Papa, ac Martyr, in Epiſtola tertia, ad Epiſcopos Cāpaniæ, ac Tuſciæ. Idem Melchiades in Epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ. Idem Hieronymus contra Luciferianos: & Auguſtinus aduerſus Petiliani literas, confirmāt. Idē quoque cęteri Doctores ſancti, qui hac de re ſcripſerunt.

QVÆ MATERIA, QVÆ FORma, quis Miniſter, qui effectus ſint Confirmationis.

CAPVT QVARTVM.

Ex Conc. Flo. in ver. 2. Sacramērum. Materia Sacramenti Confirmationis. Materia eſt Chriſma cōfectum ex Oleo oliuę ac Balſamo, ſolenni benedictione per Epiſcopum ſanctificato: quo frons confirmandi in modū Crucis, cum manuum impoſitio-

ne vngitur. Oleo enim, quod lumini alimentum subministrat, & vires corporis, si perunctum illo fuerit, auget, diuinorum beneficiorum magnitudo, multitudoque: opima cœlestis gratiæ largitas; splendor fidei: rectæ conscientiæ nitor: ardor charitatis: & benè agendi per diuinum Spiritum auctæ vires significantur. Balsamo autem suauis, ac iucundus vitę communis, veræq; societatis, & consuetudinis odor insinuatur. Ex Con. Flo. loco vt s. & D. Tho. 3. q. 72. ar. 4. o.

Forma Sacramenti Confirmationis.

Forma verò huius Sacramenti est; Ego signo te signo Crucis, & cófirmo te Chrismate salutis: In nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti.
Amen. Pax tecum.

Annotatio in formam Confirmationis.

Quidam ante Amen adiungunt, vt replearis Spiritu sancto, & habeas vitam æternã. Quæ verba tamen de formæ non sunt essentia, sed effectum potiùs Sacramenti ex parte exprimunt atque indicant.

Minister Sacramenti Confirmationis.

Minister autem legitimus, & ordinarius, est Episcopus: licet enim cæteras vnctiones simplex Sacerdos possit exhibere: hanc tamen nemo, nisi solus Episcopus cõferre debet: quoniam de Apostolis tantùm (quorum loco sunt Episcopi) legimus, eos per mauuum impositionem, sanctum dedisse Spiritum; Quod officij genus Cõfirmatione demonstratur. Hinc est illa vox Concilij Tridentini; Si quis dixerit sanctæ Cõfirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quẽuis Sacerdotem, anathema sit. Loquuntur tamen historiæ Patrum nostrorum memoria, iustis, & vrgentibus admodum de causis, simplicem aliquando Sacerdotem, ex Sedis Apostolicæ dispensatione, Chrismate ab Episcopo confecto hoc administrasse Sacramẽtum. Ex Con. Flo. loco vt s. Act. 8. Sess. 7. c. 3. Ex Con. Flo loco vt s.

Effectus Sacramenti Confirmationis.

Effectus demùm, & fructus huius Sacramenti est largã, ac liberalis diuinorũ beneficiorum ac donorũ à Spiritu-

ritu sancto impetratio: quibus baptizati in fide Christi, maiori, ac splẽdidiori lumine illustrãtur: ad pugnã bellicosi: cõstantes ad ærũnas, ac labores pferendos: ad rerũ humanarũ cõtemptũ fortes: prompti ad vera, & solida bona cõplectenda, & ad instituta Christiana, piasque actiones assidui, ac diligentes, atque fortes & constantes ad Christi nomen confitendum redduntur. Ideoque in fronte, vbi verecundiæ sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat, & præcipuè crucem eius, qui Iudæis est scandalum, gentibus autem stultitia, secundum Apostolũ, propterquod signo crucis signatur. Quare egregiè illud, vt alia multa, scripsit Melchiades Pontifex summus, ac Martyr: In Baptismo regeneramur ad vitam: post Baptismum confirmamur ad pugnam. In Baptismo abluimur: post Baptismum roboramur. Et paulò post; Per sanctum Spiritum, quem in hoc Sacramẽto adipiscimur, dono sapiẽtiæ spiritualis illuminamur, ædificamur, erudimur, instruimur, cõfirmamur: vt illã sancti Spiritus vocẽ audire possimus; Intellectũ tibi dabo, & instruam te in via hac, qua gradieris. Hunc effectum diuinis promissionibus fundatum, ac stabilitum aptissimè ipsa Confirmationis materia paulò ante demonstrauit atq; expressit.

Ex Con. Flo. loco vts.

1. Cor. 1.

In epist. ad Episcopos Hispaniæ.

Psal. 31.

Frons sedes verecundiæ.

DECRETA A PAROCHIS DE *Sacramento Confirmationis gregi ſibi cõmiſſo explicanda.*

CAPVT QVINTVM.

EOs, quorum curam habent, Parochi admoneant, poſt Baptiſmum à fidelibus cuiusquè ætatis, ſi tamẽ aliquo modo intelligant, Cõfirmationis Sacramentum rectè ſuſcipi poſſe: quamuis autem non ſemper certam ætatem & annos (quos vocant) diſcretionis in pueris expectandos eſſe quibusdam placet, commodiùs tamen erit (vt nempè certi aliquid vulgo, qui non ita ſubtiliter iudicare ſolet, præfixum habeatur) nè ante ſeptennium (niſi fortè malitia præueniat ætatem) quiſquam admittatur.

Ante ſeptẽnium ad Sacramentũ Confirmationis, ordinariè nemo admittendus.

Cùm verò ad Confirmationem eſt accedendum, prę-cipuè adulti (ſi fieri poſſit) ieiuni ſint, atque à peccatorum ſordibus per confeſſionem purgati: vt mundi ampliſſima Spiritus ſancti dona excipere queant.

Nullus accedat ad Sacramentum Confirmationis, præſertim adultus, niſi ſit ieiunus.

De Con. d. 5. c. vt ieiuni.

Quòd ſi quis ſemel fuit confirmatus, confirmari iterum non debet. Confirmandus autem vnum ſibi tantùm deligat Patrinum, alium ab eo, à quo è Baptiſmo ſuſceptus fuerat. Si tamen ita neceſſitas cogeret, idem tam in Baptiſmo quàm in Confirmatione Patrinus eſſe poteſt.

Confirmatio non reiterãda: & vnus tantũ adſit patrinus.

De Con. d. 5. c. dictum & c. de homine.

De Con d. 5. c non plures.

In Chriſmate neminem Patrinum eſſe poſſe, niſi ipſe aliás confirmatus fuerit.

Patrinus qualis.

De Con. d. 4. c. In catechis.

Ea quoquè cognatio, quæ ex Cõfirmatione contrahitur, Confirmantem & Confirmatum, illiusque patrem & matrem, ac tenentem non egrediatur, omnibus in-

Affinitas ex Confirmatione.

De Con. d. 4. c. in baptiſmate.

Ex Con. Trid. c. 2. decret. de reform maui.

inter alias personas huius spiritualis cognationis impedimentis omninò sublatis.

Moneantur parentes, ne filios suos ipsi cõfirmandos adducant ad Episcopum, neque teneant, sed aliis id negotij committant.

Confirmandi à parentibus non adducendi.

Sciant confirmati, frontem fascia munda tam diu esse debere alligatã, quoad Vnctio sacra exsiccata fuerit.

Confirmati in fronte fascia obligãdi.

Parochi demùm confirmatos, & compatres in Album referent, iis rebus seruatis, quas de libro nominibus baptizatorum asscribendis apposito tradidimus; quod vt fiat, Episcopis curæ sit.

Confirmati inscribẽdi.

DE POENITENTIA.

PROEMIVM.

Ex D. Tho. p 3. q. 84. ar. 6. c.

POEnitentiæ Sacramẽtum, in hoc orbis terræ vastissimo mari, atquè profundissimo, inter multiplices variosque vndatum fluctus, ac tempestates, incerto vitæ cursu quotidiè nauigantibus, interque periculosas vitiorum Syrtes, ac scopulos periclitantibus, quasi perfugium quoddam,

portusque salutis, ad quem ex tempestate appellere, ac peruenire possit; vtile est, & pernecessarium: vt ipse veritatis autor Christus testatur: Nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis. Licet enim prima tabula salutis nostræ causa in Baptismo arrepta, miserrimum quodcunque peccatorum naufragium euaserimus: (eius præsertim, quod tam longè, latèque patet, vt à primis parentibus nostris commissum, totum genus humanum, contagione quadam pestifera contaminârit) nouumque hominem induerimus, ad vera tantùm & solida immortalitatis bona, postpositis rebus caducis, ac fluxis, aspirantes: nihilominus, quia iterum peccando nouam ac tutam perfidia nostra afflictatā, agitatamque tempestate confregimus ratem: vt ex hoc tam difficili, scopulosoque vitiorum gurgite, incolumes, ac salui, ad sempiternæ beatitudinis portum euehi possimus; pœnitentia omninò indigemus: quæ propterea, ad translationem accommodatè, secunda naufragij appellatur tabula. Hinc illa sunt Tridentini Concilij verba. Per Baptismum enim Christum induentes, noua prorsus in illo efficimur creatura, plenam & integram peccatorum omnium remissionem consequentes, ad quam tamen nouitatem, & integritatem, per Sacramentum Pœnitentiæ sine magnis nostris fletibus, & laboribus, diuina id exigente iustitia, peruenire nequaquam possumus, vt meritò Pœnitentia laboriosus quidam Baptismus à sanctis Patribus dictus fuerit. Est autem hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, vt nondum regeneratis ipse Baptismus. Quare etsi non omnia, quædam pauca tamen, pro Sacerdotibus imperitis, vsuq; atque exercitatione rudibus, de administratione tanti Sacramenti, sunt nobis compendiaria quadam via breuiter

Pœnitentia post lapsum necessaria.

Luc. 13

Pœnitentia est secunda tabula post naufragiū.

Sess. 14. c. 2. de Sacram. Pœnitent.

annotanda: vt extremum ſpiritualis vitæ, ſalutiſque periculum temerè adeuntibus, ſalubrius conſulere, atque auxilio tandem aliquando eſſe poſſint.

DE DEFINITIONE Pœnitentiæ.

CAPVT PRIMVM.

OMnibus nouæ legis Sacramentis commune eſt, vt certa materia & forma conſtēt. Pœnitentiæ verò Sacramento proprium eſt, quòd non externæ quædam res, vt in cæteris ferè Sacramentis, ſed actus noſtri ad ipſius materiam aſſumuntur, nec ſanè ad ſancta decebat alios actus admitti, quàm qui in genere bonorum reponendi fuerint. Hinc eſt quod ſacri Doctores de Pœnitentia ſcribentes, aliam de eadem vt virtus eſt, aliam verò vt Sacramentum eſt, conſiderationem inſtituant. Tractatio autem Pœnitentiæ, vt virtus eſt, in actus ipſos iuxta naturam ſuam conſideratos dirigitur; vt eſt Sacramentum, in eoſdem etiam fertur, quatenus ex Chriſto Domino ad Sacramentum perficiendum inſtituuntur. Simile eſt, ſi quis aquam, quæ in materiam Baptiſmi aſſumpta eſt, vel ſecundùm Phyſicam ipſius naturam, vel in ordine ad Sacramentum, conſideraret. Atque hinc etiam eſt, quòd varij Scriptores diuerſas Pœnitentiæ definitiones tradiderint;

Pœnitentia vt virtus.

Pœnitentia vt eſt Sacramentum.

diderint; quas ſanè omnes afferre, & illarum multitudo, quæ ſingularem prolixitatem poſtularet, & gratæ breuitatis ſuſceptum ſtudium omninò prohibent. Nõnullas tamen quæ ad rei explicationem magis faciunt proferemus. Communiſſima itaquè eſt illa ſanctè Ambroſij definitio. Eſt, inquit; Pœnitentia, mala præterita plangere, & plangenda, iterùm non committere. Hæc quidem definitio non eſt Pœnitentiæ, quatenus Sacramentum eſt, ſed quatenus eſt virtus. Solent enim definitiones ad minimùm rei definitæ materiam & formã complecti; at in definitione iam allata, nulla eſt formæ huius Sacramenti mentio. Habet quoque Sacramentum hoc pro materia non vnum aliquem actum, ſed tres illos notiſſimos, Confeſſionem nimirùm, Contritionem, & Satisfactionem. Confeſſionis verò & Satisfactionis in prędicta definitione nulla fit mentio, non eſt igitur Sacramenti definitio, ſed potius ad virtutem Pœnitentiæ ex parte explicandam à D. Ambroſio tradita eſt. Dici tamen poteſt Sacramenti partialis quædam deſcriptio, quia vnius partis materiæ, Contritionis videlicet, naturam pulchrè nobis declarat. Eſt enim Contritio, vt ſacroſanctum Concilium Tridentinum, dolor de peccato commiſſo cum propoſito non peccãdi de cætero: id quod ſanctus Ambroſius aliis verbis habet: niſi quod vt vehementiam doloris in Pœnitentia requiſiti, & peccati enormitatem magis declaret, non tam doloris & peccati nomen vſurpat, quàm vtriusque effectum quendam inſinuat. Plangere enim eſt in actu exteriori, ad internũ animi dolorem vehementem conſequens. Peccata verò ita ſunt deteſtanda mala, vt meritò non quemuis dolorem, ſed vehementem, & ad planctum vſque requirant; quare à D. Ambroſio plan-

Deſcriptio Pœnitentia S. Amb.

Ex D. Ambroſio in quodã Sermon 4mę. Etha. de Pœn. d. 3. c. Pœñia.

Definitio Cõtritionis ex Con Tridens.

Seſſ. 14. cap 4.

Ex D. Grego: in R. lib. 9. c. 39. Et hab. de Pœn. dist. 3. c. Pœnitentiam. Ex Magist. 4 d. 14. De Pœnitētia.

plangenda vocatur. Similis est illa definitio sancti Gregorij. Est, inquit, Pœnitentia anteacta peccata deflere, & flenda non committere, quæ omnia ad Contritionē pertinent.

Peccata cur dicantur plangenda.

Descriptio Pœnitentiæ S. Gregorij.

Descriptio Pœnitentiæ ex Magistro Sentent.

Aliam quoque prædictis non absimilem Magister descriptionem nobis reliquit. Est, inquit, Pœnitentia virtus, qua commissa mala cum emendationis proposito plangimus & odimus, & plangenda iterum committere nolumus; nec satis putauit Magister, quod uirtutem esse dixisset, qua commissa plangimus, sed addidit, & odimus, vt nempè intelligamus, planctum hunc si exterior tantùm sit, virtutem non esse, sed requiri etiam, vt ex intimo animo, & ex vero peccati odio proficiscatur. Nec satis habuit dixisse, cum emendationis proposito, sed etiam addidit, qua plangenda iterum committere nolumus, vt nempè insinuaret, non quoduis leue propositum satis esse, sed omninò oportere esse efficax, vt ad peccata omninò redire nolimus.

De vera & falsa Pœnitentia c. 8. & hab. de Pœn. d. 3. c. Pœnitētia. Ex eodem loco vt suprà.

Duplex Pœnitentiæ descriptio ex D. Aug.

Sanctus verò Augustinus ad Satisfactionem, alteram Pœnitentiæ partem respiciens, aliter Pœnitentiam describit; Est, inquit, quædam dolentis vindicta, semper puniens in se quod dolet commisisse. Et iterum: Pœnitere, inquit, est pœnam tenere, vt semper puniat in se vlciscendo, quod commisit peccando. Quæ omnia ad studium satisfaciendi referuntur.

De Pœn. d. 3. c. Pœñia. Ex Conc. Trid. Sess. 14. cap. 2.

Alia definitio ex sacris Canonibus.

In sacris Canonibus aliam definitionem legimus, Pœnitentia est Sacramentum iustitiæ contra peccatum mortale post Baptisma perpetratum. Quæ sanè definitio proprios quosdam effectus Sacramenti insinuat. Dicitur quidem Sacramentum iustitiæ, ad differentiam Baptismi, quo Deus misericorditer omnem culpam delet, omnemque pœnam remittit. At in Pœni-

Quare Pœnitentia dicatur Sacramentum iustitia.

tentia, remissa culpa, pro ratione iustitiæ manet obligatio ad pœnam. Qui enim per Baptismum semel iustificatus diuinæ misericordiæ liberalitatem expertus est, & pòst tanti beneficij immemor ad peccata prolabitur, meretur sanè, ne tanta facilitate, qua semel abusus est, ad gratiam deinceps plenè admittatur. Dicitur porrò, contra mortale, vt intelligamus necessariam huius Sacramenti materiam, esse tantùm peccatum actuale mortale: nam etsi venialia vt mortalibus minora hocquoque Sacramento remitti poterũt, tamen cum eorundem alia non desint remedia, non ad necessariam huius Sacramenti materiam spectant. Additur denique, post Baptisma perpetuum, vt intelligamus ante Baptismum commissa, sub Sacramentum Pœnitentiæ non cadere. Non enim prima est, vt Concilium Tridentinum; sed secunda post naufragium tabula. Postquam enim à fœlici illo statu innocentiæ exciderimus, & veluti naufragium fecerimus, ad portum salutis consequendum, Baptismum, veluti primã quandam tabulam, singulari Dei beneficio accepimus. Baptismi verò innocentia perdita, superest adhuc altera Pœnitẽtiæ tabula, qua omnes seculi fluctibus quandoq; demersi, rursus emergant, & ad optatam tandẽ patriam salui deducantur. Nec abs re videri debet, quod mentio fiat peccati actualis ante Baptismum cõmissi: Nam etsi inter Christianos omnes in infantia ante vsum rationis, sine quo peccatum non contingit, Baptismo initiantur, tamen à Iudæorum & Gentilium erroribus ad fidem adulti quandoque conuertuntur, qui ante Baptismum varia etiam actualia commiserant. Proinde in huiusmodi adultis, mortalia ante Baptismum commissa, per Baptismum vnà cum originali tolluntur. Quę autem

Sess. 24. can. 2.

Quare Pœnitentia dicatur secũda tabula post naufragium.

autem post Baptismum ab eisdem fiunt, non nisi per pœnitentiam remitti possunt.

Plenior Sacramenti Pœnitentiæ definitio.

Absolutissimam denique Sacramenti definitionem hanc tandem existimamus. Pœnitentia, Sacramentum est, quo Sacerdotalis absolutio à peccatis, quæ detestatus, riteque confessus quis fuerit, impenditur. In hac quidem definitione, omnia quæ ad Sacramenti essentiam & declarationem requiri possunt, explicantur. Est enim Pœnitentia ex genere suo Sacramentum, proinde dicitur, Pœnitentia est Sacramentum: reliqua verò loco differentiæ adduntur. Omnia autem Sacramenta nouæ legis, vna Eucharistia excepta, actionibus quibusdam transeuntibus fiunt: proinde ad Sacramenti propriam cuiusque explicationem pertinet, vt quibusnam actionibus fiat, intelligatur. Atque Sacramentum Pœnitentiæ perficitur certis quibusdam actionibus, tum ex parte ministri, tum etiam ex parte Pœnitentis. Ex parte quidem Ministri, est absolutio, ad quam Sacramenti huius forma refertur: vt autem intelligatur absoluendi potestatem non omnibus conuenire, sed iis

Quibus actionibus perficitur Sacramentum Pœnitentiæ.

an. 20. tantùm, quibus dictum est: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt, propterea in definitione habetur: Pœnitentiam esse Sacramentum, quo Sacerdotalis absolutio à peccatis impenditur. Ex parte autem Pœnitentis requiritur Contritio, seu dolor de peccatis commissis cum emendationis proposito, simul & Confessio, non quælibet, sed vera, integra, ad obediendum sententiæ Iudicis parata, aliisque circumstantiis absoluta. Propterea detestationis peccatorum riteque faciendæ Confessionis in definitione iam tradi-

ta sit mentio. Atque hi actus Pœnitentis ad Sacramenti materiam pertinent. Ex quibus fit manifestum, prædictam definitionem, vt genere & differentia constantem, formam & materiam continentem, esse absolutissimam.

AVTORITATES EX Sacris literis depromptæ, quibus Pœnitentiæ virtus & Sacramentum approbantur.

CAPVT SECVNDVM.

SI autem impius egerit pœnitentiã ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iustitiam, vita viuet & non morietur. Ezech.18.

Item: conuertimini & agite Pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus uestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.

Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & planctu. Iohel.2.

Facite fructum dignum Pœnitentiæ. Math.3.

Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum. Matth.4.

Non veni uocare iustos sed peccatores ad pœnitentiam. Matth.9.

Væ tibi

Matth. 11. Væ tibi Corozain; Væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro, & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cinere & cilicio pœnitentiam egissent.

Mar. 1. Fuit Ioannes in deserto baptizans, & prædicans Baptismum Pœnitentiæ, & remissionem peccatorum.

Mar. 6. Et exeuntes Apostoli prædicabant, vt pœnitentiam agerent.

Luc. 11. Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione hac, & condemnabunt illam: quia Pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ.

Luc. 13. Nisi Pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.

Luc. 15. Ita gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente; quàm supra nonaginta nouem iustis, qui non indigent Pœnitentia.

Luc. 17. Attendite vobis (inquit Christus ad Discipulos) si peccauerit in te frater tuus, increpa illum, & si Pœnitentiam egerit, dimitte illi.

Luc. 24. Oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum, in omnes gentes, incipientibus ab Hierosolyma.

Act. 8. Pœnitentiam age ab hac nequitia tua (ait Petrus ad Simonem Magum) & roga Deum, si fortè remittatur tibi hæc agitatio cordis tui.

QVÆNAM POENITENTIÆ *materia, quæ forma, qui Minister, quiq́; sint effectus.*

CAPVT TERTIVM.

Materia Sacramẽti Pœnitentiæ duplex.

Ex D. Tho. 3. q. 84. ar. 2. c.

MAteria Pœnitentiæ duplex est; vna remota, propinqua altera: remota sunt admissa scelera, ac peccata, quæ quisque à se auertere, expiare, ac detestari debet, secundùm illam Apostoli sententiam; Non egerunt pœnitentiam super immunditia, & fornicatione, & impudicitia, quam gesserunt. Propinqua verò sunt actus pœnitentis (cuius materia sunt ipsa peccata) vt cùm se peccâsse, iuraque humana ac diuina violasse doleat: deinde maleficia commissa, ac delicta Sacerdoti supplex fateatur: tum pœnis, obligationibusuè pro facinorum varietate ac magnitudine in ipsum iure constitutis satisfaciat. Ex quibus quasi Pœnitentis officiis tres Pœnitentiæ partes ortæ dicuntur: Contritio, Confessio, ac Satisfactio: quæ adeò necessariæ sunt, vt si vel vna illarum desit, Pœnitentiæ Sacramentum mutilum ac mancum omninò sit. Quod & Sacrum Concilium Florentinum memoriæ prodidit: Pœnitentiæ (inquit) quasi materia sunt actus Pœnitentis, qui in três distinguuntur partes, quarum prima cordis contritio, ad quam pertinet, vt doleat de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero. Secunda est; oris confessio, ad quam pertinet, vt peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo Sacerdoti confiteatur integraliter. Tertia; Satisfactio pro peccatis secundùm arbitrium Sacerdotis, quæ quidem

2. Cor. 12.

Ex Conc. Florent. in verb. quartum Sacr.

Tres partes Pœnitẽtiæ.

Cõc. Flor. in verb. Quartum Sacramentum.

Quæ sint o.

Seff. 14. cap. 3. doct. de Sanctiss. Pœnit & extr. Vnct. Sacramentis.

dem fit per orationem, ieiunium, eleemosynam. Idem etiam ferè tradit sacrosancta Synodus Tridentina his verbis: Sunt autem quasi materia huius Sacramenti Pœnitentiæ, ipsius pœnitentis actus, nempè, Contritio, Confessio, & Satisfactio. Qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione partes Pœnitentiæ dicuntur.

pera satisfactionis.

Ex D. Tho. 3. q. 90. ar. 1. c.

Annotationes in materiam Pœnitentiæ.

Nemini verò mirum videri debet, quòd cùm Pœnitentiæ Sacramenti sit vna materia, diuersæ tamen ponantur partes: nam cùm plures actus humani ad Pœnitentiæ perfectionem requirantur & concurrant, quippè; Contritio, Confessio ac Satisfactio, plures etiam Pœnitentiæ partes necesse est esse; quæ tamen ad totum se habent, vti materia ad formam, iuxta illud Philosophi asserentis, partes in genere causæ materialis constitui, totum autem poni in genere causæ formalis. Cùm autem dictæ materiales huius Sacramenti proximæ partes, nempè; Contritio, Confessio & Satisfactio, aliqua egeant consideratione, hoc nobis loco quædam pauca notare libuit. In primis tenendum est, quòd sicuti Pœnitentiæ, quæ non in sensu, sed in voluntate cõsistit, à sacris Doctoribus virtutis nomen tribuitur: ita etiam prædictæ tres partes ipsius Pœnitentiæ virtutes dici debent, imò sine his partibus pœnitentia ipsa virtus nec esse, neque dici potest, quia virtus nihil aliud est, quàm habitus secundùm rectam rationem electiuus. Ad rectam verò rationem pertinet, vt aliquis doleat, de quo, & eo modo, quo dolendum est: quod quidem in ipsa Pœnitentia, de qua hic est sermo, per Contritionem obseruatur: nam pœnitens concipit debitum dolorem de peccatis præteritis cum intentione remo-

In 2. Phys. tex. 31.

Ex D. Tho. 3. p. q. 85. ar. 1. c.

remouẽdi ea; quæ deindepoſt Contritionẽ per oris confeſſionẽ ex vero cordis affectu profectã, & voluntariam ſatisfactionẽ remouentur. Proinde Pœnitentia, ac quælibet pars ipſius proxima virtus, vel ſaltem actus virtutis haberi debet. Imò (vt alibi ait D. Th.) per Pœnitentiam) adhibita clauiũ poteſtate.) omnes virtutes reſtituuntur: Cum enim per Sacramentum Pœnitentiæ remittantur peccata & remiſſio peccatorũ fieri non poſſit, quàm per gratiæ infuſionem, ex eo efficitur, quòd per Pœnitentiam homini gratia infundatur, ex qua deinde conſequuntur omnes virtutes gratuitæ, quemadmodum ex anima fluũt omnes potentiæ: Quo autem id contingat modo, idem Doctor in eodem articulo ita explicat: In Sacramento Pœnitentiæ actus humani ſunt loco materiæ, ſed vis formalis & perficiens pendet ex virtute clauiũ, eamq; ob cauſam virtus clauium effectiuè producit gratiam & virtutes, vt inſtrumentum tamen: Sed primus actus Pœnitentis, videlicet Contritio, ſe habet vt vltima diſpoſitio ad conſequendam gratiam: alij verò ſequentes Pœnitentiæ actus iam procedunt ex gratia & virtutibus. Quòd ſi quis hæc & alia ſimilia ad prius inſtitutum accommodata vberius intelligere cupiat, is inferius legat, quæ de hac materia, præſertim ex Sac. Concilio Tridentino traduntur,

3.p.q. 89. ar.1.c.

3.p.q. 89. ar. 1. 2m.

Cap. in verb ſecundo.

Forma Sacramenti Pœnitẽtiæ.

Forma autem eſt: Ego te abſoluo; ex Sacris lectionibus Euangelicis excerpta. Vt eſt apud Matthæum: Quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quæcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis. Item: Quæcunque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo; & quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo: Et alibi: Accipe Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur

Ex Conc. Flo. loco. vts. & Con. Trid. Seſſ. 14. cap 3. doctr. de Pœnitent.

Matth. 18.

Matth. 18.

Ioan. 20.

cis,

Ex D. Aquinat. 3. p. q. 84. ar. 3.

eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Nam quemadmodum ex illis Christi verbis: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti; communis Christianorum omnium mater Ecclesia illam Baptismi excerpsit formam: Ego te baptizo in nomine Patris &c. ita ex his Christi verbis, hanc pœnitentiæ formam accepit: Ego te absoluo: qua semper non adulta solùm, sed nascens etiam Ecclesia est vsa. Cui rei fidem facit Concilium Florentinum cum ait; Forma huius Sacramenti est: Ego te absoluo &c. Idem & Concilium Triden. d. c. 3. doctrinæ de Pœnitentia

In Verbo Quartum Sacramentum.

Annotationes in formā Pœnitentiæ.

Ex Sum Caiet. Abs. 1. §. 4.

Pronomen autem, ego, non est necessarium ad formam, quia in verbo absoluo supprimi potest: vt de alijs item omnibus primæ personæ verbis est sentiendum. Quod si loco Pronominis, te, cùm quispiam optimatum honoris caussa absoluitur, vos, diceretur: aut si Prælatus aliquis in amplissimo dignitatis gradu locatus, sui rationem splendoris habens, cum absoluit, loco verbi, absoluo, diceret, absoluimus, esset quidem hæc absolutio firma, rataq; haberetur, non tamen eiusmodi verborum commutatio absq; aliqua peccati nota fieret, quòd ab iis discedat verbis, quæ ab Ecclesia formæ huius Sacramenti fuere assignata.

Licet insuper necessaria pœnitentiæ forma hisce tantùm verbis contineatur: Absoluo te; decet tamen alia quædam, quasi quasdam munitiones & à fronte, & à tergo collocari; quæ ab Ecclesia optimo iure fuerunt apposita. Præmittitur enim huic absolutioni illa precatio: Misereatur tui omnipotens Devs &c. ne effectus Sacramenti pro parte pœnitentis, cuius actus sunt quodammodo materia in hoc

Ex D. Tho. 3. p. q. 84. ar. 3. 1.

Sacramento, impediatur; non itidem in Baptiſmo ac Confirmatione ſeſe res habet.

Præponuntur item, ac ſubiiciuntur formæ, cùm profertur, quædam alia non minùs quàm ſuperiora ad rem facientia verba, videlicet; Dominus noſter Ieſus Chriſtus te abſoluat; & ego autoritate ipſius te abſoluo à peccatis tuis: in nomine Patris, & Filij & Spiritus ſancti, Amen. Quòd quidem fit ad ſignificandum, peccatorum abſolutionem à Deo ſolo propria poteſtate præcipuè fieri, & à Confeſſario tanquam Chriſti Vicario ac Miniſtro, proximam à Chriſto autoritatem habente, ſecundario loco.

Ratio eorũ quæ adhibẽtur in abſolutione Sacramentali Pænitetiæ.

Poſtremò, quoniam hęc vis remittendi peccata ex Chriſti morte ſuum habet ortum, vt eſt apud Apoſtolum: Sanguis Ieſu Chriſti filij Dei mundat nos ab omni peccato; non immeritò & illius atrociſſimi, atque acerbiſſimi ſupplicij fit mentio, cùm dicitur: Paſſio Domini noſtri Ieſu Chriſti, &c. Atque hac abſolutionis forma ad finem huius Sacramenti commodè ac diſtinctè apponitur: vbi nonnulla etiam abſoluendi adducuntur diſcrimina. Hinc & Sacroſanctum Concilium Trid. Docet ſancta Synodus, Sacramẽti Pœnitentiæ formam, in qua præcipuè ipſius vis ſita eſt, in illis Miniſtri verbis poſitam eſſe: Ego te abſoluo. &c. Quibus quidem de Eccleſiæ ſanctæ more preces quædam laudabiliter adiunguntur: ad ipſius tamen formæ eſſentiam nequaquã ſpectant, neque ad ipſius Sacramenti adminiſtrationem ſunt neceſſariæ.

1. Ioan. 1

Infra in verbo: Abſolutio à peccatis.

Seſſ 14. c. 3. doctr. de Pœnitent.

Effectus Sacramenti Pænitẽtiæ.

Effectus verò ac fructus Pœnitentiæ eſt ipſa à peccatis facta abſolutio, & concors, atque amica cum diuino numine reconciliatio; quam non raró in hominibus piis ac religioſis, qui ad hoc Sacramentum ſanctè, ac ſynce-

Ex Con. Flo. loco vts. & Cõ. Trid. Seſſ. 14. de Pœnitent. c. 3.

ſyncerè accedunt, mens pura, atque integra, optima rectè factorum conſcientia, pax, tranquillitas animi, alacritas, gaudium, & ſumma diuinarum rerum voluptas, aliaque bona innumerabilia, ac commoda, ad honeſtas vitę ſpiritualis rationes inſtituendas, cumulatiſſimè conſequi ſolent.

Ex Con. Flo. loco vt s. — *Miniſter Sacramenti Pœnitentiæ.*

Miniſter demum eſt Sacerdos à Deo abſoluendi ſibi conceſſam, atque permiſſam habens poteſtatem, vt verba illa Chriſti ad Petrum totius Eccleſiæ Catholicæ

Matth. 16.

perſonam tunc gerentem, clariſſimè teſtantur. Tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis. Quæ verba propterea Diuus explicans Hieronymus ait: Habent eandem iudiciariam poteſtatem alij Apoſtoli; habet & omnis Eccleſia in Epiſcopis & Presbyteris. Quod ipſemet Chriſtus alibi apertè oſtēdit, Apoſtolos omnes eorumque Succeſſores allocutus; Quæcunque alligaueritis

Matth. 18.

ſuper terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcunq; ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo. Item:

Ioann. 20.

Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta

Conciliũ Trid. Seſs. 14. de doct. Sacr. Pœn. c. 6. & can. — *Poteſtas abſoluendi nõ omnibus cõmunis, & quibus conueniat.*

ſunt. Quapropter falſa eſt, & à veritate Euangelij penitus aliena doctrina omnis, quæ ad alios quoſuis homines, præter Epiſcopos & Sacerdotes clauium miniſteriũ perniciosè extēdit, putans verba Domini paulò ſuperiùs in medium adducta, ad omnes Chriſti fideles indifferenter, & promiſcuè, contra inſtitutionem huius Sacramenti, ita fuiſſe dicta, vt quiuis poteſtatem habeat remittendi peccata; publica quidem per correctionem, ſi correctus acquieuerit: Secreta verò per ſpontaneam confeſſionem cuicunque factam.

Annotationes in Ministrum Pœnitentiæ

Animaduertere autem debes, benigne lector, quòd quamuis Sacerdos quilibet ex virtute clauium promiscuè in omnes ad omne peccati genus potestatem habeat, neminem possit nihilominus à peccatis absoluere, præter eos, in quos habet iurisdictionem propriam, vel ab aliis dignitate ac officio principibus viris potestatem sibi permissam. Quod & Concilium Florentinum confirmat his verbis; Minister huius Sacramenti Pœnitentiæ est Sacerdos habens autoritatem absoluendi, vel ordinariam, vel ex commissione superioris. Hinc ait etiam Caietanus; non sufficere ad administrãdum Sacramẽtum Pœnitẽtiæ, esse Sacerdotem; sed prę- ter sacerdotalem potestatem, etiam requiri aliam, iurisdictionis videlicet. Potestas enim ordinis habetur ex Sacerdotio; Potestas autem iurisdictionis, vel ex officio Pastorali, vel ex eius permissione, qui Pastor est pœnitẽtis. Adeo autem hæc potestas vtraq; est necessaria: vt si altera desit, vana sit futura peccatorum absolutio. Nam quemadmodum nullum est Pœnitentiæ Sacramẽtum, cùm quis nullo præditus Sacerdotio quẽpiam absoluit; ita quoque si Sacerdos aliquem fidei suæ non commissum, ac creditum absoluat, irrita sit atque inanis illa absolutio necesse est. Si quis igitur absoluendi nullam habet autoritatem, quenquam absoluere neque debet, neque potest. Cuius rei confirmandæ caussa Sacrosanctum Tridentinum Concilium, ex antiquorum Conciliorum constitutionibus, & Ecclesiæ Catholicæ dogmatibus, hoc edidit decretum. Quamuis (inquit) Presbyteri in sua ordinatione à peccatis absoluendi potestatem accipiant: decernit tamen sancta Synodus, nullum etiam regularem posse confessiones secularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut

Ex D. Aquinate 4. d. 20. ar. 1. 42. c.

In verb. quartum Sacramentum.

Sum. Caiet. Abs. 2. § 2.

Sess. 23. c. 15. de reform.

Nullus, etiam regularis, confessiones Pæ-

aut Parochiale beneficiũ, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus iudicetur, & approbationem quæ gratis detur, obtineat; priuilegiis & consuetudine quacunque etiam immemorabili, non obstantibus. Et alibi: Synodus hæc confirmat, nullius momẽti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet iurisdictionem.

Pœnitentium & Sacerdotum audire potest, nisi curam habeat animarum vel ab Episcopo sit exposi-tus.

Conciliũ Trid. sess. 14. cap. 7. de doctr. Pœn.

Age verò si quis vtramque istam, Ordinis scilicet, & iurisdictionis vel delegationis habuerit potestatem, & (eo modo, quem Concilium Constan. in Extrauag. præscripsit.) excommunicatus aut suspensus, aut irregularis fuerit; is neminem (nisi necessitas ita postularet) absoluere potest; vt pluribus verbis post dixerimus. Licet enim vtrãque habeat potestatem, neutrius tamen iisdem stantibus censuris, habet vsum. Tria itaque vt quis huius Sacramenti verus & idoneus possit esse Minister, requiruntur, potestas Ordinis, Iurisdictionis, & potestatis vsus; de quibus inferius scribemus.

Excommunicatus vel suspensus aut irregularis manifestus, licet curam habeat animarum, absoluere alios non potest, nisi necessitas postulauerit.

Sum. Armil. Confessor. §. 1.

Tria requiruntur in idoneo Ministro Pœn.

Multis autem modis potest quis Sacramenti huius talis idoneus esse minister. Primò summus Pontifex per totum terrarum orbem. Secundò Legatus, seu Nuncius, atque eius Pœnitentiarius in tota sua Prouincia. Tertiò, Archiepiscopus dum iurisdictionem lustrat in omnes Coëpiscopos ac Suffraganeos suos. Quartò Episcopus, eiusque Pœnitentiarius, & Vicarius generalis Episcopi per totam Diœcesim. Quintò, Presbyter Parochus in tota Parochia sua. Sextò, Prælati minores in omnes vtriusque sexus religiosos sibi commissos. Postremò, ii, qui à supradictis, pro ea, qua sunt, autoritate facultatem habent in eorum subditos. His enim exceptis

Ex Ric. & Pan. in c. omnis vtriusque sexus.

C. Nostro. de Pœn. & remiss. Conciliũ Trid., Sess. 24. c. 8. de reform. Ar. l. cum præter. ff. de iudi. & c. officium de offi. Archipres.

ceptis nemo alius Sacramenti huius ordinariè potest esse Minister.

Potest nihilominus, si res cogat, nec huiusmodi Sacerdos confessarius in promptu esse queat, Pœnitentiæ Minister esse Sacerdos quicunque etiam quoquo modo potestatis vsu priuatus; & cùm deest Sacerdos, periculumque vrget, quiuis item non solum in Sacris constitutus, sed etiam fidelis Laicus, secundùm illud D. Aug, Tanta vis confessionis est, vt si deest Sacerdos, cõfiteatur proximo. Est autem hoc discrimen: quòd illi quidem pœnitentium peccata non solùm audire, sed etiam autoritate clauium eos absoluere; hi verò idem præstare minimè possunt. Quod ita confirmat D. Th. Ille, qui Laico cõfitetur, quamuis impleat quod ex parte sua est, de Sacramentali confessione, tamen Sacramẽtalem absolutionem non consequitur. Quaproptet Laicus, audita imminente necessitate alicuius cõfessione, non debet, nec potest vti hac forma. Ego te absoluo, &c. sed deprecatoria tantũ illa; Misereatur tui omnipotens Deus &c. quod parum prodesse videtur pœnitenti. Idcirco scribunt sancti Doctores, absente Sacerdote, cùm quis in mortis discrimen periculumq; venit, confiteri Laico peccata sua non esse necessarium ad salutem: quia per id temporis satis est, si vera adsit contritio, qua constantem, si vixerit, confitendi ac satisfaciẽdi habeat voluntatem: vt velit, si possit, crimina, quorũ sibi conscius est, coram Sacerdote enumerare, pœnasq; suis dignas sceleribus persoluere: quæ quidem mens in rebus etiam factu difficillimis, & quæ possibiles non sint, ac vires humanas superent, suscipi potest. Ideò ait Diuus Augustinus: Patet DEVM ad cor respicere,

Deficiente Confessario in casu necessitatis sufficit contritio.

Ex. de uer. & fal. Pœnitẽt. cap. 10. Et de Pœn. d. 6 c. qui vult.

4. d. 20. ar. 1. q. 2. 3 m.

Archiep. 3. p. ti. 24. c. 18. & alij.

D. Aug. in lib. de vera & falsa Pœnitent. c. 10. refertur de Pœnitent. d. 1. c. quem pœnitet.

re, dum ex necessitate prohibentur ad Sacerdotes peruenire. Cuius rei euidens ratio est: quia Pœnitens huiusmodi, ex vi contritionis, quæ votum confessionis Sacramentalis includit, dignus iudicatur remissione peccatorum suorum. Improbandum tamen non erit, si quis tunc ad exonerandam conscientiam, peccata sua Laico fideli aperiet, dummodò talis Laicus intelligens & prudens, ac secretus habeatur; quod ita, etsi ille cui confitetur, potestatem absoluendi non habeat, ex desiderio tamen, quo tenetur, adeundi Sacerdotem, dignum se præbeat delictorum venia. Debet autem, si vitæ periculum euaderet, cùm primùm dabitur occasio, coram Sacerdote peccata sua omnia iterum recensere, absolutionemque ab iisdem accipere; quia confessio facta non Sacerdoti, Sacramentum esse non potest, nec ex consequenti cum ea gratia, quæ est ex vi Sacramenti, collata. Licet enim liberationem erratorum impetrârit à Deo is, qui extremo vitæ suæ periculo, Laico huiusmodi est confessus; quòd veram, ac synceram confitendi voluntatem, quam secundùm diuinas leges suscepit, pro viribus reipsa testatam relinquere conatus sit; non tamen adhuc in pristrinam Ecclesiæ gratiam rediit, vt ad Sacramenta admitti debeat, nisi priùs à Sacerdote absoluatur: non secus ac ille ad Eucharistiam nullum habet additum, qui Baptismo flaminis duntaxat est baptizatus. Quare necesse est, vt, cùm idoneam id faciendi facultatem opportunitas dabit, de integro Sacerdoti commissa facinora patefaciat, in iudiciumque proferat; eò maximè, quia Sacramentũ Pœnitentiæ, quod ante imperfectum fuit, ac mancum, sit modo perficiendum; vt vberiores,

Ex D. Aquinat. 4. d. 17. q. 3. ar. 3. q. 2. 3m.

lętio

lætioresque fructus ex sacramenti huius susceptione capiat, iussisque legis de recipiendo pœnitentiæ Sacramento obtemperet. Quod si ex hac vita antè migraret, quàm Sacerdotum quispiam accersiri posset; nullum quidem inde pertimescendũ esset perpetuæ damnationis periculum: Sed diuturnior in Purgatorio pœnarum perpessio, quàm si per tempus Sacerdoti criminum ipsius confessionem audire licuisset. Quod Diuus Augustinus comprobat his verbis; Sæpè Pœnitentes Sacerdotes quærunt, sed sani & læti, dum quærunt, antequam perueniant, moriuntur. Sed Dei misericordia est vbique, qui iustis nouit parcere, etsi non tam citò, sicut soluerentur à Sacerdote. Cui etiam D. Thomas assentitur, inquiens: Confessio facta Laico, aliquid quidem valet Pœnitenti quantum ad diminutionem pœnæ, quæ fit per Cõfessionis meritum & pœnam; sed illam pœnæ diminutionem is non consequitur, quæ est ex vi clauium: Quapropter oporteret, vt Sacerdoti iterum confiteretur, aliàs sic confessus decedẽs, post hanc vitam magis punitur, quàm si Sacerdoti confessus fuisset. Quare omnes Christi fideles diligentiam adhibere debent, vt congruo tempore idoneo Sacerdoti peccata sua confiteantur, ne in præmisso necessitatis casu, Laico confiteri oporteat. Quod efficere queunt, si quoties mortaliter peccauerint, iuxta illud: Sol non occidat super iracundiam vestram, Confessarium adeant: aut saltem, cùm aliquo morbo ægrotare cœperint, eum secundùm Canones sacros ad se vocent, & confiteantur, præsertim, si aliquo peccato mortali se aggrauatos nouerint. Ad hoc etiam consultum erit, vt fideles Christiani iuxta veterem & probatam Catholicæ Ecclesiæ consuetudinem, non tantùm semel in anno

D. Aug. in lib. de vera & falsa Pœnitentia c. 10. & ha. de Pœn. d. 1. c. quẽ Pœnitet.

4. d. 20. ar. 5. q. 2. 3.

no, nempè Paſchali tempore, quo omnes ſub præcepto tenentur, ſed etiam aliis temporibus, maximè in ſolennitatibus Pentecoſtes, Natiuitatis Domini, Epiphaniæ, Annunciationis, atque Aſſumptionis B. Virginis Mariæ, & in feſto omnium Sanctorum, conſcientia Sacramentali confeſſione expiata, communicent. Nam ſi ita fecerint, vix huiuſmodi neceſſitatis caſus incidet, vt peccatis mortalibus obnoxij absque Sacramentali cõfeſſione è viuis decedant. Ad id Parochi, aliique animarum curam habentes, per ſe & Concionatores populum ſibi commiſſum frequenter adhortentur, & commonefaciant, etiam in infirmitate exiſtentes: qua in re diligenter obſeruent, quæ à nobis inferiùs præſcribentur.

Omnes ſub præcepto tenentur in anno ſemel cõfiteri præſertim in Paſchate.

QVÆ AD CONFESSARII munus ritè obeundum ſint neceſſaria.

CAPVT QVARTVM.

QVamuis poteſtas ſoluendi & alligandi; remittendi ac retinendi peccata Pœnitentis, ſit à Chriſto Sacerdotibus tradita; quia tamen nullus iudex re incognita iudicare poteſt, Sacerdotes illa prius vti nequeunt, quàm acuratè cauſa ab ipſis fuerit cognita, de qua ab his docentur, qui eis ſua confitentur peccata. Idcircò oris confeſſio poſt Contritionem cordis tanquam ſecundum pœnitentiæ

Ex D. Tho. c. 72. lib. 4. cont. Gen. Idem approbat & Syn. Trid. Seſſ. 14. c. 5. de confeſſio.

Quare Confeſſio neceſſaria.

membrum necessario fuit instituta, vt pœnitentium culpæ Christi pateant ministris; quorum iudiciaria potestas duabus præcipuè rebus, tribusque quasi consequentibus tenetur: illa essentialia sunt: ab illis ista non disiuncta, atque aliena; tam confessario (vt in hoc Sacramēto administrando integer censeatur.) omnia necessaria; quàm confitenti perquam vtilia, atque optima. Primò enim cùm recta, ac praua iudicandi requiri rur cognitio & scientia: tum absoluendi reos, aut condemnandi potestas: quæ duæ res claues ecclesiæ appellantur: quas Christus Petro eiusque Vicariis, ac Successoribus dedit, vt est in Euangelio: Tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis. Et alibi ad omnes Apostolos: Quæcunq; alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo. Et apud Ioannem: Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Deinde harum Comites ac Ministros esse vult rectam agendi rationē, tum naturæ bonitatem probitatemq; vitæ; tum arcanū secretæ confessionis sigillum; tum deniq; communem rebus omnibus prudentiam. Ex quibus omnibus colligere possumus, quinque in Confessario idoneo requiri, videlicet, potestatem, scientiam, bonitatem, prudētiam & confessionis taciturnitatem. Quocirca vtile ac pergratum Confessariis fore existimauimus, si hoc loco harum rerum omnium quasi speciem quandam, ac formam sub oculis poneremus.

Math. 16.

Matth. 18.

Ioan. 20.

Quinq; in Confessario requiruntur: potestas scientia, prudentia & taciturnitas.

DE POTESTATE Confeſſarij.

CAPVT QVINTVM.

In Verbo Miniſter huiu Sacramenti.

QVoniam ſuperiùs ſatis eſt explicatum tria in Confeſſario eſſe oportere; Ordinem, Iuriſdictionem, & Vſum; quæ ſi deſint (niſi mortis imminente periculo, quo tempore cuilibet Sacerdoti ritè ordinato, vt ſuprà oſtenſum eſt, hac vti conceditur poteſtate) nulla à peccatis dari poteſt abſolutio. Propterea non multum in his immorabimur, ſed tantum hæc paucula, quæ ſequuntur ad maiorem Confeſſariorum eruditionem adhuc addemus.

Annotationes in poteſtatem confeſſarij.

Quoniam non pauci reperiuntur Sacerdotes ita ignari, imò etiam temerarij, & propriæ conſcientiæ integritatem paruifacientes, vt licet nulla ſit illis animarum cura commiſſa, neque à propriis Paſtoribus facultas conceſſa, publicè tamen ſub eo prætextu ſolo, quod ſint in Sacerdotes ab Epiſcopis ritè ordinati, quorumcunque accedentium confeſſionem audire, eoſque à peccatis abſoluere non dubitent, in ſuæ & huiuſmodi Pœnitentium animarum detrimentum, ac iacturam idcirco huiuſmodi Sacerdotes hoc loco commonefaciendos putauimus, vt à tanta audacia, temeritate ac periculo abſtineant, cum nullam omnino quempiam abſoluendi habeant poteſtatem, niſi ab Epiſcopis aliiſque paſtoribus ſit eis ſpecialiter communicata: vti docent omnes ſacri Canones, etiam ſancta Synodus Tridentina, quæ ait; Quamuis Presbyteri in ſua ordinatione à peccatis abſoluendi poteſtatem accipiant, nullum

Poteſtas ordinis non eſt ſatis ad confeſſiones audiendas.

tamen etiam regularem poſſe confeſſiones ſecularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut Parochiale beneficium, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut aliàs idoneus iudicetur: & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, priuilegiis, & conſuetudine quacunq; etiam immemorabili non obſtantibus. Et alibi: Nullius momenti abſolutionem eam eſſe debere (inquit) quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut ſubdelegatam non habet iuriſdictionem. Veruntamen piè admodum (ait eadem Synodus) ne hac ipſa occaſione aliquis pereat, in eadem Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, vt nulla ſit reſeruatio in articulo mortis, atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibuſuis peccatis & cenſuris abſoluere poſſint, extra quem articulum Sacerdotes cum nihil poſſint in caſibus reſeruatis, id vnum pœnitentibus perſuadere nitantur, vt ad ſuperiores & legitimos iudices pro beneficio abſolutionis accedant. Ex quibus ſatis perſpicuè colligitur, nullum Sacerdotem, quamuis fuerit ab Epiſcopo ad Sacerdotium ritè ordinatus, abſoluere poſſe, niſi præter ordinis poteſtatem ſit etiam iurisdictionis poteſtate inſignitus.

Seſſ. 14. c. 7. doctr. de Pœn.

In fine d. c. 7. doctr. de Pœn.

In articulo mortis nulla caſuum reſeruatio.

Pœnitentes pro abſolutione caſuū reſeruatorum ad ſuperiores mittendi.

Nouerint etiam non ſolùm ſimplices Sacerdotes, ſed etiam curam animarum habentes, aliiq́ue ad confeſſiones audiendas alicubi expoſiti, quòd aliorum ſibi non commiſſorum, neque alibi confeſſiones audire queant, præterquam in quibuſdam caſibus inferiùs notatis. Hinc ſacer Canon: Placuit vt deinceps nulli Sacerdotum liceat quemlibet commiſſum alteri Sacerdoti ad pœnitentiam ſuſcipere, ſine eius conſenſu, cui priùs ſe commiſit; niſi pro ignorantia illius, cui pœnitens

Nemo confeſſarius audire poteſt ſuæ iuriſdictioni non ſubditos.

De Pœnitentia diſt. 6 c. placuit.

nitens priùs confeſſus eſt. Qui verò contra hæc ſtatuta facere tentauerit, gradus ſui periculo ſubiacebit.

Sacerdotes, quibus non ſolùm Ordinis, verùm etiam iuriſdictionis poteſtas alicubi conceſſa eſt, in memoria habeāt, eam ſe exercere non poſſe, vbi excōmunicationem, aut ſuſpenſionem, vel irregularitatem incurrerint. Quam ob cauſam ſapienter cautum eſt, vt tria in Confeſſario requirantur, poteſtas Ordinis, poteſtas Iuriſdictionis, & poteſtatis vſus, quo aliquis per prædictas cenſuras & irregularitatem priuatur; Proinde Sacerdotes vſu poteſtatis per excommunicationem, aut ſuſpēſionem, vel irregularitatem priuati, ne quempiam etiam ſibi commiſſum, extra neceſſitatis caſum, confitentem audiant, ac multò minus abſoluant; quia præter mortale crimen ab ipſo hac in re admiſſum, confeſſio nullius ſit futura ponderis, ac momenti, abſolutioque irrita omninò, atque inanis: niſi tamen cenſura, aut irregularitas hominibus penitus eſſet occulta; quia tunc pœnitens ab hoc legitimo alioqui confeſſario ſecreta ac tolerata huiuſmodi cenſura aut irregularitate irretito abſolutus, verè coram Deo & Eccleſia à peccatis eſt liberatus, in priſtinumque ſalutis ſuæ ſtatum reſtitutus; licetque is, qui abſoluit, turpiſſimè labatur, peccetque grauiſſimè, Cōfeſſio tamen iteranda non eſt; aut ſi nota, nequaquam tamen à maiori Iudice palàm declarata, ſeu ex notoria clerici percuſſione orta: quoniam ex Concilij Conſtantienſis extrauaganti, communi quodam vſu, atque hominum more comprobata, habemus, in foro pœnitentiali acta confeſſariorum, quibuſcunque cenſuræ vel irregularitatis etiam cognitæ, laqueis irretitorum, firma eſſe, atque rata; duobus iis tamen caſibus exceptis; vt cùm aut notoria Clerici per-

Cenſuris notoriè ſubiecti abſolutio nulla, extra caſum neceſſitatis.

Sum. Caiet. in verb. Abſ.

cuſſio, aut publica facta eſt denunciatio. Vbi etiam conceditur Sacramentorum ſuſceptio à Miniſtris excommunicatis, ſi neutro illorum modorum fuerint notati; hocque in gratiam Pœnitentium, ac non confeſſariorum excommunicatorum adhibetur remedium. Nam etſi cenſuræ aut irregularitatis nota affecti, in magnũ ſe ſalutis periculum ita abſoluendo coniiciant; pœnitentes tamen ex tenebris peccatorum diuinæ gratiæ lucem aſpiciunt, abſolutionis affecti beneficio; atque iſtud quidem, quod ad abſolutionis fructum ſpectat, eſt intelligendum; alioquin ſi pœnitens confeſſarium excommunicatum, aut ſuſpenſum, vel irregularem eſſe non ignorârit, cumq; nulla coactus neceſſitate ad audiendam confeſſionem induxerit, mortalis peccati (vt Doctorum quorumdam eſt ſententia) fit reus; cum nemini liceat, pœnitenti præſertim, quempiam maximè Sacerdotem ad peccandum impellere. Ex ſum. Caiet. in verb. Abſ. § 2. Et ex Armmilla in verb. Abſ. § 30.

Confeſſio facta iuriſdictione priuato eſt iteranda.

Ab intruſo autem, aut animarum curam habendi munere priuato, cuius occultum ac tectum impedimentum, poſtea fit apertum atque manifeſtum, nulla à ſuperiore conceſſa facultate, audita confeſſio eſt omninò iteranda: quia horum acta, nulla ſuperioris interpoſita autoritate, reſcinduntur, & irrita fiunt. Quod ſi hoc Confeſſarij impedimentum ſemper occultum maneret, confitens quidem ratione ignorãtiæ excuſaretur, ipſa tamen confeſſio ex defectu iuriſdictionis omnino re ipſa nulla eſſet. Caueant itaque confeſſarij huiuſmodi, ne (præterquam in caſibus in Iure permiſſis, de quibus paulò inferiùs agemus) hoc vel alia Sacramenta adminiſtrent; itemque pœnitentes, ne huiuſce generis ſibi deligant Confeſſarios. I. Barbatius ff. de offic. præ.

Poſtremò, quòd aliqui inueniuntur ita flagitioſi, ac fraudu-

fraudulenti,vt ordinis potestatem non habentes se pro confessariis exhibere & ementiri audeāt, simplices decipiendo, atque in errorem ac dolum inducendo; omnes monitos esse volumus, quòd nemo qui supremā ordinis potestatem, hoc est, Sacerdotalem non habeat,etiamsi fuerit Diaconus, quemquam etiam in mortis articulo à peccatis absoluere queat. Quòd si quis temerè hoc facere præsumpserit,etiam imminente necessitate, sciant, huiusmodi pœnitentes se ex defectu virtutis clauium non esse Sacramentaliter absolutos; & is qui absoluit,vt sacrorum Canonum, temeritatisque,ac stultitiæ suæ reus ab Ecclesia prophanus semper est habēdus & nullis vnquā est initiandus sacris, ad Episcopiq; arbitriū, ac voluntatē grauissimis pœnis afficiendus. Ne verò pœnitens tam grauiter deceptus,nimia credulitate sua in falsa assecutæ absolutionis opinione ac magno errore perseueret;est omninò,cautè tamē admonēdus,vt alteri, cui sit attributa potestas, cōfiteatur, à peccatisq; suis verè ac legitimè absoluatur. Quod si is interea vitā naturæ reddidisset,optima eius voluntas piaq;intētio fuerit illi satis ad rectā conscientiam; cùm se à legitimo Sacerdote veramq; ordinis habente potestatem iure absolutum fuisse putârit,cuius vicem tunc equidem tenebit(vt credendum est)summus Sacerdos Dominus noster Iesus Christus, dummodo ille verè contritus fuerit.

De Cler. non ord. minist. c.po.

Desci-

DE SCIENTIA Confeſſarij.

CAPVT SEXTVM.

VEra à falſis, à turpibus honeſta, recta à prauis diiudicandi ſcientia Cõfeſſario eſt perquam neceſſaria; vt æquum ſe iudicem reo præbere poſſit, diligentemque vitiorum animaduerſorem; ne, dum per errorem falſam pronunciat ſententiam, ſit quàm pluribus exitio ac damnationi, vt eſt in Euangelio: Si cæcus Cæcum ducat, ambo in foueam cadent: dux primùm, deinde comes. Propterea D. Auguſtinus paterna adductus charitate, pœnitentes huius rei admonet, inquiens: Qui vult confiteri peccata ſua, vt inueniat gratiam, quærat Sacerdotem ſcientem ligare, & ſoluere; ne, cùm negligens circa ſe extiterit, negligatur ab illo, qui eum miſericorditer monet, & petit, ne ambo in foueam cadant, quam ſtultus euitare noluit. Et paulò poſt ita confeſſarios alloquitur: Caueat ſpiritualis iudex, vt ſicut non commiſit crimen nequitiæ, ita non careat munere ſcientiæ. Oportet vt ſciat cognoſcere quicquid debet iudicare; iudiciaria enim poteſtas hoc poſtulat, vt quod debet iudicare, diſcernat. Confeſſarius autem primò debet habere cognitum, ac perſpectum, quantam obtineat autoritatem, ac quouſque ſua ſe facultas extendat, à quibusque caſibus ac cenſuris pœnitentes abſoluere poſſit; ne in tanta rerum ignoratione verſetur, vt dum per inſcitiam à cenſuris, aliiſque caſibus ſuperiori reſeruatis abſoluat, tùm ſeipſum ad grauiſſimam pœnam præcipitem agat; tùm

[Margin notes, left: *Admonitio S. Auguſt. ad pœnitentes.* — *Admonitio ad confeſſarios.*]

[Margin notes, right: De Pœn. d. 5. c. fratres. — Luc. 6. — C. x. lib. de ve. & fal. Pœn. — De Pœn. d. 6. c. p. & c. Sacerdotes. ex D. Greg. — D. Aug. loco. vt ſ.]

rùm pœnitentes etiam inscios atque imprudentes decipiat. Deinde sunt illi casus ij memoria tenendi, in quibus est iteranda confessio; tum alba & atra (vt trito veterique fertur prouerbio) discernenda; quidq; eiusdem sit generis, & quid alterius, distinguendum; hoc est, peccata à recte factis secernẽda, peccatorumq; internoscenda à venialibus mortalia, ac vtriusq; generis multiplices doctrinæ, & varię species separandę. Quocirca non abre volunt sacri Doctores & Canonistæ, Confessario omnia adiuncta (has vulgò circumstantias vocant) quæ personis, aut negotiis attributa sunt, notissima esse, ea pręsertim, quę generis aut speciei naturam mutant, peccatumq; multò grauius faciunt, ac turpius; in quibus si minùs perfectam exquisitamq; habeat scientiam, saltem generatim, atque vniuersè, vt mortalia à venialibus distinguere sciat, diuinis tenetur legibus; ne (quod grauissimum esset delictum) genera ipsa inter se confundat, ac perturbet; vel in partibus quandoq; dubitare saltem norit, vt peritiores se possit consulere. Hæc si quis Confessarius non calleat, diligenter laboret, vt quæ dicta sunt addiscat, ne in confessionibus audiendis, propriæ salutis grauissimum incurrat discrimen, & animas sibi creditas in periculum adducat, nisi pœnitens eruditior doctrinaque excultior esset, vt quod illi defuerit, iste suppeditet.

Hoc idem docet & Cõc Trid. sess. 14. c. 5. de diff. Sac. pœnit. & bapt.

Inter imperitos autem Confessarios grauiùs peccat is, peiusq; labitur, qui ad hanc Pœnitẽtiæ administrationem se ipse infert atq; intrudit, quàm qui à suis superioribus deligitur, & minimè omnium qui cogitur. Sed omnium maximè peccant Prælati, & Pastores alij, Vicariiq; ipsorum, qui rudes atque ignaros Sacerdotes confessionibus audiendis præficiunt.

Q Tanta

Tanta etiam eruditione ac doctrina ornatus debet esse Confessarius, vt pœnitentes non imperitos solum ad hunc vsum Confessionis, Pœnitentiæq; Sacramentũ instruere possit; verumetiam duros ad contritionem suaui sermone inducere, ac frequenti diuinæ cùm iustitiæ tùm misericordiæ cõmemoratione peccatis opportunè mederi, & ad omne criminum genus, ac variam hominum naturam propria cuiq; remedia admouere queat; quod postea, cum de modo confitendi, seu audiendæ cõfessionis formula tractabitur, copiosius explanabimus.

DE BONITATE CONfessarij.

CAPVT SEPTIMVM.

Vsus clauium malitia Sacerdotis non impeditur.

QVAMVIS in Confessario spectata virtus, vitaque honestè ac laudabiliter instituta non necessariò quærenda sit, cum pœnitentem mortalis etiam delicti reum, ab omni culpa Sacerdos tàm malus, quàm bonus ex vi clauium absoluere queat; ita, vt si quis contrarium affirmet, anathema fiat; nihilominus tam Confessario quàm confitenti valde vtile erit, vt Confessarius dum pœnitentis excipit cõfessionem, criminosus non sit; nam quò ipse Confessarius melior, & in omni virtutũ genere, præsertim in charitate fraterna, & zelo animarum eminentior fuerit, eò aptius diuinæ bonitatis erit instrumentum. Iudex enim nemo bonus esse potest in alium, quem acrem esse, ac diligentem vitiorum suorum animaduersorem nõ videas; Quo fit, vt dum in alios sententiam pronunciat, seipse tur-

Cõc. Trid. sess. 14. can. 10.

turpissimo condemnet iudicio, si eodē crimine laboret. Nam is (vt leges volunt iudiciariæ) omni vitio carere debet, qui in alterum paratus est iudicare. Hinc CHRISTVS in Euangelio ait: Qui sine peccato est vestrûm, primus in illam lapidem mittat. Et alibi: Eiice primùm trabem de oculo tuo, & tūc perspicies, vt educas festucam de oculo fratris tui. Seipse igitur norit Confessarius, & vt (elegantissimè docet D. Augustinus) purget in se, quod alios videt offerre; caueat, vt à se proiiciat quicquid damnosum in alio reperit; animaduertat quod dicitur: Qui sine peccato est vestrûm, primus in illā lapidem mittat. Ideo cū liberauit peccatricem, quia non erat, qui iustè proiiceret lapidem. Quomodo lapidaret, qui se lapidandū cognosceret? Nullus enim erat sine peccato; in quo intelligitur, omnes criminis fuisse reos. Nam mortalis delicti vinculis constrictus, si ministrum se præbeat in hoc pœnitētiæ Sacramento, quemadmodum etiā in aliis, mortaliter procuIdubio peccat, quòd tātum ac tam admirabile Sacramentū indignè, atq; impiè tractet, & quod in se est, nefariis flagitiis, ac sceleribus polluat; nisi tamē aliud tempora imperent, aut à pœnitente rogatus fuerit; cui non sine aliqua famæ existimationisq; iactura ac detrimento, aut multorū reprehensione, vel certè admiratione id denegare, seu confessionē ipsam in aliud tempus differre posset; quia tunc sat erit ei, si peccata sua ex animo doleat cū proposito cōfitendi, quamprimùm Confessarij habuerit copiā. Nam licet hoc sit discriminis quoad ministros Sacramentorum, vt sacrum facturus necessariò cōfiteri debeat, priusquā celebret, vbi anima peccato mortali grauatur, & Cōfessarius est in promptu; in aliorum verò Sacramētorum administratione, si ex officio alicui in peccato mortali existenti incumbat, Sacramēta ministrare

Cauendū Confessario ne iisdē criminibus laboret.

Audiēs cōfessionē in mortali mortaliter peccat

Existentiin mortali celebraturo præmittenda est confessio.

Ioan. 8. Luc. 6. D. August. c. 20. de ve. & fal. pœn. Et de pœn. d. 6. c. Qui vult. Ex D. Tho. 3. q. 64 ar. 6. in c. & ad 1. & 3. & Caiet. in verb. Confessor. Ex addit. 3. p. D. Tho. q. 6. art. 5. in c. Ex D. Tho. 3. q. 46 3.

ſatis ſit contritio cum propoſito Confitendi, quamprimùm potuerit; quia tũc licitè poteſt miniſtrare; nihilominus conſultum erit, vt Sacerdos nõ ſolùm in adminiſtratione huius Sacramenti, ſed etiam aliorum prius cõfiteatur, quàm huiuſmodi adminiſtrationẽ aggrediatur, ſi cõſcientiam mortali noxa læſam ſentiat, & Confeſſarij habeat copiam; ſin minus, ſufficiet ipſa Cõtritio cum conditione ſuperiùs adducta. Vnde ait D. Tho. in articulo neceſſitatis non peccaret baptizando in caſu, in quo etiam poſſet laicus baptizare; quia ſic miniſtrũ Eccleſiæ ſe nõ exhiberet, ſed neceſſitatem patienti ſubueniret; ſecus autem eſt in aliis Sacramentis, quæ nõ ſunt tantę neceſſitatis, ſicut Baptiſmus. Quare caueat Confeſſarius, quantum fieri poteſt; ne vel neceſſitate cogente, vel rogante pœnitente ad hoc Sacramentum adminiſtrãdum accedat; niſi ſummum animo ſaltẽ ex prętеritis facinoribus capiat dolorem. Proinde pœnitẽs extra caſum neceſſitatis eum adire Confeſſarium non debet, quem ſciat eſſe criminoſum, præſertim notoriũ, tùm ne ipſe peccet, Sacerdotem illum per huius Sacramenti adminiſtrationem ad peccandum inducendo; tùm etiam quia præter peccatorum remiſſionem, & abſolutionem, quam ex vi clauium tàm à malo, quàm à bono Confeſſario adipiſci poteſt, multum etiam adiumenti à Confeſſario in gratia Dei conſtituto ad contritionem cõſequi queat, ac benè diſponi, quatenus ei virtutum ac diuinorum beneficiorum, etiã remiſſionis peccatorũ fiat acceſſio. Propterea docet D. Auguſtinus: Qui igitur omninò confitetur, Sacerdoti meliori quàm poteſt confiteatur. Nam vt habetur in additione 3. p. q. 19. ar. 5. 3. apud D. Tho. licet ex vi clauium tàm per malos, quàm per bonos miniſtros Sacramenta, inter quę etiam eſt abſolutio, adminiſtrentur, nihil-

3. p. q. 64. ar. 6. 3.

In lib. de vera & falſa Pœnit. c. 10.

nihilominus sancti homines cooperantur etiam ad remissionem peccatorum non solùm ex vi clauium, sed etiam ex merito congrui; quia per sanctos homines facit DEVS remissionem peccatorum, quatenus illorum intercessionibus peccata remittit.

Ad Confessarij verò bonitatem duo pertinent, vnum, vt interiùs secum consideret, cuius vices gerat, hocque officium in eius veluti conspectu versans cum reuerentia & sancto timore peragat, & humiliter de se sentiens, confitentes in corde suo sibi præferat, ac se meliores existimet; Alterum, vt exteriùs nihil in ipsius videatur vultu, gestibus, motibus corporis, vestitu, & in voce audiatur, quod nō deceat virum maturum, & qui meminerit, se DEI locum tenere. *Bonitas in Sacerdote requisita duobus cōstat.*

DE PRVDENTIA CONFESSARIJ.

CAPVT OCTAVVM.

PRÆTER vitæ sanctimoniam, morumq; probitatem, volumus Confessario quoq; attributam esse eam, quæ communis appellatur prudentia, quamque omnes, qui cuique artificio, aut operi præsunt, habere decet; ne tùm pœnitētem interrogando, quærendo, admonendo, instruendo, hortando, confirmando, quæ ignoret peccata doceat; tùm ipsemet etiam animum ad peccādum inducat, seq; incautū præcipitem agat. Quare cum ad infimas peccatorum species ventum fuerit, superest, vt de numero singulorum, deque circumstantiis, quæ ad rei iudicium gra- *Prudentia Confessario necessaria.*

uiter faciunt, interrogatio fiat, iis interim omissis, ne sacra prophanis misceantur, quæ ad rem non pertinent. Quod si quid fuerit paulò obscœnius petēdum, honeste dicatur; oratio enim, si rei turpitudo vitari non possit, omni carere debet obscœnitate, vt quod audire turpe est, id dicere etiam deforme sit, atque absurdum. Magnæ præterea ac singularis est prudentiæ, inuenire modos, idoneasque rationes; quibus ad perpetuum peccatorum dolorem, acerbumque animi sensum, & ad suę in DEVM peruersitatis atque impietatis detestationem, atque ad constantem vitæ sanctissimè degendę sententiam pœnitentes allicere, inducere, impellere denique possit. Nec minus prudentię est adhibendum, cùm pœnæ maleficiis constituuntur, quæ simul à peccatorum magnitudine & grauitate, à natura & qualitate pœnitētium sunt metiendæ. Quæ omnia sigillatim explicabuntur, cum Confessariis formam audiendæ confessionis peculiarem præscribemus.

Ad Sacerdotis prudētiā spectat, pœnitētem ad vitæ emendationem accōmodatè inducere.

DE SIGILLO CONFESSIONIS.

CAPVT NONVM.

POSTREMÒ abesse non potest, quin eiusdem hominis sit, cui peccantes sua fateantur crimina, confessionem auditā sub signo secum habere, tacitamq; apud se tenere, tanquam rerum occultissimarum mysterium aliquod abditissimum. Sigillum enim confessionis cùm naturæ, tùm diuinis sancitum legibus est (inquit Caietanus) debitū efficax auditam reticendi confessionem; ita vt Confessarius nemini, ne Summo quidem Pontifici totius orbis terræ secun-

Sigillum cōfeßiōis cùm naturæ tùm diuinis legibus sancitum.

Sum. Caietan.
D. Tho. 4. d. 25. q. 5. art 1. q. 1. 2.

secundùm DEVM Vicario, aut blandis verbis delinitus, aut allectus precibus, aut iussu coactus, vel etiam censurarum aut aliarum pœnarum minis, mortisque terroribus perculsus, confessionem secretò auditam, vel verbis, vel scripto, vel nutu, vel aliis quibuscunq; id genus modis enunciare, fidemq; datam violare debeat.

De pœn. & remiss. c. 12.

Quantum sit sigilli vinculum.

Quoniam in huiusmodi cõfessionis causa, nullus prętcr DEVM in Confessarios imperium habet atq; autoritatem; ideo si quis Princeps vel alius Superior sub grauissimis pœnis temporalibus, aut censuris Ecclesiasticis (quæ omnia in tali casu nullam prorsus vim habent) mandaret alicui Confessario, vt cuiuspiam facta in confessione audita reuelaret, nullo modo obedire tenebitur, etiamsi non solùm tormentorum, sed mortis etiam minę ac pericula interponerentur. Quod si iusiurandum imperiosè flagitanti, obtemperare oportuerit; constanter ac liberè quicquam se nescire iuret; licet tũc optimatibus, aut cuiuscunq; conditionis hominibus, aut familiis, aut ciuitatibus grauissima impendere mala ac pericula certò sciat; Si tamen id saluo officio fieri possit, saluoq; pœnitente, etiam non rogatus, sed sua sponte huic imminenti malo pro viribus prouidere debet. Quod erga rectores quoq; tàm Ecclesiasticos, quàm Seculares est præstandum, ne quæ flagitia cum dedecore ac turpitudine apud eos ex pœnitentis alicuius audita confessione fieri cognorit, diuturniores, atque altiores radices agant; eos commonefaciendo, vt in posterum vigilantiores sint atq; attentiores tractandis nauis sibi creditæ gubernaculis, ne maximum ab vniuerso naufragio periculum impẽdeat, quæ tamen omnia cautè prudenterq; sunt facienda, ne dum imprudentis hominis gerit personam, pœnitentis proditor iure appelletur.

Annotationes in sigillum confessionis.

D. Aquinas loco vt sup. ad 3.

Hoc

Sigillum se extendit etiam ad casus reseruatos.

Hoc idem seruandum est à quocunq; Sacerdote, qui pœnitentem, eius audita confessione, iustas ob causas non absoluerit. Imò etiam omnes Prælati, aliiq; superiores, à quibus aliquis per se, vel per alium, inferiori in casu reseruato confitendi facultatem petit, vbi huiusmodi persona illis innotuerit, casum tenere secretū pariter obligantur.

Idem quoq; de laico est intelligendum, cùm vrgente mortis periculo confessionem cuiuspiam audit; nam cōfessio eiuscemodi, licet nō sit Sacramētalis, quia homini, qui Sacerdos non sit, claues alligandi & soluendi traditæ non sunt; nihilominus tamen iisdem tenetur confessionis auditæ legibus, quibus is, qui sanctissimo DEI Sacerdotio est præditus; vt nihil occultum scilicet, confessionisq; signo munitum indicet atque aperiat.

Interpres confessionis tenetur ad secretum.

Quoniam accidit aliquando, vt aliquis in peregrina regione existens, cuius vernaculam linguam non calleat, periculum mortis incurrat, nec Sacerdoti propter defectum idiomatis confiteri queat, absque interprete, huiusmodi etiam interpretes esse admonitos volumus, quòd obstricti sint ad sigillum secreti. Imò non solùm interpres confessionis, & laicus, cui quispiam in casu necessitatis est confessus, verumetiam quiuis alius, qui illicitè & indirectè, vel præter voluntatem alicuius confessionem audiuit, quippè, si vel se Sacerdotem esse finxit, & non est; vel dolo, aut ex proposito, siue casu Sacerdoti confitentis verba excepit, tenetur omnia clare, prout etiam illi, qui cuiuspiam cōfessionem scriptam inueniunt.

Pœna in reuelantes cōfessionem.

Quod si quispiam diuino timore abiecto, contempta religione, fide neglecta (quod malum DEVS auertat) confessionem auditam; vel minimam eorum, quæ acce-

D. Aquinas. 4. d. 21. q. 3. art. 1. q. 2. in C.

accepiſſet ex confitente, particulam, quocunque modo, directè vel indirectè, per ſe, aut per accidens aliis indicaret, ita vt peccati alicuius ſuſpicio in pœnitentem cadere, aut confeſſio patefieri poſſit, præter mortale crimen, quod admittitur; quia nec charitati hominum parcit, nec confeſſionis dignitati ac ſplendori, quam ſacrilegij aſperſit maculis, ac contaminauit; cuiuſque vis ac natura efficit, vt Confeſſario non aliter quàm vt Dei Miniſter eſt, omnia patefiant; ſi Sacerdos ſit, ampliſſima Sacerdotij dignitate eſt ſpoliandus, omnique vitæ tempore perpetuæ peregrinationis ignominia afficiendus; aut (quod melius erit & vtilius) ad debitas ſceleris pœnas perſoluendas in arctiſſimum aliquod eſt detrudendus Monaſterium; vt ibi ad ſuperioris arbitrium, ac ſecūdùm ſuam contritionem puniatur; ſin ſecularis idem patrarit, licet vt ſacrilegus propterea puniendus nō ſit, nihilominus propter tam graue ſcelus, pœna voluntaria & digna mulctandus eſt.

D. Aquinas vt ſup. ad 2. De pœn. & remiſſ. c omnis vtriuſque.

Poteſt autem Confeſſarius quiuis, conſentiente reo, ſine errore, peccata in confeſſione audita, aut vnum, aut plura aliis narrare; ea præſertim, quæ ante in ore omnium ac ſermone verſabantur; quia hæc res & pœnitenti non tàm detrimento ſit, quàm honori, & auditoribus optimum rectefaciendi exemplum; quòd eum, quem antea cum omnium bonorum querela ac dolore adulterum, ebrioſum, periurum, fœneratorem, mulieroſum, aliiſque id genus flagitiis deditum eſſe cognôrant; nunc vertiſſe omnia, & mutaſſe in meliorem partem audiant: quanquam tamen, niſi grauis aliqua cauſa vrgeat, ſatius eſt, Sacerdotem peccatorum, quę in confeſſione audiuit, obliuioni aſſueſcere, quàm occaſionem de iiſdem loquendi quærere.

Qua ratione relaxari poteſt ſigillum ſecreti.

R Simili-

Similiter si Confessario prudentioris doctiorisque viri opera ac consilio sit vtendum (nisi necessitati parere cogatur) doctum aliquem virum consulere poterit, sed ita cautè, vt neminē nominatim appellet; reiecta interim in illud tempus absolutionis sententia, quo pœnitentem redire ad se iusserit.

Nemo arcēdus à Sacris ob crimen occultum.

Cauere pariter debet Confessarius, ne propter quodcunq; peccati genus, aut censuræ sibi in confessione pœnitentium cognitæ, confitentes præter consuetudinem à sacris arceat, minusq; etiam hilarioribus oculis, quàm solitus erat, intueatur; eò maximè, ne aliis prauè hac de re cogitandi detur occasio.

Publicè peccans publicè puniatur.

Si verò Parochus aliquis eiuscemodi hominem vita, atque factis omnium iam opinione damnatum, eius audita confessione, propter impœnitentiam & obstinationem ad vitæ correctionem non absoluisset, cumque ad Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum publicè accedentem, aditu prohibuisset; is diuulgatæ confessionis non est reus; neque populus eam ob causam scandalizabitur, imò anteacta ipsius vita offensus ædificabitur; nisi eum vitam deuiam, quam publicè est sequutus, publicè quoque pœnitendo corrigere viderit. Æquum enim est, ac necessarium, vt qui palàm peccarit, publicas etiam sceleribus pœnas persoluat, secūdùm illam Apostoli sententiam: Peccantes publicè coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeant.

De pœn. & remiss. c. Manifesta peccata. 1 Timot. 5.

Reuelator confessionis quis dicatur.

Si quis autem Confessarius pœnitentem, cuius facinora fuerint occulta non absolutum abs se dimisisset, ab aliisque interrogatus se non absoluisse hominem diceret, esset omninò reuelator confessionis; reuelator enim dici solet, qui vel directè, vel indirectè personæ & grauis reatus cognitionem facit; quòd si forte qui audiret

ret

ret pœnitentem sine Absolutione abiisse multa meditatione in dicti illius sensum aliquem incidere posset, quo sine præiudicio pœnitentis rem tandem concipere: id tamen quod communiter ratio illa loquendi auditoribus ingerit, nil est aliud, quàm pœnitentem censura aliqua, aut casu reseruato constringi, vel quod peccati statum relinquere noluerit, absolutione indignum esse; Quæ omnia in graue præiudicium & confessionis & pœnitentis cederent. Caueat proindè Sacerdos, ne dicat se pœnitentem sine absolutione dimisisse; quin potius respondeat, Sacramenti reuerentiam postulare, ne huiusmodi interrogationes fiant. Ad summum tandem dicere licebit, se id, quod suarum erat partium, præstitisse.

Si quis præterea peccata alterius in confessione audiuisse se tantùm assereret, confessionis proditor non est existimandus, nisi peccati genus, vel magnitudinem aperuerit; cum nullus hominum tam sit frugi, vt hanc mortalem vitam sine labe traducere possit; quemadmodum Ioannes Apostolus testatur: Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. 1. Ioan. 1. Deindè omnibus quoque notum est, Confessionem sine peccatis fieri non posse, ad minimum venialibus; Quare etsi quis casu diceret (facilè enim de his non est loquendum) se cuiusdam venialia audiuisse, non esset tamen violator sigilli. Si tamen omninò mortalia, vel in genere exprimeret, esset confessionis reuelator.

Item si quisquam peccata in confessione, & alia via extra confessionem audita, necessitate ita cogente promulgâsset, reus huius Sacramenti non erit, modò nullam prorsus confessionis fecerit mentionem; & firmum D. Aquinas 4. d. 21. q. 3. art. 3. in c. & ad 3.

in eam rem habuerit testimonium ad probandum, si causa postularit, aliunde se ante, vel post confessionem ea percepisse; sed si nulla esset necessitas, ad vitandas suspiciones ac mala, quæ inde possent oriri, est omninò tacendum. *D. Aquinas loco vt sup.*

Is quoque qui sub signo confessionis non Sacramentalis aliquid recipit habendum, seruandumque diligentissimè, ex Sacramentali confessione non astringitur, secretò narrata, clausa secum habere; ita, vt si qua iusta vrgente necessitate, omnia ad superiores potissimum deferret, Confessionis fraudator non sit censendus; quoniam signum confessionis non nisi in Sacramentali reperiri potest; cum non humanæ autoritatis, sed institutionis diuinæ hoc vinculum Sacramentale tantum sit. Neque verò id, quod sub sigillo confessionis tacendum recipitur, firmius perpetui silentij robur habet, quàm aliorum secretorum iura requirant.

Non tenetur ad sigillum confessionis, qui aliunde secretum nouit; cautè tamen agendum.

Ex sum. Caietan. verb. Confessor. §. vltimo.

Quinimò arctioribus vinculis stringit fidem, quod iureiurando, quàm quod sub signo confessionis est perpetuo tacendum silentio; nam iureiurando maior inest ius, maiorque efficacitas, quàm promissioni sit confessionis sigillo assimulandæ.

Peccaret tamen quam grauissimè, si ob causas minus iustas secretò sibi sic commissa aliis indicaret. Imminente verò, præsertim aduersus vtilitatem publicam, magno aliquo periculo, nihil celare cogitur, nihilq; debet occultare; quemadmodum & iuratus hac in re sine vitio iusiurandum relinquere potest. *24. q. 4. c. Innocens.*

Ex his itaque omnibus euidentissimè apparet, qualis esse debeat verus, idoneus, ac legitimus Sacramenti huius minister; qui nisi supradictis qualitatibus, pote-

ſtat e præſertim, ſit ornatus, omnino eſt, præterquam in caſibus proximè ſubſcriptis, vt violator tanti Sacramenti acerrimè mulctandus.

CASVS QVINQVE, IN QVIbus ſimplici Sacerdoti, vel vſu poteſtatis priuato pœnitentem licet abſoluere.

CAPVT DECIMVM.

QVANQVAM nemo (vt ſupra fusè docuimus) niſi tribus illis iam ſæpè dictis, videlicet poteſtate Ordinis, Iuriſdictionis, & vſu poteſtatis inſignitus, quempiam ordinariè peccatorum vinculis laxare, ab admiſſisque flagitiis abſoluere poſſit; eos tamen ſemper excipimus, quibus vna aut altera infra ſcriptarum cauſarum patrocinabitur:

Crimina non proprio vt fateare, eſt cauſa, facultas,
Siue licentia, conſuetudo, neceſſe, libertas.

Quarum rerum, ſi qui minus ſubtilem ac perfectam, at vulgarem quandam ſaltem, ac Confeſſoribus perneceſſariam cognitionem capere cupiant; hæc quæ proximè inſequuntur diligenter animaduertant.

Huiuſmodi quinq; caſus ſunt, neceſſitas, libertas, facultas, licētia, & conſuetudo.

EXPLICATIO PRÆDICTARUM quinq; causarum.

CAPVT VNDECIMVM.

Quid sit necessitas.

NEcessitas est, cum cuipiam quouis mortis genere periclitanti suus nō adest Parochus, vel alius Confessarius in eius locum suffectus; tunc enim quilibet simplex, vel alius quicunq; Sacerdos, ritè tamen ordinatus pœnitentem non ab omni solùm nefario scelere, sed à quacunque etiā (vt ante diximus, ac postea iterum copiosius dicemus) excōmunicatione (si qua irretitus fuerit) absoluere potest: Tempore enim necessitatis quilibet Sacerdos dicitur proprius, quando probabiliter mortis periculum imminet, & de propriis Sacerdotibus haberi nemo potest.

Quilibet Sacerdos est idoneus ad absolutionem ritè impendendam in articulo mortis, etiā ab omnibus censuris & casibus reseruatis.

De sent. excom. c. 5. & 13.

D. Aquinas. 4. d. 18. q. 2. art. 5. q. 1. c. & d. 20. art. 5. q. 2. o.

Cōc. Trid. sess. 14. c. 7. de doctri. pœn.

D. Aquinas 4. d. 20. art. 5. q. 2. o.

Mortis autem periculum non in eo solum ponimus, à quo vel aduersa valetudine, viq́ue aliqua morbi, vel seuerissimis Iudicum in eius maleficia latis sententiis, extremus vitę dies non longè potest abesse; sed in eo etiam, qui (modò cum iusto, & legitimo hoste res geratur) aut vi, ferro, armisque obsidetur, aut obsidet, aut in ipsa acie inter armatos versatur: cuius vita eminus infinitis propè tormentorum verberantium, & comminus gladiorum ictibus ac morti exposita est. Hoc non in eum quoque solum valet, qui naufragium facit, verumetiam cui magno vitæ discrimine maria sunt nauiganda, aut loca plena prædonibus, sicariis, hostibusque transeunda; à quorum crudelitate cauere sibi difficilè sit. Idem quoque de muliere grauida, appropinquante partu dicendum

Vnde iudicandum de periculo mortis.

S. Ant. Arch. flo. 3. §. sum. ti. 24. c. 1. §. 3. Idē & tit. 9. c. 5. §. 3.

dum est, præsertim si infirmæ sit ac debilis naturæ, nullosque aliàs liberos vnquam pepererit. Atque ita de aliis quamplurimis rebus, quæ his sunt persimiles, intelligendum est; quas si nunc sigillatim referre vellemus, nullus esset scribendi finis.

Ex pœn. in c. Pastoralis de off. Ordinarij.

Quapropter, vt paucis omnia complectamur, in his, qui supradicti sunt, cæterisque eiusdem generis casibus videndum est; num periculum vitæ sit verisimillimum, vt id genus officij, ac charitatis iure in homines extare possit; alioquin si vanum, si mentitum, si falsò iniectum, si plenum erroris sit, falsam quoq;, atq; irritam esse peccatorum absolutionem necesse est.

Cęterum mortis imminente periculo, nulloq; Confessario legitimo præsente, non modò Sacerdos vlla iurisdictionis, seu delegationis, ornatus potestate, sed tali deficiente, quilibet alius etiam, legitimè tamen ordinatus, non suspensus modò, vel excommunicatus, aut irregularis, verumetiam intrusus, priuatus, siue alio quocunque modo eiectus, atque præcisus, etiam hæreticus, aut schismaticus, modò absoluendi habeat intentionem, nullumque subuersionis periculum sit, pœnitentem audire, & à quouis peccato, atque excommunicatione sine errore absoluere potest; quia necessitas lege positiua non continetur, isque, qui absoluit, propter characterem semper est Sacerdos. Verùm secundùm communem quandam aliquot doctorum hominum opinionem, nemo huiusce modi necessitate impulsus iis (si soli adsint) à quibus plus timetur periculi, quàm speratur auxilij, confiteri cogitur, neque omninò debet, ne fortè propter imbecillitatis humanæ fragilitatem, pœnitens ab illis in errorem, vel potius desperationem præceps agatur, quàm ad pœnitentiam reuocetur; vt Iu-

Ex sum. Syluest in verb. Confessor. 1. §. 20.

vt Iudæ contigit, cum Pharisæos adiisset, vt est de pœn. d. 6. c. 1. sed in eo casu perinde est, ac si nulla esset Confessarij copia, moribundo verò tunc satis erit confessio corde DEO patefacta; qui etsi propriam clauium virtutem, & quod est ex opere operato Sacramenti sine Sacramento non soleat concedere, aliunde tamen, quantum pœnitẽtis intentio meretur, & ad salutem necessarium fuerit, suppleturus creditur. Quod si Sacerdos alioquin præscissus adesset, à quo nihil mali timendum esset, tenetur ei moribundus confiteri. nam cum Ecclesia in eo casu huiusmodi homines ad Sacramẽti administrationem habiles declaret, nec aliud impedimentum interueniat, dici omninò debet, idoneum in eo casu adesse ministrum, nec ex defectu ministri pœnitentem excusari posse. Adde, pœnitentem grauissimo salutis periculo, si secus faceret, in illo casu voluntarie se exponere; siquidem difficile admodum sit, tantum peccatorum dolorem concipere, quatenus sine Sacramento ad salutem est necessarius.

In articulo mortis absolutus ab excommunicatione, si superuiuat, tenetur eũ adire, ad quem alioquin spectabat absolutio.

Quod si moribundus in extrema necessitate præciso confessus, & ab eodem absolutus mortis euadat periculum, confessionem iterare non est necessarium; neque ab excommunicationis vinculo, si quo astrictus fuerat, atque per illum liberatus, absolui; nisi quod ratione excommunicationis, si quis ea irretitus extiterit, illum conuenire debet, à quo excommunicationis absolutio iure petenda erat, vt ex eius mandato iis satisfaciat, quorum causa fuit excommunicatus: vt fusiùs in libro nostro de censuris & irregularitate, sub Enchiridij nomine edito, titulo de excommunicatione traditur.

De excõmunicato absoluẽdo in articulo mortis, &c. ca. 38.

Præter

Præter hanc verò necessitatem, alia quoque à Canonistis traditur, qua non proprio Sacerdoti confiteri quis licitè possit, quando nimirum ex præcepto communicare tenetur. Verùm ob hanc necessitatem pœnitenti alij nulli, quàm suo, aut Sacerdoti substituto, seu alteri exposito potestas confitendi permittitur. Nam si necessitas Deo rem diuinam faciendi, quæ longè maioris est momenti ac ponderis, huiusmodi priuilegium irrogare nequit, multò minùs id præstabit communicandi necessitas.

Libertatem hîc eam intelligimus, qua quis nullo certo Sacerdoti est subiectus, sed vt homo sui iuris quemcunque sibi Confessarium deligere potest; quod trifariam fieri solet. *Quid libertas.*

Primùm, hominis habita ratione, qualem summum Pontificem, Christique in terris Vicarium esse solum cognoscimus, qui quod in nullius sit potestate, à quouis Sacerdote, quem ipse accersierit, absolui potest.

Deinde ratione status ac conditionis; cuiusmodi sunt ij omnes, qui huc & illuc passim per orbem terrarum vagantur, nullamque stabilem ac certam sedem habent, in qua quietam vitam traducant; quorum aliqui, licet alicubi omniũ rerum ac fortunarum suarum domicilium, vxorem, ac liberos collocârint, ita tamen per prouincias semper vagãtur; vt crebrò ipsis etiam Paschæ feriis hospites in alienis ciuitatibus peregrinentur; Quare nulli certo Sacerdoti videntur huiuscemodi homines esse subiecti, cum nulla possit esse ratio, quare magis sub huius, quàm illius sint imperio. Idcircò à quouis Confessario delegato, secundùm communem Diœcesis illius, in qua fuerint, consuetudinem, possunt à peccatis suis absolui. Quæ confitendi libertas *Qui nulli subiecti sunt eligere possunt Confessarium expositum quemcunque vbi ipsi fuerint.*

Ex Caiet. in verb. Absolutio à peccatis §. 7.

non vagos tantùm, sed viatores etiam quoscunque, præsertim mercatores, qui mercaturis faciendis rem honestè quærentes, vndique ad remotissima emporia cum mercibus, atque oneribus toto anno commeant, solis Paschæ diebus complectitur; cui rei confirmandæ illud etiam accedit, quod Eugenius quartus Pontifex Maximus concessit, seu declarauit viuæ vocis oraculo, vt vbicunque (viatores scilicet) fuerint eo tempore, quo dies festos Paschatis Christiani agunt, loci illius incolarum more Sacerdotibus illius regionis peccata confiteri, sacram Eucharistiæ Synaxim excipere, & à casibus Episcopalibus etiam, vt Episcopus loci disponit, absolui possint. Idem quoque & Scholaribus, mercenariis, stipendiariis, aliisque eiusmodi in alienis Diœcesibus seu Parochiis conceditur, si maiorem anni partem sint ibidem commorati, nec suum commodè Sacerdotem adire possint.

Pan. in c. vtriusque sexus, de Pœn. & remiss.

Ex Caiet. in verb. absol. 2. §. Licentia.

Decretum Eugenij, de potestate absoluẽdi viatores.

Pan. in c. vtriusque sexus.

Postremò, ratione materiæ, hoc est, peccatorum, si sint venialia, quæ pœnitentem nullius certi Sacerdotis imperio, ac potestati subiiciunt; vt iure à quouis Confessario delictorum suorum habere possit absolutionem.

Facultas & potestas deligendi Confessarium, quæ à iure Episcopis, aliisque, qui domi suæ neminem habent sibi imperantem, tam inferioribus ordine ac dignitate, quàm superioribus Prælatis, vt Archiepiscopis, Patriarchis, Primatibus, Legatis ac Nunciis Apostolicis est permissa, & Cardinalibus simplicibus, Presbyteris, vel Diaconis, si minùs à iure, ex consuetudine tamen, aut summi Pontificis indulto, ac permissione pariter concessa; quæque indies quàmpluribus Pontificis Maximi beneficio in confessionalibus conceditur; qui idcircò absol-

Quid facultas.

Quibus Prælatis permittatur facultas eligendi Confessarium.

De Pœn. & remissis c. Ne pro dilatione.

absolui possunt, à quo maluerint Sacerdote: hac tamen lege, vt religiosorum hominum moderatores ac Prælati neminem alium, quàm ex sua familia possint deligere Confessarium; nisi se in viam dedissent, nullusque præstò esset familiæ suæ Sacerdos, vt quocunque alio idoneo Confessario, vel alterius familiæ religioso viro vel Presbytero vti cogerentur.

Minoris autem Prælati nomine (si amplè hoc verbum capiatur) non Abbates tantùm ordinum Generales, Præpositos, Prouinciales, Guardianos, Priores, aliosque id genus exemptos intelligere debemus, verùm-etiam secundùm Pan: Sacerdotes curatos, qui largo modo Prælati dicuntur. vt in c. Tua. de Cle. ægro. Licet strictè ac propriè hoc nomen in eo ponatur, qui fori contentiosi iurisdictionem habet. Quòd si hanc ob rationem Parochus nullum habere locum possit, ob aliam saltem habebit, quam nos proximè in verbo licentia adducemus. Supradicti autem tam inferiores, quàm superiores Prælati, ab iis peccatis omnibus ac censuris, à Confessariis delectis absolui possunt, à quibus ipsi subditos suos absoluere valent.

Pan. in c. fi. de Pœn. & remiss.

Huic verbo, cum licentiam dicimus, hæc subiecta notio est, vt sit libertas quædam, quæ à Parochis suis, aliisque superioribus clientes confitendi, cui velint, facultatem consequuntur; quæ duobus potest concedi modis. Vno planè atque apertè, vt cùm omnibus à Parocho dicitur, Quisque cui maluerit, confiteatur; aut vni, cui vis confiteare; quod nihil aliud est, quàm integram ac liberam deligendi Confessarij facere potestatem.

Quid licentia.

Altero tectè, atque implicitè, quod bipertitò item contingit: Primùm, quando clientes ad peregrinãdum

dimittuntur; tunc enim ſub data peregrinandi facultate, confitendi quoque poteſtas latere creditur; quia confeſſio viatorum comes, ac ſocia eſſe debeat; modò tamen non quemuis adeant Sacerdotem, ſed illorum quempiam, qui in ea prouincia, ſiue Diœceſi confeſſarij habent autoritatem: alioquin melior viatoris, quàm incolæ foret conditio. Satis enim eſt iter facienti, ſi quoad hæc Sacramenta pro ciue ſit in alienis ciuitatibus, ac Parochiis. Quo etiam factum eſt, vt in iure Eucharistiæ miniſter peregrinis atque hoſpitibus cum bona gratia Parachorum ſuorum, ſcilicet ad peregrinandum dimiſſis, daretur. De celeb. Mil. c. Presbyter.

Deinde ſi Epiſcopus, aut alius Prælatus, cuius eſt conſtituere, deputare, ac concedere Confeſſarios Canonicis, Parochis, aliiſque Sacerdotibus ſuis, antiquam mutuo inter ſe, vel aliis confitendi conſuetudinem eſſe norit, ac taceat, diſſimuletque id ſibi diſplicere: hoc ipſo facto poteſtas, ac licentia ita confitendi illis permiſſa intelligitur; Quanquam enim (vt eſt in c. Si Epiſcopus, de Pœnitētia & remiſſione in ſexto) nulla cōſuetudine introduci poſſit, vt quis ſibi liberè Confeſſarium deligat; totum tamen firmamentū, ac robur huiuſcemodi confeſſionibus, atque abſolutionibus ex taciturnitate Epiſcopi, alteriuſuè Prælati accedit: adeò vt hic mos teſtis apertiſſimus ſit ac certiſſimus eius facultatis, ac licentiæ, quæ tacitè data eſt, & implicitè. Alioquin ſi id Epiſcopus eis prohiberet, ſine dubio parere deberent. Cauendum tamen eſt Confeſſariis perquàm diligenter, ne quos nomine ſupra dictarum licentiarum quarumcunque ab Epiſcopis, Parochis, aliiſque *Confeſſarij à Pœniten-* Prælatis explicitè vel implicitè conceſſarum à caſibus reſeruatis abſoluant, niſi eius rei mentio peculiaris ab

Epi-

De Pœn. & remiss. c. 2. in 6.

Episcopo aut alio Prælato facta fuerit, quoniam id est contra Iuris dispositionem, vbi expresse est scriptum, Episcopo confitendi facultatem dante, casus reseruatos minime concedi.

tibus electi non habent eo ipso potestatem in casus reseruatos.

Quid consuetudo.

Consuetudo præscripta, quam ii tenent, quibus mortalium animæ curæ sunt, facit, vt tam Cardinales familiæ suæ sint domini, domesticisque possint Confessarium deligendi facere potestatem, quàm quicunq; alij, quos aliquorum cura eiuscemodi ac salus attingit, absolutionis beneficium, aut per se aut per alium, in suos conferre queant; Potest enim huiusmodi iurisdictio, non minùs quàm aliæ ex præscripta consuetudine haberi.

DE ABSOLVENTIBVS SIne autoritate extra quinq; casus suprascriptos.

CAPVT DVODECIMVM.

De Pœn. d. 7. c. placuit. S. Ant. Arch. Flo. p. 3. tit. 17. c. 12. & c. 21. §. 3. Et Ric. in 4. d. 18. Et Silu. in

HIs ergo quinque conditionibus non vrgentibus, Sacerdos, qui supra dicta conuenienti potestate caret, si pœnitentiũ cuipiam præmissa confessione absolutionem impertiat; præter graue peccatum, quod ea in re admittit, dignitatis, ac gradus sui periculum etiam subibit. Debetque (si commodè fieri possit) absolutum (eò quod huiusmodi confessio, atque absolutio nulla sit) eius rei admonere, vel impetrata à superioribus suis hominem absoluẽdi facultate, cautè ad se accersitum, quasi de rebus grauissi-

grauiſſimis, ad eiuſque ſalutem perneceſſariis acturus, iterùm abſoluere. Quòd ſi neutrum, niſi periculoſè, fieri queat, aut locorum diſtantia impedimento ſit, quò minùs illius copia haberi poſſit, tunc (vt docti quidam homines ſcriptis teſtatum reliquere) abſentem à peccatis abſoluere poteſt, præſertim ſi cum Deo adhuc in gratia eſſe putetur. Verùm vt hunc Sacerdotem firmiſſimo muro ſeptum præſtemus, ac tutum, conſulimus, vt pœnitentem ſummo Sacerdoti Chriſto committat, ipſeque meritas admiſſi erroris ſua ſponte luat pœnas. Verb. Confeſſor. 3 §. 1. S. Ant Arch. Flo. & Silu. locis. vt L.

Quod autem de ſimplici diximus Sacerdote, idem de Parocho, & quocunque alio miniſtro intellige, qui in alienam poſſeſſionem veſtigium fecerit, aliorumq;, quàm ſuorum confeſſiones audierit; niſi ab ordinariis ipſorum, aut à Parochis, aliiſque ſuperioribus hanc autoritatem impetrâſſet, quàm ii equidem, qui in fratrum Prædicatorum, aliorumque mendicantium omnium, ac cæterorum religioſorum familias, & Collegia ſunt cooptati, ſummorum Pontificum beneficio, vbicunque gentium eſſent, perpetuò obtinuerunt: hac tamen lege, ſi à ſuperoribus ſuis (vt mos eſt) ad hoc munus obeundum delecti fuerint, & ab ordinariis locorum, in quibus agunt, admiſſi. Quamobrem quiſquis ad eos confitendi gratia acceſſerit, ſine dubio & audiri poteſt, & abſolui; exceptis tamen caſibus ipſis alioquin non conceſſis, iuxta tenorem priuilegiorum, quæ diuerſi Pontifices illis conceſſerunt.

Poteſtas religioſorum abſoluendi Pœnitentes.

CASVS

CASVS, IN QVIBVS POENITENS Sacerdoti proprio confiteri non debet.

CAPVT DECIMVM TERTIVM

Illud vnum prætereundum etiam non est, quòd si cui pœnitenti peccatum in suum Sacerdotem admissum confitendum esset, aut Parochus ipse minùs esset idoneus, vt qui vel censuræ Ecclesiasticæ, vel ignorantiæ (cui pœnitens subuenire non possit) nota malè audiat; vel rimarum plenus secretò dictũ secum habeat nihil, vel alios ad malum alliciat, horteturque ad peccandum; vel ad eadem flagitia, quæ illi in confessione sunt aperienda, propensus sit, ac facilis: vel Scytharum more circum varia loca vagetur; vel mutet domicilium; vel si ex hac confessione vtrique, aut alteri ipsorum periculum aliquod probabiliter immineat, nullusque ibidem præstò esset Sacerdos delegatus, aut alio quocunque modo substitutus aut expositus, cui commodè sua posset peccata confiteri, aliam tunc rationem ineat, vt idoneum sibi Confessariũ eligat; id quod Diuus Gregorius, vbi proprij Sacerdotis ignorantia interuenit, approbat. Quòd, inquit, dicitur, vt pœnitens eligat Sacerdotem scientem ligare & soluere, videtur esse contrarium ei, quod in Canonibus inuenitur, vt nemo videlicet, Paræcianum alterius iudicare præsumat. Sed aliud est fauore, vel odio proprium Sacerdotem contemnere (quod sacris Canonibus prohibetur.) aliud cæcum vitare; quod hac

Quid agendum Pœnitenti cum ob iustas caussas non sit proprio Sacerdoti confessio facienda.

D. Greg. quod & recitatur d. 6. de Pœn. c. Sacerdos.

hac autoritate facere quisque monetur, ne si Cæcus Cęco ducatum præstet, ambo in foueam cadant. Vrbanus quoque PP.II. in eandem ita loquitur sententiam: Placuit vt deinceps nulli Sacerdotum liceat, quemlibet commissum alteri Sacerdoti, ad pœnitentiam suscipere, sine eius consensu, cui priùs se commisit, nisi pro ignorantia illius, cui pœnitens priùs confessus est.

De Pœn loco vt sc Placuit.

Debet autem cauere pœnitens, ne ob causas supra scriptas alienum ad deprecandam peccatorum suorum absolutionem adeat Confessarium: nisi antè à Parocho suo id faciẽdi petierit veniam, quam is si negârit, (quod turpè esset, & Christiano homine, nedum Parocho indignissimum) supremos huius rei caussa rectores conueniat. Hoc si grauioribus impedimentis (absit tamen omnis pigritiæ ac malitiæ suspicio) præstare nequeat, ne diutiùs in lutulentis mortalium criminum sordibus impurè volutetur, suoque tam pio ac salutari defraudetur desiderio; Liceat illi, alicubi priuilegiato, cui maluerit, idoneo eiusdem Diœcesis Confessario, Episcopique autoritate ac consensu ad id muneris delecto confiteri, ordinario tamen per literas saltem de toto negotio certiore facto. Neque verò propterea aliqua Parocho infertur iniuria, quoniam priuilegium meritus est is, vt amitteret, qui concessa sibi abutitur potestate. Non possumus tamẽ in animum inducere, tam stultum, atque amentem Parochum reperiri posse, qui iustam alicuius ex suis petitionem aspernetur, ac respuat: eò maximè, quod satis superquè ostendetur, Parochis tum rectæ conscientiæ legibus, tum autoritate nostri decreti ita iubente, id omninò faciendum esse, ne tam sibi, quàm clientibus sempiterno sint exitio.

De regula. & transe. unt.c.18.

Infra in verb. Quo admon. & allic. ad pœn. pop.

Quòd

Quòd si tam temerarius ac præceps inueniatur Parochus, vt consilia nostra fidelissima, atque amantissima, admonitionemque sanctione corroboratam sequi nolit; pœnitens quidem suprascriptam inibit rationem, viamque sequetur; at Parochus grauem Episcopi sui offensionem, ac dignitatis periculum subibit. Quod malefactum Ordinarius vt rescifcat, id pœnitenti relinquitur curæ, non modò vt Parochus dignas culpa admissa pœnas luat, sed vt pœnitens ipse etiam conscientiæ suæ faciat satis. At verò, si per valetudinem, vel molestias longi itineris, vel quodcunque aliud impedimentum se pœnitens ante Episcopum sistere non posset, per literas saltem, aut internuncium officio suo cumulatè satisfaciet.

Illud præterea scire debet pœnitens non esse necessarium, dum ob suprascriptas causas alteri confitendi facultas petitur, vt sigillatim omnes enumeret, sed esse satis, si generatim atque vniuersè præcipuas in medium afferat; petentique, & iustam in genere causam adducenti fidem Sacerdos habere debet; neque enim verisimile est, quenquam per summam fraudem ac malitiam pœnitentiæ Sacramentum adire velle. Quocirca caueant pœnitentes, ne, dum se suos afflictis causis decipere Parochos, aliosuè Superiores putant, ipsimet decipiantur, in grauissimumque inducantur errorem, ac peccatum.

Glos. in c. Placuit. de pœn. d. 6.

Admoneant postremò Parochorum Cooperatores subditos, se (licet vt Vicarij illorum confessiones audire queant) ad alienos Sacerdotes non posse dimittere; hæc enim potestas solis Parochis, eorumq; Superioribus concessa est atque permissa.

S. Ant. Arch. Flo. 3. p. sum. ti. 17. c. 1. & Pet. de Pal. in 4. dist. 17

T QVO-

QVOMODO ADMONENDI sint, & alliciendi ad pœnitentiam populi.

CAPVT DECIMVM QVARTVM.

CVM pœnitentia sit tam necessaria ad absolutionem peccatorum, quæ post Baptismum nefariè committimus, vt sine ipsa, nulla gratiæ reconciliatio cum DEO fieri possit; tresque amplectatur partes; contritionem, confessionem, & satisfactionem; ad multas res vtile putauimus esse ac fructuosum, si pauca quædam Parochis nostris in hanc sententiam proponeremus, quæ ipsi posteà in vulgus commendare possent. Quapropter Parochi ipsi, aut Cooperatores eorum, aut alij Concionatores publico in templo, eo præsertim tempore, quod Quadragenario ieiunio est sacrum, ea, quæ sequuntur, edoceant.

Quid debeant Parochi docere subditos circa pœnitētiam.

Primùm, cùm renati homines per sacrum Baptismatis lauacrum sæpius in grauia peccata recidant, populum edocebunt, Saluatorem nostrum Sacramentum pœnitentiæ (quemadmodum supradictum est) instituisse, vt esset nobis post sacri fontis lauacrum velut secunda naufragij tabula: Ad hunc enim vsum Christum dedisse claues, vt ij, qui potestatem accepêre, claudere ac reserare, soluere & ligare debeant. Accipite (inquit) Spiritum sanctũ, quibus dimiseritis peccata, iis remissa erunt. Ioan 20.
Quamprimùm enim peccator commissorum scelerum ac delictorum pœnitentiam agit, eaque totis animi, cordisque viribus auersatur, ac vera fiducia erectus, ad portum

tum gratiæ misericordiæque, & perfugium venit, certò sibi persuadens, in hoc Sacramento accipere se, quod CHRISTVS promisit, consequitur, quod credit, fitque voti compos pro fide sua.

Hæc enim est vis sanctificandi, & hoc ex absolutione Sacerdotis vtique prouenit; quæ potestas fundata est in institutione, & verbis CHRISTI Saluatoris nostri, qui ad hoc officium munusque, suam ipse autoritatem ac Ioan. 20. vicē Sacerdoti demandat, cùm ait: Quemadmodum misit me Pater meus, sic ego mitto vos: Accipite Spiritum sanctum, quemcunque à peccatis immunem & liberum pronunciaueritis, is liber erit. Quandoquidem verò Sacerdotes non absoluendi tantùm, sed etiam ligandi potestatem habent, & vtrumq; datur, imperaturque à DEO, intelligendum sanè quòd potestatem iudicādi habeant, quatenus vtriusque clauis vsum accepêre. His autem clauibus vti minimè potest, nec suo munere perfungi Sacerdos, nisi antè sciat, quibus condonare, aut reseruare debeat. *Sacerdotes & absoluēdi, & ligandi potestatem habēt.*

Quæ cognitio aliunde prouenire nequit, nisi ex confessione, ac propria cuiusque peccatorum narratione & commemoratione. Cùm enim multa peccata ab hominibus clam admittantur, quæ etiam vulnerant, & occidunt, imò grauiora quandoque sunt, ac periculosiora illis, quæ palàm committuntur, de iis rectè iudicare Sacerdos non valet, nisi peccator in confessione recitet ea, enumeretque, & abscondita, ac latentia vulnera patefaciat. Quapropter pœnitentes ad Sacramentalem peccatorum suorum confessionem integrè faciendam Sacerdos exhortetur, atq; inducat.

Secundò, quoniam parum prodesset pœnitenti, vt Confessario sua aperiret peccata, nisi contritio confes-

 sionem

ſionem præceſſerit, vel ſaltem comitetur, & poſt confeſſionem pro peccatis ſatisfiat, neceſſe erit, vt hæc tria, quæ pœnitentiæ Sacramenti partes materiales propinquæ dicuntur, iuxta ea, quæ à nobis ſuperius dicta ſunt, copiosè explanent, & deſcriptionibus, diuiſionibus, exemplis, aliiſque opportunis modis illuſtrent, propoſita etiam ſingulorum neceſſitate vtilitateque. Docebunt etiam populum hortabunturque, vt priuſquam peccata ſua Sacerdoti confiteatur, contritioni ſtudeat, quò interdum adhibendæ erunt ſermonis faces, quæ ad inflammandos animos valeant.

Quod quidem munus in ipſa etiam confeſſione præſtari à Confeſſariis debet, cùm videbitur opportunum, vt ex tam ſalutari ac neceſſaria abſolutionis medicina, ad morborũ ſpiritualium curationẽ diuinitus inſtituta, pœnitentes debitum fructum referre poſſint. In primis autem explicandum eſt, quid ſit contritio, & quid attritio; itemque quomodo ex attrito fiat aliquis contritus; deinde qua methodo & via confeſſio Sacramentalis fieri, & à quo dari abſolutio debeat; poſtremo loco, quid ſit ſatisfactio, & quo pacto inſtituenda. Quæ omnia vt Parochis & Concionatoribus in promptu eſſe queãt, placuit hîc ſubiicere, quę à ſacroſancta Synodo Tridentina ſeſſ. 14. his de rebus tradita ſunt.

Quid ſit cõtritio.

Contritio, quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus habet, animi dolor ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero. Fuit autem quouis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus neceſſarius in homine poſt Baptiſmum lapſo, ita demum præparat ad remiſſionem peccatorum; ſi cum fiducia diuinæ miſericordiæ, & voto præſtandi reliqua, coniunctus ſit, quæ

De contritiõe doctr. de pœnit. c. 4.

ad ri-

ad ritè ſuſcipiendum hoc Sacramentum requiruntur. Declarat igitur ſancta Synodus hanc contritionem, non ſolùm ceſſationem à peccato, & vitæ nouæ propoſitum, & inchoationem, ſed veteris etiam odium continere, Ezech.18. iuxta illud; Proiicite à vobis omnes iniquitates veſtras, in quibus præuaricati eſtis; & facite vobis cor nouum, & ſpiritum nouum. Et certè, qui illos Sanctorum clamores conſiderauerit; Psalm.50. Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci; Psalm. 6. Laboraui in gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectum meum; Esai.38. Recogitabo tibi omnes annos meos, in amaritudine animæ meæ; & alios huiuſmodi generis; facilè intelliget, eos ex vehementi quodam anteactæ vitæ odio & ingenti peccatorum deteſtatione manâſſe.

Cōtritio includit dolorem de præteritis, & propoſitum emendationis de cætero.

Docet prætereа, etſi contritionem hanc aliquando charitate perfectam eſſe contingat, hominemque DEO reconciliare, priuſquàm hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur; ipſam nihilominus reconciliationem ipſi contritioni ſine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non eſſe adſcribendam. Illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat, cum ſpe veniæ; declarat, non ſolùm non facere hominem hypocritam & magis peccatorem, verùm etiam donum DEI eſſe, & Spiritus ſancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantùm mouentis, quo pœnitens adiutus viam ſibi ad iuſtitiam parat.

Iuſtificatio, quæ ante actualem ſuſceptionem Sacramenti quandoque perficitur, contritioni ſine voto Sacramenti non eſt aſcribēda.

Et quamuis ſine Sacramento pœnitentiæ per ſe ad iuſtificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad DEI gratiam in Sacramento pœnitentiæ

impetrandam disponit. Hoc enim timore vtiliter concussi Niniuitæ, ad Ionæ prædicationem plenam terroribus, pœnitentiam egerunt, & misericordiam à Domino impetrârunt. Quamobrem falsò quidam calumniātur Catholicos scriptores, quasi tradiderint Sacramentum pœnitentiæ absque bono motu suscipientium, gratiam conferre; quod nunquam Ecclesia Dei docuit, nec sensit. Sed & falsò docent contritionem esse extortam & coactam; non liberam & voluntariam.

Ioan 3.

De confessione d. tit. c. 5.

Ex institutione Sacramenti Pœnitentiæ iam explicata, vniuersa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse à Domino integram peccatorum confessionem, & omnibus post Baptismum lapsis iure diuino necessariam existere; quia Dominus noster IESVS CHRISTVS è terris ascensurus ad cœlos, Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquit, tanquàm Præsides & Iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christifideles ceciderint; quò pro potestate clauium remissionis, aut retentionis peccatorum, sententiam pronuncient. Cōstat enim Sacerdotes iudicium hoc, incognita causa, exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis iniungendis seruare potuisse, si in genere duntaxat, & non potius in specie, ac sigillatim pœnitentes sua ipsi peccata declarâssent.

Integra cōfessio necessaria.

Ex his colligitur, oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint, & tantùm aduersus duo vltima Decalogi præcepta commissa, quę nonnunquam animum grauius sauciant, & periculosiora sunt iis, quæ in manifesto admittuntur.

Nam

Nam venialia, quibus à gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentius labimur, quanquam rectè & vtiliter, citraque omnem præſumptionem in confeſſione dicantur, quod piorum hominum vſus demonſtrat, taceri tamen citra culpam, multiſque aliis remediis expiari poſſunt. Verùm cùm vniuerſa mortalia peccata, etiam cogitationes, homines iræ filios, & Dei inimicos reddant; neceſſum eſt omnium etiam veniam, cum aperta & verecunda confeſſione à Deo quærere. Itaque dum omnia, quæ memoriæ occurrunt peccata, Chriſtifideles confiteri ſtudent, proculdubio omnia diuinæ miſericordiæ agnoſcenda exponunt. Qui verò ſecus faciunt, & ſcienter aliqua retinent, nihil diuinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt. Si enim erubeſcat ægrotus vulnus Medico detegere; quod ignorat, medicina non curat.

Colligitur præterea, etiam eas circumſtantias in confeſſione explicandas eſſe, quæ ſpeciem peccati mutant; quòd ſine illis peccata ipſa neque à pœnitentibus integrè exponantur, nec iudicibus innoteſcant; & fieri nequeat, vt de grauitate criminum rectè cenſere poſſint, & pœnam, quam oportet, pro illis, pœnitentibus imponere. Vnde alienum à ratione eſt, docere circumſtantias has ab hominibus ocioſis excogitatas fuiſſe; aut vnã tantùm circumſtantiam confitendam eſſe, nempe peccâſſe in fratrem. Sed & impium eſt, confeſſionem, quæ hac ratione fieri præcipitur, impoſſibilem dicere, aut carnificinam illam conſcientiarum appellare; Conſtat enim nihil aliud in Eccleſia à pœnitentibus exigi, quàm vt, poſtquàm quiſque diligentius ſe excuſſerit, & conſcientiæ ſuæ ſinus omnes & latebras explorauerit, ea peccata confiteatur, quibus ſe Dominum & Devm ſuum mor-

Quid requiratur ad integritatem confeſſionis.

mortaliter offendiſſe meminerit; reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in vniuerſum eadem confeſſione incluſa eſſe intelliguntur; pro quibus fideliter cum Propheta dicimus: Ab occultis meis munda me Domine. Ipſa verò huiuſmodi confeſſionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia, grauis quidem videri poſſet, niſi tot tantisque commodis, & conſolationibus leuaretur, quæ omnibus, dignè ad hoc Sacramentum accedentibus, per abſolutionem certiſſimè conferuntur. Pſal. 18.

Maiora ſunt cõfeſſionis cõmoda, quàm difficultas detegendi occulta.

Cæterùm, quo ad modum confitendi ſecretò apud ſolum Sacerdotem, etſi CHRISTVS non vetuerit, quin aliquis in vindictam ſuorum ſcelerum, & ſui humiliationem, cùm ob aliorũ exemplum, tùm ob Eccleſię offenſæ ædificationem, delicta ſua publicè confiteri poſſit; nõ eſt tamen hoc diuino præcepto mandatum, nec humana aliqua lege præceptum, vt delicta, præſertim ſecreta, publica eſſent confeſſione aperienda. Vnde cùm à ſanctiſſimis & antiquiſſimis Patribus magno vnanimique conſenſu, ſecreta confeſſio Sacramentalis, qua ab initio Eccleſia ſancta vſa eſt, & modò etiam vtitur, fuerit ſemper commendata; manifeſtè refellitur inanis eorum calumnia, qui eam, à diuino mandato alienam, & inuentum humanum eſſe, atque à Patribus, in Concilio Lateranenſi congregatis, initium habuiſſe, docere non verentur. Neque enim per Lateranenſe Concilium Eccleſia ſtatuit, vt Chriſtifideles cõfiterentur; quod iure diuino neceſſarium, & inſtitutũ eſſe intellexerat; ſed vt pręceptum confeſſionis ſaltẽ ſemel in anno, ab omnibus & ſingulis, cùm ad annos diſcretionis peruniſſent, impleretur, vnde iam in vniuerſa Eccleſia, cum ingenti animarũ Ca. 21. Idem Cõc. Trid. ſeſſ. 14. cau. 9.

fidelium

fidelium fructu, obseruatur mos ille salutaris confitendi, sacro illo & maximè acceptabili tempore Quadragesimæ; quem morem hæc sancta Synodus maximè probat, & amplectitur, tanquam piè & meritò retinendum.

Laudanda consuetudo confitendi in Quadragesima.

De Ministro huius Sacramenti & absolutione d. tit. cap. 6.

Non quilibet, vt insulsè garriunt hæretici, est minister confessionis.

Circa ministrum autem huius Sacramenti declarat sancta Synodus, falsas esse, & à veritate Euangelij pœnitùs alienas, doctrinas omnes, quæ ad alios quosuis homines præter Episcopos, & Sacerdotes, clauium ministerium perniciosè extendunt, putantes verba illa Domini: Quæcunque alligaueritis super terram, erunt alligata & in cœlo; & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo; Et quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt: ad omnes Christi fideles indifferenter & promiscuè contra institutionem huius Sacramenti ita fuisse dicta, vt quiuis potestatem habeat remittendi peccata, publica quidem per correptionem, si correptus acquieuerit; secreta verò per spontaneam confessionem, cuicunque factam. Docet quoque etiam Sacerdotes, qui peccato mortali tenentur, per virtutem Spiritus sancti in ordinatione collatam, tanquam Christi ministros, functionem remittendi peccata exercere, eosque prauè sentire, qui in malis Sacerdotibus hanc potestatem nō esse contendunt. Quamuis autem absolutio Sacerdotis alieni beneficij sit dispensatio, tamen non est solùm nudum ministerium, vel annūciandi Euangelium, vel declarandi remissa esse peccata; sed ad instar actus iudicialis, quo ab ipso, velut à Iudice, sententia pronunciatur, atque ideo non debet pœnitens adeò sibi de sua ipsius fide blandiri, vt etiam si nulla illi adsit contritio, aut Sacerdoti animus seriò agendi, & verè absoluendi desit,

Matth. 18

Ioan. 20.

Absolutio est actio iudiciaria.

V putet

putet tamen se,propter suam solam fidem, verè, & coram Deo,esse absolutum; nec enim fides sine pœnitentia remissionem vllam peccatorum præstaret: nec is esset,nisi salutis suæ negligentissimus,qui Sacerdotem ioco se absoluētem cognosceret; & non alium seriò agentem sedulò requireret.

Demùm, quoad satisfactionem, quæ ex omnibus pœnitentiæ partibus, quemadmodum à Patribus nostris Christiano populo fuit perpetuo tempore commendata; ita vna maximè nostra ætate, summo pietatis prætextu,impugnatur ab iis, qui speciē pietatis habēt, virtutem autem eius abnegârunt: sancta Synodus declarat,falsum omnino esse,& à verbo Dei alienum, culpam à Domino nunquam remitti, quin vniuersa etiam pœna condonetur. Perspicua enim, & illustria in sacris literis exempla reperiuntur, quibus præter diuinam traditionem, hic error quàm manifestissimè reuincitur. Sanè & diuinæ iustitiæ ratio exigere videtur, vt aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerint; aliter verò qui semel à peccati, & Dæmonis seruitute liberati, & accepto Spiritus sancti dono, scienter templum Dei violare, & Spiritum sanctum contristare non formidauerint. Et diuinam clementiam decet, ne ita nobis absque vlla satisfactione peccata dimittantur, vt occasione accepta, peccata leuiora putantes, velut iniurij, & contumeliosi Spiritui sancto, in grauiora labamur, thesaurizantes nobis iram in die iræ. Proculdubio enim magnoperè à peccato reuocant, & quasi freno quodam coercent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt, medentur quoque peccatorum reliquiis, & vitiosos habitus, malè viuendo compara-

Remissa culpa quandoque manet obligatio pœna.

De Satisfactionis necessitate & fructu p. tit. cap. 8.

Gen. 3. 2. Regum. 12. Num. 12. 20

1. Cor. 3.

Ephes. 4.

He. 10.

Ro. 2.

paratos, contrariis virtutum actionibus tollunt. Neque verò securior vlla via in Ecclesia Dei vnquam existimata fuit, ad amouendã imminentem à Domino pœnam, quàm vt hæc pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequẽtent. Accedit adhæc, quod dũ satisfaciendo patimur pro peccatis: Christo Iesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficimur, certissimam quoque inde arrham habentes, quòd si compatimur, & conglorificabimur. Neque verò ita nostra est satisfactio, hæc, quam pro peccatis nostris exoluimus, vt non sit per Christum Iesum; nam, qui ex nobis tanquam ex nobis nihil possumus; eo cooperante, qui nos confortat, omnia possumus. Ita non habet homo, vnde glorietur; sed omnis gloria nostra in Christo est; in quo viuimus, in quo meremur, in quo satisfacimus; facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent; ab illo offeruntur Patri; & per illum acceptantur à Patre. Debent ergò Sacerdotes Domini, quantum Spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate salutares & conuenientes satisfactiones iniũgere; ne, si fortè peccatis conniueant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, leuissima quædam opera pro grauissimis delictis iniungendo, alienorum peccatorũ participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, vt satisfactio, quam imponunt, non sit tantùm ad nouæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum; sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem: nam claues Sacerdotum non ad soluendum duntaxat, sed & ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres & credunt & docent. Nec propterea existimârunt, Sacramentum Pœnitentiæ esse forum iræ, vel pœnarũ,

Satisfactio imponitur etiam ad vindictam peccatorũ.

ſicut nemo vnquam Catholicus ſenſit, ex huiuſmodi noſtris ſatisfactionibus vim meriti, & ſatisfactionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, vel obſcurari, vel aliqua ex parte imminui; quod dum Nouatores intelligere volunt, ita optimam pœnitentiam, nouam vitam eſſe docent; vt omnem ſatisfactionis vim & vſum tollant.

Docet præterea, tantã eſſe diuinæ munificentiæ largitatem, vt non ſolùm pœnis ſponte à nobis pro vindicando peccato ſuſceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro menſura delicti impoſitis, ſed etiam, quod maximum amoris argumentum eſt, temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem, per Chriſtum Ieſum ſatisfacere valeamus. De eo prib. ſatisfactionis d. tit. cap. 9.

Ex miſericordia Dei factum eſt, vt opera & paſſiones noſtræ valeãt ad ſatisfactionem.

Tertiò, quoniam vita noſtra propter incertas cauſas eſt tam dubia, vt neminem tam ſtultum reperias, quamuis ſit adoleſcens, qui certò ſibi perſuadeat, ſe vſque ad veſperum eſſe victurum: quiuis, qui diuinam, peccato capitali admiſſo, offenderit maieſtatem, ante occidentem ſolem offenſionem Dei per pœnitentiam effugere deberet; vt eſt apud Apoſtolum: Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram. At cum pauciſſimi ſint, imò nullus ferè, præſertim Laicorum, cui hæc diligens & quotidiana vitiorum animaduerſio ſit cordi; hoc vellemus illis penitùs perſuaderetur, vt præcipuis ſaltem diebus feſtis totius anni ad hoc ſacroſanctum Confeſſionis Sacramentum accedant. Quòd ſi commodorum ſuorum im̃emores hoc etiam facere neglexerint, Parochi omnes vtriuſque ſexus homines, qui in eorum ſunt poteſtate, commonere debent, eos maximè qui ad certam ætatem peruenerint, in qua ratio quid faciendum, fugiendumque ſit, docet, & explanat, ſemel certè ad minimùm quotañis extrema ſaltem Quadrageſima Ephe. 4.

iuſti-

iustissimis cogi legibus, vt Sacerdoti suo, vel alteri potestatem habenti peccata sua confiteantur.

Quartò, admoneantur confessuri perquàm diligenter, ij præsertim, qui singulis annis semel tantùm confitentur, ne confessionem vitæ suæ memores, ac salutis, in extrema Quadragesimæ tempora reiiciant: quando frequens confitentium multitudo, magno facto conuentu, Sacerdotes ita obruit, vt in quam sese vertant partem nesciant; temporisque angustiis celeres esse, & incitati, debitamque occultorum facinorum inquisitionem atque inuestigationem prætermittere, ac quasi prætereuntes confitentibus satisfacere cogantur. Ideo apudeos sāctissima piorum hominū laudetur consuetudo, qui ineunte Quadragesima, suā Cōfessario patefaciūt conscientiam; iterūq; paulò ante dies festos Paschatis, quibus Christus à mortuis extitit, præstò sunt; vt si quid in proxima confessione per imprudentiā atq; obliuionē fuerit omissum, aut propter imbecillitatem naturæ humanæ hoc interim spatio cōmissum (nam septies in die cadit iustus) maculis omnibus deletis purè ac castè sanctissimum Christi corpus intra mundissimos domus suæ parietes excipere possint.

Laudanda consuetudo confitendi initio Quadragesimæ.

Quintò, si Parochi aliquos ex suis ad Pœnitentiæ Sacramentum tardiores, ac remissiores esse animaduerterint; ita vt statis diebus anniuersariis confessionem neque magnifaciant, neque probent: non modò admonitionibus, exhortationibus, precibusque inducere, sed obiurgationibus etiam, si opus fuerit, ac minis illos impellere debent; vt semel saltem quotannis ad tantum accedant Sacramentum; nisi fortè à Confessario, iustissimam ob causam Sacra Synaxis ad tempus alicui interdicta, vel dilata fuisset; alioquin & viuentibus omnes

Tardi ad Pœnitentiā admonendi.

De Pœn. & remiss. c. omnis vtriusque.

Quid agendum cum

non communicantibus tempore cōſtituto.

mnes templorū aditus intercludātur, & demortui funere Christiano, ac ſepultura prohibeantur. Quòd ſi Parochi ſuorum aliquos potentes, & factioſos ciues reformidant, ne quæ ſeditio ac tumultus oriatur, id ſupremis Rectoribus ſaltem denuncient, vt ij huic morbo mederi, obſtinatoſque, ac pertinaces ad pœnitentiam cogere poſſint; & quod ipſi per ſe obire nequeunt, per alios præſtandum curent; ſatis enim eſt Sacerdoti, ſi pro viribus, quocunq; modo potuerit, ſuos in officio retinere curârit.

Non ſit difficilis quandoq; Parochus in dāda facultate alteri cōfitendi.

Sextò, cùm ſæpiſſimè varias ob cauſas Parochis ſua confiteri peccata clientes pudeat, debent Parochi totius anni ſpatio ſemel ſaltem liberam illis alteri confitendi permittere poteſtatem, ſi tamen is Catholicus, prudentiaque, probitate, doctrina, & pietate inſignis fuerit Sacerdos. Quòd ſi qui id à Parocho petant, eumq; pluribus verbis rogent, vt aſſenſu ſuo rem approbet: ne deneget, neque ſe difficilem ad aſſentiendum, aut inhumanum præbeat; aliâs enim non leuiter peccaret, in noſtramq; caderet offenſionē, qui non ſolùm volumus vt ita fiat, ſed aſſeueranter etiam præcipimus, atque imperamus. Quàmplurimi enim reperiuntur tam infirmi atque imbecilles animo, vt videatur illis ſatiùs eſſe cum ignominia, ac ſine confeſſione turpiter mori, quàm Parochis ſuis admiſſa peccata referre. Quare ſtultè, ac peſſimè faciunt illi, qui, vt ſuorum animos, ex omni parte patentes, atque apertos per confeſſionem intueantur, præter modū anxij ſunt, atque ſoliciti; neque perſpiciunt, quantis malorum laqueis tum ſuam, tum aliorum etiam ſalutem irretitam teneant. Cui incommodo pro ſacris Virginibus hanc Concilium Tridentinum adhibuit cautionem: Præter ordinarium autem Confeſ-

Ex D. Th. 4. d. 17. q. 3. ar. 3. q. 4. 6m.

Ex D. Th. loco cit.

Ordinarius ſanctimo.

Seſſ. 25. de Relig. & Moni. c. 11.

Confeſſarium, alius extraordinarius ab Epiſcopo, & aliis Superioribus, bis, aut ter in anno offeratur, qui omnium (Monialium ſcilicet) confeſſiones audiſſe debeat.

nialium bis aut ter in anno concedat alteri extraordinario illarũ confeſſiones audiendi.

Septimò, cùm varias ob cauſas, quandoque pœnitentis confeſſio inualida reddatur, cùm publicè in concionibus; tùm priuatim in confeſſione ipſa, oblata occaſione, eſt populus omnino inſtruendus; quibus de cauſis confeſſio ipſa ſit prorſus iteranda.

Docendus populus in quibus caſibus ſit iteranda confeſſio.

CASVS OCTO, QVIBVS Confeßio inualida redditur, ac propterea iterari omnino debet.

CAPVT DECIMVM QVINTVM.

HÆc ipſa confeſſio Sacramentalis ex parte cũ pœnitentis, tùm Confeſſarij multipliciter irrita fit, atque inanis. Ex parte enim confitentis quatuor eſt ob cauſas iteranda.

Quatuor caſus ſunt ex parte Confeſſarij, & totidem ex parte pœnitentis.

De Pœn. & remiſſ. c. Quod quidam.

Primò, quando præteritorum delictorum contritionem nullam habuit, vel attritionem; hoc eſt, nullo prorſus affectus eſt dolore, nullamque vitia fugiendi ſuſcepit voluntatem; quoniam eiuſcemodi confeſſio potius eſt quædam cum fraude diſſimulatio, quàm vera, ac ſyncera malefactorum ſuorũ enumeratio; quodque peius eſt, ac deteriùs, tam is, qui eiuſmodi facta cõfeſſione abſolutus fuit, admiſit ſacrilegium, quàm qui abſoluit, ſi confitentem talem eſſe hominem cognôrit; quia ab vtroque Pœnitentiæ Sacramento infertur iniuria.

4. ca. ex parte cõfit.

Confeſſio in omni attritione facta iteranda.

Confeſſio nō integra, nulla.

Secundò, ſi integra ac perfecta non fuerit facta confeſſio: vt cùm vnum, vel plura peccata mortalia pudore, vel ex propoſito, aut ſupina quadã obliuionis ignorantia tacentur, vel prætermittuntur peccatorum circumſtantiæ magis aggrauantes, præſertim, ſi peccati ſpeciem mutent.

Confeſſio cenſurati quam ſecuta eſt abſolutio à non habente poteſtatē iteranda.

Tertiò, ſi ad impetrandam abſolutionem non fuerit idoneus: vt cum aliqua cenſuræ Eccleſiaſticæ macula (de quibus poſtea ſermonem inſtituemus) aſperſus eſt, quam eluere confeſſor poteſtatis ſuæ virtute non poterit.

Contemnentis ſatisfactionem impoſitam à Confeſſario, ſecundũ quoſdam, confeſſio reiteranda.

Quartò, ſi (vt quorundam eſt opinio) contemptus gratia, aut graui nimiæ negligentiæ errore, pœnas peccatis ſuis à Sacerdote conſtitutas perſoluere neglexerit, quæ opinio quamuis non ſit neceſſaria (modò æquè grauibus pœnis prætermiſſas cõpenſet) eſt tamen non omninò aſpernanda, atque reiiciẽda: ſed potiùs vt ſecurior amplectenda.

4 caſ. ex parte Con.

Ex parte verò Confeſſarij quadrupliciter eſt confeſſio iteranda.

Sacerdotis poteſtate aut eius vſu carentis abſolutio nulla.

Primò, ſi abſoluens tribus illis iam ſæpè dictis, poteſtate videlicet Ordinis, poteſtate Iuriſdictionis, & poteſtatis vſu non fuerit inſignitus.

Quomodo Sacerdotis ignorantis abſolutio nulla.

Secundò, ſi Confeſſarius tam ignarus fuerit, vt mortalia peccata à venialibus diſcernere, vel abſolutionis formam pronunciare neſcierit: cui pœnitens nulla in re eſſe potuerit auxilio, quemque qualis eſſet, cognitum, nulla tamen cogente neceſſitate adierit.

Quomodo Sacerdotis non percipientis confeſſionẽ abſolutio nulla.

Tertiò, ſi pœnitentis verba non perceperit, aut inter audiendum dormierit, aut ebrius, vel rationis haud compos fuerit.

Quartò

Quartò, si pœnitentem iustis de causis non absoluerit; aut absoluendi intentionem non habuerit; vel si pœnitens hoc ipsum probabili ex causa in mentem induxerit.

Quomodo ex defectu intentionis Sacerdotis absolutio nulla.

DE CONDITIONIBVS CONfeßionis & circumstantiis peccatorum.

CAPVT DECIMVM SEXTVM.

CVM necessarium sit, vt pœnitentes confiteri sciant, & peccata sua integrè exprimere, debent Parochi, seu Concionatores, ex suggesto, præsertim tempore confessionis, Paræcianos, non confessionis solùm docere conditiones ac proprietates, sed etiam peccatorum circumstantias, eas maximè, quæ peccati mutant speciem, vel peccatum multum aggrauant, prætermissis superuacaneis interrogationibus ac quæsitis, & nimis curiosis verbis, quæ magis obsunt, quàm prosint, vt paulò pòst dicitur.

Cōditiones confeßionis & peccatorum circūstātia fidelibus à Concionatoribus sunt explicanda.

Confessionis autem conditiones his duobus versiculis continentur:

Integra, pura, humilis, verecunda, ac præmeditata,
Veraq; sit semper, quæ fit confeßio sacra.

Cōditiones cōfeßionis.

Et circumstantiæ peccatorum his totidem:

Quomodo, quis, quid, vbi, qui cum, cur, quando, coram quo,
Quamq; diu, quoties, peccati adiuncta vocantur.

Circumstātia peccatorum.

Vt verò tàm Parochiani faciliùs instrui, ac Parochi intelligere meliùs & docere possint, breuem quandam &

conditionum confessionis, & circumstantiarum peccati explanationem subiicere libuit.

EXPLICATIO CONDITIONUM, quæ confessioni adiunctæ sunt.

CAPVT DECIMVM SEPTIMVM.

Prima conditio cõfess. sit præmeditata.

PRÆMEDITATA, nam pœnitens, si peccatorum veniam per confessionem assequi cupiat, priusquàm se ante Confessarij pedes sistat, conscientiam suam apud se examinare, atque commissa facinora recolere diligenter debet, vt peccata deflere, ac corde contrito dolere possit: alioquin si immeditatus ad confessionem accedat, nec prudentia Confessarij per interrogationes accommodatas suppleat, nullamque contritionem, doloremque (quod tamen necessarium est) de præteritis flagitiis ceperit, cùm eorum nullum in memoriam reduxerit, non consequitur absolutionis beneficium.

Accedẽs ad confessionẽ imparatus, nisi Sacerdotis industria suppleat, non consequutur absolutionis beneficium.

Secunda sit pura.

Pura, quia in confessione peccata Sacerdoti sine vlla excusatione aperienda sunt, missis ambagibus, ac longis verborum circuitionibus, quibus ea aliquo modo tegi, ac celari possunt. Nam cùm Sacerdos pro tribunali confessionis sedens summi DEI loco peccata nostra retinere, & dimittere possit, ita sunt nobis ea coram ipso explicanda, vt gesta sunt, vtque coram DEO manifesta esse credimus. quòd si putemus nos excusando, aut celando, Confessarium fallere posse, certè decipimur, cùm non Sacerdotem, sed DEVM ipsum offendamus, quin potiùs animas nostras tanto bono defraudemus. Similiter

liter nihil dici debet, quod in infamiam alicuius cadat, aut occaſionem malæ opinionis Confeſſori in aliquem præbeat. Quare ſi rectè confiteri non poſſis, quin alterius peccata ſimul recenſeas, præſertim quibus tu occaſionem dediſti, id tum ita facias, vt cum Confeſſor ex tuis verbis cognoſcere nequeat.

Alterius peccata in confeſsione non ſunt aperienda.

Vera, vt nihil falſi prudenter, ac ſcienter, etiam ſub humilitatis ſpecie inſeratur, nec aliquid, quod dubium ſit, vt certum affirmetur, ſed dubia tanquam dubia, ac certa tanquam certa dicantur. Sunt tamen, qui in confeſſione per ignorantiam vel verecundiam, vel certè, quia non curent peccata ſua ſigillatim explicare, apertè mentiantur, cùm ea, quæ fecerint, quibuſdam clauſulis generalibus complectuntur, aut peccata cum conditione confitentur. qui prauus mos, & à vera confeſſione planè alienus, explodendus, ac reiiciendus omnino eſt: quia in confeſſione vera tantùm, ac neceſſaria, non autem & ſuperuacanea, ac falſa, ſeu cum conditione dicere oportet: præterquàm quòd extrema confeſſione leuiora peccata, qualia ſunt cogitationes, & verba otioſa, pigritia, ac cordis diſtractio in precando, iactura temporis, & id genus alia, quæ ſpeciatim non ita explicari poſſunt, generaliter, aut conditionaliter recenſentur.

Tertia, ſit Vera.

Dubia pro certis non ſunt confitenda, ſed pro dubiis.

Integra, vt omnia peccata mortalia, quæ memineris, aut ſi quando oblitus fueras confiteri, ac modò in mentem veniunt, integrè confitearis nullo prorſus omiſſo: nec ex verecundia & pudore quodam ſubruſtico, ac pernitioſo vnam partem confeſſionis vni, alteri alteram dicas: quia hoc eſt diuidere confeſſionem, ac mutilare: quod nullo modo fieri debet. Similiter, ſi quando confiteris, es oblitus aliqua ſimilia peccata morta-

Quarta, ſit integra.

Ex D. Aug. c.15. de ver. & fal. pœn. Et habetur de pœn. d.5. c.1.

 lia,

Oblita in præcedenti confeſsione, ſi poſt in mẽtem venerint, ſunt confitenda.

lia, eaque poſtridie, vel alia die tibi occurrant, ſi potes, ad eundem debes Confeſſarium redire, vt confeſſionem perficias: ſin minùs, alium adire: id quoque fieri ſi nequeat, ſatis fuerit tunc prompta animi voluntas, modò poſteà habita Cõfeſſarij commoditate id perficias, quod antea nequiſti. Quòd ſi non per obliuionem, verùm de induſtria aliquod ſimile peccatum mortale omiſiſti, redeundum eſt tibi ad eundem Confeſſarium: vel ſi alium adeas, prior confeſſio tota repetenda, ac quæ ſilentio præteriiſti, & quæ poſteà admiſiſti, aperienda ſunt, ac de mendacio & ſimulatione facta confitendum.

Quinta ſit humilis.

Humilis, quia pœnitens quicunque humili, ac demiſſo animo accedere ad Confeſſarium, ac ſua delicta recenſere debet, memor illius: Cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies. Pſal. 50.

Sexta ſit verecunda.

Verecunda, nam ſi pudoris, honeſtatiſque ratio id poſtulat, vt quiſque coram eo, cui crimina ſua manifeſta ſint, erubeſcat: multò magis pudere hominem oportet, cùm ipſemet ad animæ ſuæ ſalutem, ac delictorum ſuorum veniam, & remiſſionem impetrandam, quæ admiſit turpiter, Sacerdoti in confeſſione aperit. Quare pœnitens non impudenter & inuerecundè, ſed qua poteſt modeſtia, ac verecundia flagitia ſua, carnis præſertim explicet.

BREVIS

BREVIS EXPLICATIO EArum circumſtantiarum, quæ peccatis adiunctæ ſunt.

CAPVT DECIMVM OCTAVVM.

QVis, perſonæ ſtatum, ac conditionem indicat; quia ſi pœnitens ſit Confeſſario ignotus, nec ſtatum ſuum ipſe prodiderit, interrogandus eſt de profeſſione, ac conditione ſua: religioſúſne ſit, ſiue Clericus, (præſertim ſi ſacris initiatus eſt) an verò laicus: liber, an coniugatus: artifex, an ruſticus: nobilis, an ciuis; mercator, an aduocatus, vel doctor, vel procurator, vel notarius: num præſit aliis, aut Magiſtratu, ſeu aliqua dignitate fungatur; an ſeruus ſit, ſiue ſubditus: vt Confeſſarius pœnitentis confeſſionem accommodatiùs, ac prudentiùs diſponere, ad optimumq́ue finem perducere poſſit. Abſurdum enim & ridiculum eſt, ſi, dum ſciſcitatur, aliquid ab eius conditione alienum planè interroget: vt exempli cauſa, religioſorum, aliorumq́ue Eccleſiaſticorum peccata à milite, vel militum à viro Eccleſiaſtico: & medicorum, aut aliorum cuiuſcunque profeſſionis Doctorum, ſeu Studioſorum, Aduocatorum, procuratorum, notariorumq́ue à ruſtico: ac mercatorum, artificum, negociatorum à viro nobili, & ab omni prorſus negociatione alieno: atque patrisfamilias à ſubdito: vel contra. Propterea non ab re Confeſſores hoc loco monentur, vt ab vnoquoque vitæ

Prima circumſtantia peccati eſt cõditio perſonæ confitentis, nempe, quis ſit.

X 3 ſtatum

ſtatum ac conditionem inueſtigent, quò oblata occaſione, pœnitentem ſuis de rebus percunctari, & admonere queant.

Secunda, quid genus peccati.

Quid, genus peccati quærit: venialéne ſit, an mortale: & id quale: num homicidium, num furtum, num peccatum carnale, num tale aliud. Si carnale, an ex ſimplici fornicatione, vel adulterio, vel ſtupro, vel inceſtu, vel ſacrilegio, aut contra naturam, aut ex nefandiſſimo cum beſtiis concubitu, aut per molliciem, ſeu quamcunque immunditiam. Sin furtum, num ex rapina, aut vſura, aut alia quacunque iniuſta proximi bonorum ablatione, retentione, vel vſurpatione.

Sin verò homicidium, caſualéne, an voluntarium: Sacrilegum, an non: frigido ſanguine, (vt vocant) hoc eſt, certo animo & deliberato factum, an calido, ſeu alio quocunque modo. Et ſic de cæteris delictis faciundum eſſe exiſtimato: nam ad ſingulorum ſpecies, ac differentias modò deſcendere, non eſt huius loci, ſed maioris operis.

Tertia, Vbi ſit perpetratum peccatum.

Vbi, ad locum refertur, in quo peccatum admiſſum eſt: num in loco ſacro, an prophano: nam grauius cæteris paribus eſt in templo, aut alio in loco ſacro, quàm ſi domi pecces, aut alibi.

Præterea grauiùs eſt, ſi partes tectas corporis alicuius, cuiuſcunq; ſexus ille ſit, præſertim pudendas, impudico animo attrectes, ſeu intuearis, quàm pedem, manum, aut faciem, &c.

Quarta, cũ quibus.

Quicum, ſceleris ſocios, nullius tamen proprio nomine prodito, oſtendit: ſine quibus id facinus patrari, aut res bene exprimi non poteſt: vt ſi peccatum venereum ſit: num (quod DEVS auertat) cum mare contra natu-

naturam, an verò secundùm naturam cum fœmina: Et si cum fœmina: num cum virgine, an non: soluta, an coniugata: affinitate, vel sanguine iuncta, an aliena: prophana, an Deo dicata: vi rapta, vel fraude decepta, an voluntaria: nam hæc specie differunt, & vnum maius est altero. Monendi verò sunt pœnitentes, ne peccatum aliquod in his explicandis differentiis tàm apertè exponant, vt, cum quo id sit commissum, cognoscere Confessarius possit

Quinta, coram quo. Coram quo: grauiùs enim est verbis, vel re ipsa coram eo peccare, cui inde scandalizandi, aut peccandi facias occasionem, quàm si clam idem agas. Proinde dixit Saluator noster: Væ mundo à scandalis. Qui autem scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Grauiùs etiam offendit, qui coram multis delinquit, quàm qui coram vno, aut duobus.

Matth. 19. Et Mar. 9. Et Luc. 17.

Peccatum aggrauatur ratiōe maioris scandali.

Sexta, quamdiu. Quamdiu, temporis diuturnitatem in peccato notat: nam peccatum siue mentale illud sit, siue actuale, eò grauiùs existimatur, quo diuturniùs est. Adhibeatur autem hac in re diligentia singularis à Confessore, præsertim quod ad mentale peccatum attinet, quo quis diuerse labi potest, vt optimè monet D. Thomas, dum hęc eadem declarat.

Peccatum quo diuturnius eò grauius.

Opusc. 64. in verb. Mora.

Septima, quoties. Quoties, numerum, ac multitudinem signat: quippè quoties quis idem peccatum admiserit, quod si certò constet, dicat: sin minùs, doleat toties se idem peccatum repetisse, vt numerus memoria exciderit.

Cur,

Octaua quamobrē. Cur, finem, intentionemque peccantis inuestigat. In omni enim peccato est diligenter aduertendum; quorsum, ac quo animo delictum admissum sit: nam circumstantiarum omnium præcipua, finis est; ac peccati grauitas, vel leuitas ex fine potissimùm perpenditur.

Nona quomodo. Quomodo, peccandi modum significat; quo pacto videlicet, quibus modis, qua ratione quis peccârit: quò turpiùs enim atque inhonestiùs peccatur, eò peccatum grauius, ac detestabilius censetur.

Decima quando. Quando, temporis circumstantia est: nam quò tempus sanctius, eò videtur haberi grauius, ac maius delictum, quod tunc contingit; (id quod ex quadam rerum indecentia nonnullis videtur probabile) vt, si die festo ac solenni horas Canonicas prætermittas, grauiùs videris peccare, quàm si eas alio tempore prætermitteres. Aut si feriatis diebus agas, quod profestis debes: ac quodcunque peccatum sacro die admissum, maius esse videtur, quàm si non sacro admitteretur: grauiùs item, ac turpiùs est, si precibus non vaces, aut impudenter loquaris, vel etiam abdomini ac gulæ indulgeas, cùm sacram Eucharistiam capturus es, aut iam cepisti, quàm aliis diebus. Similiter magis peccas, si quid praui cogites, cùm oras, aut sacrum facis, vel horas Canonicas recitas, quàm cùm scribis, seu aliud quidpiam agis.

FORMÆ

FORMÆ AC MODI AVDI-endarum confeßionum documenta.

CAPVT DECIMVM NONVM.

Præparatio Sacerdotis ad audiendas confeßiones.

SAcerdos confeſſiones auditurus debet ſeipſum priùs probare, & à Deo petere, ac precari pœnitentibus, vt vero cordis dolore contriti per ſanctam confeſſionem cum eo in gratiam priſtinam reducantur, ac fructum abſolutionis conſequantur. Deinde ad audiendum iam paratus ſecedat, locumque aliquem honeſtum, ac decentem occupet, ibi tanquam Chriſti Vicarius, ac iudex animarum, pro tribunali ſeſſurus. Vt autem loca ſuſpecta ad vitandas hominum ſuſpiciones fugiat (qualia eſſent cubiculum, vel angulus aliquis ad deliteſcendum accommodatus) in templo (præcipuè cùm mulieres audit) ſedem ad id munus obeundum habeat: ibi enim Sacramenta, quaſi quædam animarum epulæ, exhibentur: niſi domum quis, aut quocunque alio aduocatus fuerit, ſecusque fieri tempora poſtulent: ſalua tamem ſemper morum honeſtate, dignitateque Sacramenti.

Aperto loco confeßiones præſertim mulierum excipiatur.

Duo ſimul non audiãt eandem cõfeßionem.

Ex D. Tho. opuſc. 65. de offic. ſac. C. de cautela in confeſſione habenda.

Cauere autem debet quicunque Sacerdos, ne ſimul cum alio Confeſſario pœnitentem audiat; neq;, ſi quis, audiente alio, ipſi confiteri vellet, id fieri patiatur: ſed ab vniuerſis (ne confeſſio ad aures perueniat alienas) ſeparatim ad ſe venire ſingulos iubeat: qua vetuſtiſſima, ac ſalutari conſuetudine, à primis annis, ad hæc noſtra tempora vſque, ſacroſancta ſemper vſa eſt, & adhuc vtitur Eccleſia: quod & Oecumenici Concilij Tridentini teſtan-

Seſſ. 14. de conf. c. 5.

testantur decreta; Absurdum enim esset, ac turpe, atq; ab omni ratione alienissimum, si delicta, ea præsertim, quæ hominibus sunt occulta, publica confessione enumeranda forent, quibus nobis ipsi infamiæ essemus, atque dedecori. Nam grauissimum hoc peccati genus est, quod contra primam partē charitatis patratur, quę à nobis incipere debet. Quòd si quę flagitia, vnum, aut plura publica fuerint, licebit illa publicè etiam confiteri: (modò id non Sacramētaliter fiat) quia tunc nulla inde ignominia, sed exempla potiùs optima peti possunt.

Sum. Arm. in verb. cō-fess. sacr. §. 24. Sm̄ mē-tem D. Th.

Confessarius deinde quemcunque pœnitentem, qui se ad pedes eius supplex proiecerit, non toruis oculis, truciquc ore: sed beneuolè, humaniter, hilariqúe fronte intueatur: ne hac seueri hominis specie pœnitentibus metum, aut pudorem iniiciat: quò minùs sua confiteri liberè possint peccata. Caueat tamen interea, ne tanta eius sit comitas, ac facilitas, vt ex nimia familiaritate contemptus pariatur: attendatque se Dei loco præsidere, & Christi referre personam: confitentes autem quasi reos in iudicium rerum suarum venisse. Neq; verò in cōfitentium, mulierum præcipuè, faciem immotos diutiùs figat oculos, ne aliqua inde accendatur cupiditatis prauæ scintilla, quam Cacodęmon lignis pessimarum cogitationum appositis, augere posteà possit: sed arrectis auribus attētè omnia audiat, eoq; animum referat suum, vt grauia saucij hominis vulnera diligenter curet, &, quod genus morbi fuerit, eam adhibeat medicinam, qua salutem pristinā reddere possit. Quare Sacerdos, quò breuior sit in audiendis mulierum, adolescentularum præsertim, confessionibus, ne superuacanea interserat verba, quæ confessioni impedimento magis sint, quàm ad rem faciant: nec præter modum

Leniter excipiendi pœnitentes.

Lenitas Sacerdotis non sit sine matura seueritate.

Quomodo se habere debeat Sacerdos in audiendis confessionibus.

Ex 65. opus D. Th. c. de caut. in cō-fess. hab.

sit

ſit curioſus, in motibus membrorum inueſtigandis, eorumque vſu inquirendo: nam vbi eiuſcemodi reperitur malorum eſca, ibi adiuncti etiam inuenientur hoſtis noſtri ſtimuli, ac fraudes omnes.

Pœnitens alioquin rudis instruendus.

Tum ſi quem tam rudẽ, ignarumq́; eſſe norit, vt per ſe ea, quæ ſequuntur, præſtare non poſſit, eum blando appellatum ſermone moneat, vt vtroque genu flexo, & nudo capite, vultuq́; non in Sacerdotem, ſed humi deiecto, aut ad dextrum latus Sacerdotis, vel ſiniſtrum conuerſo, ſigno ſanctæ crucis ita ſe antè muniat; In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen. Poſteà vt confeſſionem generalem recitet excluſiuè vsque ad illa verba; Ideo precor te orare pro me: quorum loco dicat; Ideo precor te, vt peccata mea digneris audire; quã, ſi pœnitens ignoraret, Sacerdotem præire dicendo ne pigeat.

Poſteà Confeſſarius, ſi id antea à Concionatoribus neglectũ ſit, docere pœnitentes debet conditiones, ac proprietates, quas confeſſio requirit, hoc eſt, ea, quæ ad illius perfectionem ſpectant, ſine quibus confeſſio integra & perfecta omnino eſſe nequit. Opportuniùs autem fuerit, ac commodiùs, ſi id Concionatores è ſuggeſto tempore quadrageſimali, inſtante præſertim confeſſione, præſtiterint, ne tantum temporis ponendum ſit Confeſſori in audienda, excipiendaque confeſſione ſingulis inſtruendis. Hæ verò conditiones ſuprà poſitis verſiculis continentur.

Pœnitentes Confeſſarijs ignoti examinandi, quamdiu non ſint cõfeſſi.

Pœnitente hucuſque deducto, ſi ignotus ſit, eum Cõfeſſor, quamdiu confeſſus non ſit, interroget. Idem etiam faciat circa ſacroſãctam Synaxim, quoniam omnes ſexus vtriusque fideles, quàmprimùm ſapere cœperint, quotannis ſemel ſaltem feriis Paſchalibus (vt ſuprà

De pœn. & remiſſ. c. 12.

dictum est) Sacerdoti suo, aut alteri habenti autoritatem peccata sua confiteri, ac sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum excipere, grauissimo astringuntur præcepto: nisi Parochus iustas ob causas consuleret, ad tempus hoc religionis opus esse differendum.

De quibus monendus Pœnitens circa confessionem prahabitam.

Cùm verò id Confessor obierit, petatur, an in proxima confessione sibi ipse, ac pœnitentiæ à Sacerdote iniūctæ satisfecerit: an item verè fuerit absolutus: alioquin confessio esset iteranda. Quòd si pœnitens hæc ignoret, doceat ipsum Cōfessor, quibusnā modis cōfessio irrita fiat, atq; inanis, secundū ea, quæ paulò antè docuimus. Quòd si aliqua ex his causis cōfessio iterāda fuerit, illi est persuadendū, atq; (si fieri possit) in animū eius inducendum, vt diligentiùs secum ipse peccata postremæ confessionis meminisse velit, in aliudq; tempus (quod vtriusq; commodo fiat) confessionem differre. At si de eius morte, vel reditu animo penderet, tunc nulla interposita mora est audiendus: Si tamen priùs admoneatur, vt omni studio, ac diligentia ad memoriam reuocare conetur, ac sua confiteri peccata, non ea modò, quæ ab vltima confessione patrauit, sed illa etiam, quæ postremò confessus sit, aut confiteri scienter, vel imprudenter neglexerit. Si verò integra ac vera præcedens fuerit confessio, sequatur Confessarius, atque illum cæteris de rebus interroget.

Primò autem sciscitetur Confessarius, an ab vltima confessione, aliquo excommunicationis, aut casus reseruati laqueo irretitus sit, à quo cum Cōfessor ipse soluere non possit. Quòd si quem eiusmodi repererit hominem, mittat illum ad Superiores, vel ad alios autoritatem habentes: nisi Confessor hac fuerit potestate, aut eam se illi curaturum promiserit: Satiùs enim est, vt

hæc

hæc initio confeſſionis percunctetur, ab iis præcipuè, de quibus eſt aliqua ſuſpicio, aut omnino ſunt incogniti, ne vlteriùs fruſtra ſit progrediendum. Quare petet etiam, an aliquod peccatum mortale habeat, quod relinquere, ac deteſtari nolit: qualia eſſent vſura, concubinatus, odia, & alia eiuſmodi, quæ plerumque hominis alicuius ſtatus committere ſolent, atq; ſimonia in Clericis: quòd ſi ita ſe res habeat, ne audiatur, ſed conſiliis potiùs, atque admonitionibus adiuuetur. Sin minùs petatur: num ad confeſſionem digna priùs facta præparatione acceſſerit. Quòd ſi negligẽtiſſimorum quiſpiam ſeſe offerat, id cum eo ſeruandum eſt, quod paulò antè de iteranda confeſſione tradidimus, adiecta tamen admonitione, ne in poſterum, niſi quàm diligentiſſimè præparatus, ad hoc Pœnitentiæ Sacramentum accedat. Quòd vt faciant, non ſolùm frigidi, ſed tepidi quoque, ſedulò moneantur.

His ita præmiſſis, vt oportere iudicabit Confeſſarius, dicat pœnitenti, vt, quæ cogitauit, & habet in memoria, ipſe ſua ſponte confiteatur: & quamuis ille malit interrogari, nihilominus tamen inducatur, quantum fieri poteſt, vt ipſe per ſeſe priùs peccata ſua omnia, quorum meminit, verè, integrè, reiectiſque inuolucris, ac quaſi velis quibuſdam, quibus vniuſcuiusque cõſcientia obtenditur, quomodocunque, pinguiſſima etiam Minerua, grauiora præſertim, confiteatur: vt, quemadmodum peccata in conſcientia ſunt per memoriam, ita etiam in ore ſint per confeſſionem. Quod etiam Cõfeſſario non parum profuerit, vt ad perſonæ, peccatorumque qualitates cognoſcendas, atque ad inueſtigandum, de quibuſnam rebus pœnitentem (ſi ita opus eſſe exiſtimârit) ſit interrogaturus, inſtructior fiat. Doceat

Quibus instituendus pœnitens de præsenti confessione.

ceat deinde ipsum omnia peccatorum adiuncta exprimere, tempus, modum, locum, causam, crebritatem eiusdem delicti, moram in peccando, ac reliqua, quæ suprascriptis duobus versiculis continentur.

Ex D. Aug. c. 14. de ve. & fal. pœn. Et de pœn. d. 5. c. 1.

Quæ prudentia necessaria audituro confessiones puerorum, mulierum, & similiũ.

Vtile autem fuerit, si rudes, pueri præsertim, ac mulieres, aliique rarò, aut semel tantùm quotannis confitentes, de peccatis, quorum in confessione nullam ipsi fecêre mentionem, in quibusque probabiliter existimentur deliquisse, à Confessoribus interrogentur, ne pudore, aut ignorantia, peccata sua Confessorem celent: Ideo præclare ait D. Augustinus; spiritualis iudex diligens sit inquisitor, & subtilis inuestigator, sapienter, & quasi astutè interroget à peccatore, quod forsitan ignorat, vel verecundia velit occultare. Aliquo itaque crimine cognito, ne dubitet varietatis eius partes, & locum, & tempus, & cætera id genus adiuncta percunctari. Quibus rebus omnibus diligenter inuestigatis, se beneuolum præbeat, paratumque ad leuandum onus, hominemque erigendum. Audiat summa cum benignitate, confitentium miseriis moueatur, peccata quæque suis ponderibus examinet. Caueat tamen ne inter rogandum, rudibus, sexus vtriusq; iunioribus præsertim, ad nouum, & nunquam antè tentatũ scelus occasionem det. Præterea animaduertat quisque Confessarius, ne pœnitentem, qui satis bene suã visus est cõscientiam discussisse, & Cõfessario promptè ac diligẽter satisfecisse, nimiis interrogationibus molestet, nisi quid prætermissum, aut non explicatum satis, siue obscuriùs prolatum Confessario uideatur.

c. 20. de ve. & fal. pœn. Et de pœn. d. 6. c. 1.

Cõpassio in Confessario laudabilis.

Caueant Confessarij, ne imprudẽter interrogando nescios peccare doceant.

Cauenda est importunitas in Cõfessario.

Seruandus in confessione est quoq; rerum dicendarũ modus, & aliquis ordo: quem, si confitentiũ quispiam ignorârit, Sacerdos ipsum doceat (quod etiam publicè

inter

inter concionandum certo ac ſtatuto tempore Concionator præſtare debet, vt imperiti homines, plebei maximè, & vtriusq; ſexus iuniores, hac in re optimè inſtituãtur aut etiã (ſi ita opus eſſe videbitur) hominẽ hoc interroget ordine. Primùm, vt poſt generalem delictorum confeſſionem, peccata in decem præcepta veteris inſtrumenti, cogitatione, verbis, re, per prætermiſſionem, aut quomodocunque admiſſa aperiat. Deinde, ſi quæ capitalia crimina patrauit, eo, quo dictum eſt, ordine, ſigillatim narret. Tùm prauas ſenſuum patefaciat actiones: hæcq; omnia cum adiunctis non impertinentibus, ſed quæ peccata duntaxat, vel grauiora reddant, vel leuiora, quæque ad cuiusque ſtatum ſunt perquàm accommodata.

Ordo in cõfeßione ſeruandus.

Quòd ſi quis hiſce in rebus ſit tam inexercitatus, vt ægrè omnia ſine aliquo libro præſtare poſſit, conſulimus, vt directorium aliquod ad confeſſionem, ſeu interrogatorium prę manibus habeat. cuius ope, ac ſtudio facilia omnia in confeſſionibus audiendis reddantur. Nam infinita propemodum extant opuſcula, quibus plurimi, ac doctiſſimi Scriptores modum confitendi, interrogandiq́ue, ſumma cum facilitate ad cõmunem tam confitentium, quàm Confeſſorum vtilitatem literis prodiderunt; Immenſi autem fuiſſet operis, ſi nos huc omnia congerere voluiſſemus: cùm ea peculiarem tractatum potius, quàm hunc ſibi locum vendicent. Quòd ſi quis huiuſmodi librum cupiat habere, inter multos alios valde nobis probatur Confeſſionale Domini Martini Eyſengreinij, Doctoris Theologiæ, Præpoſiti Oettingenſis, quod pro commodo non ſolùm confitentium, ſed etiam pœnitentium nuper edidit in lucem.

Confeſſariõ, cui non ita expertus directorium in promptu habeat.

Poſtremò

Postremò monendus est pœnitens, vt sub finem cõfessionis statim addat;se reũ esse criminum omnium, quæ contra bonam, ac iustam Dei Opt. Max. voluntatem quoquo modo deliquerit: à quibus, vt absoluatur, supplex petat.

Pro qualitate pœnitentis seueritatem aut lenitatem peracta cõfessione adhibeat Sacerdos.

Audita confessione Sacerdos confirmare pœnitentes debet, diuersa curandis ægrotis adhibendo medicamina: modò lenissimis ad consolandum vtatur verbis, spemque ostendat impetrandæ veniæ, ac sempiternam beatæ vitæ felicitatem polliceatur; aspera modò oratione (cùm opus fuerit) increpet, pœnarumque minis, quæ apud inferos improbis à Deo sunt constitutæ, à sceleribus, flagitiisque eorum deterreat animos. Idem enim propositum esse debet Confessori ad salutẽ animarum, quod & in corporibus curandis spectat medicus: qui valetudinis vitio furentem leuioribus mitigat remediis, & in pristinam sanitatem restituit: abdomini verò, ac gulæ seruienti, carne, ac vino, asperiùs interdicit, ne sibi ipse sit causa mortis.

D. Aug. c. 20. lib. de ve. & fal. Pœn. & de Pœn. d. 6. c 1. Idem ferè habetur in Can. 120. Conc. 6. Constantinopol.

Adhibenda à Sacerdote in satisfactionis impositione.

Cæterùm præceptis optimis, quantum eius patietur doctrina, ad satisfactionem pœnitẽtes inducat, scelerum grauitatem ostendens, ac magnitudinem, pœnamque illis secundùm Canonum sanctiones statutam decernat, quam tamen dicat fragilitatis humanæ misertum velle se alleuare, ac diminuere: adhortans eos, vt præter hæc pœnitentiæ imposita opera, plura etiam alia perficere conentur. ne, si fortè minus eis iniunctum fuerit per Confessorem, Deus ad purgatorium grauiorem sit reseruaturus pœnam.

Pœnitentes rudes moneantur, vt necessaria do-

Si pœnitentem insuper rudem, diuinarumque rerum ignarum prorsus esse cognôrit, eum monere debet, vt Symbolum addiscat Apostolicum, precationem domi-

dominicam, Angelicam salutationem, decemq; decalogi præcepta, ac confessionem: quòd ista saltem Christianus quilibet scire debeat. Quando autem templum ingreditur, aqua se aspergat benedicta, qua veniales noxæ remittuntur, hostiúmq; vires frangũtur, ac debilitantur. Vbi verò de alicuius famæ, aut bonorũ restitutione agitur, cautione, ac prudentia opus est maxima: nec absoluendi sunt, qui res alienas per fraudem possident, nisi eà priùs, si actu habeant, restituerint, maximè si in alia, vel aliis confessionibus promiserint restituere, & non impleuerint; Quòd si antea nunquam hoc confessi fuerint, & commoditas in præsentiarum non sit restituendi, vel quia nõ habeant, vnde restituant, vel quia absint, quibus restituendum est, vel propter modum restituẽdi, qui fortasse egebit tempore, ad euitanda diuersa scandala, quæ oriri alioqui possent, vel propter alia id genus impedimẽta, si syncerè, & ex animo promiserint restituere, cùm primùm sese offeret commoditas, ac pœnitentiæ sibi iniungendæ satisfacere, absolui poterũt. Peculiaris autem promissio, aut iusiurandum à pœnitentibus, qui probè affecti ad suum munus fungendum nõ sint, exigi haud debet, prætèrquàm in certis casibus, & à iure statutis. Dicet tamen pœnitenti Confessarius, nisi, quę sua non sunt, dominis reddat, aut quæ præscribit ratio, præstet, confessionem nullum facturam emolumentum, propterea quòd non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.

Primo Christianæ capita addiscãt.

De conf. d. 3. c. Aquã.

Aqua benedicta veniales noxæ remittuntur.

Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.

Proinde Confessarius pœnitenti optimè affecto eas pœnas irrogare debet, quę salutem afferant, cumq; delictorum multitudine, ac generibus proportione quadam adæquentur: secundùm illud; pro mẽsura peccati, erit & plagarum modus; hæcq; omnia fiant cõfitentis spectata natura. Quapropter necesse est, vt Confessor non vitio-

Concil. VVorma. can. 7.

Deut. 25.

Satisfactionis modus, & à grauitate peccatorum, & qualitate pœnitentię sumendus.

rum modò, sed peccantis etiam rationem habeat: vt senex ne sit, an adolescens: diues, an pauper: robustus, an debilis: liber, an seruus, & alia id genus personarum adiuncta. Quibus diligenter consideratis, delectuque habito, eam, quæ confitenti conducere videatur, pœnitentiam præscribat. Caueat tamen, ne tam grauis, atque austera sit, vt illam pœnitens à se abiiciat penitus, ac detestetur: prauum adolescẽtis illius sequutus exemplum, qui fascem abiecit, quem humeris ferre nequibat. Neq; verò tam debet esse leuis, ac facilis, vt per nimiã Confessarij in pœnitentem indulgentiam, maior consequatur peccandi licentia, ac libertas, sed mediocritatem illam teneat, quæ est inter nimium, & parum: vt neq; rigidior, quàm æquum sit, neq; mitior putetur. Quòd si in alterã partem peccãdum sit, satius est, si dulcem se potiùs lenitate præbeat, quàm seueritate grauem, atque acerbum; quòd apud Deum potior misericordiæ sit, quàm austeritati locus. In idem verò peccatum iterantem grauiùs est etiam animaduertendum: quia vulnus repetitũ, grauiorem, ac difficiliorem habet curationem. Confessarij aũt pœnitentibus mulctam pecuniariam nõ irrogabunt, ex qua ad ipsos aliqua existimetur puentura vtilitas, ne quęstus turpitudine malè audiant. Eam itẽ pœnitentiam nõ iniungẽt, quæ peccatorũ genera indicare possit. Quocirca quemadmodum Confessarius peccata in confessione pœnitẽtis audita, nisi se nefario ꝓditionis scelere obstringere velit, nemini enũciare debet: ita nec pœnitẽs impositam sibi propterea pœnitentiã aliis debet patefacere: ne tàm sibi, quàm Confessori dedecori sit, atq; infamię.

De pœn. d. 1. c. mensuram.

26. q. 7. c. Alligant.

26. q. 7. c. Alligant.

Mulcta pecuniaria pœnitentibus non irroganda.

Pœnitentia salutari correctum pœnitentem, ad eam legem, ac formulam, quæ inferiùs præscribitur, Sacerdos à peccatis absoluet.

Inferiùs in verb. de absolutione.

DE NON

DE NON ABSOLVENDO A *censuris & casibus reseruatis.*

CAPVT VIGESIMVM.

CAVEANT Parochi, Confessariique alij simplices, nequem à casibus summo Pōtifici, Episcopoque reseruatis absoluant, nisi eiuscemodi fuerit illis permissa potestas; néue in maioribus excommunicatos, aut sua culpa interdictos audiant, aut auditis antè dent absolutionem, quàm à Superioribus, ab iisué, quibus eorũ autoritas attributa sit, ab eisdem censuris, cæterisq; casibus reseruatis liberentur; quos vt adeant, eis Confessores suauiter consulent, atque persuadebunt, alioquin hæc dum adsunt impedimenta, ab aliis nō possunt absolui peccatis; Quòd si quis à casibus reseruatis quempiam absoluere audeat, is (vt supradictum est, cùm de iurisdictionem ordinariam, seu delegatam non habentibus ageremus) peccabit, nulliusque erit momenti absolutio: extremo tamen vitæ tempore excepto, quo, ne quis hac pereat occasione, in sancta Dei Ecclesia nulla prorsus est reseruatio. Quare Sacerdotes extra periculum mortis, cùm nullam in casus reseruatos autoritatem habeant, magno studio inducant pœnitentes, vt ad Superiores, legitimosque iudices absolutionis impetrandæ causa accedant. Quæ, si quis neglexerit, pœnitentemque ab aliquo casu reseruato absoluerit, is impetrata absoluendi facultate, pœnitenteq; ad se accersito (quod vtriusque commodo fiat) quasi de rebus quibusdam sibi iam confessis subtiliùs

Ric. in 4. d. 18. & Silu. in verb. absol. 3. §1.

Exc. 7. doctr. Sacra. pœn. sess. 14. Cōcil. Trid.

edoceri velit, hominem iterum (vt suprà de Sacerdote simplici, ac potestatis vsu quomodocunq; priuato diximus) absoluere, diuino iure cogitur. Quòd si Cõfessarius id præstare sine maximis difficultatibus non possit, summo Sacerdoti Deo totum relinquat negotium.

QVID CASVS RESERVATI?

CAPVT VIGESIMVM PRIMVM.

QVamvis sub hoc casuũ nomine latiori modo accepto, non peccata tantùm, verùm etiam censuræ, irregularitas, votorum dispensationes, atque alia id genus quàm plurima à Canonistis comprehendantur: hoc tamen loco casus reseruati propriè dicuntur, in quibus confitentem absoluere communiter non licet: ob grauia quædam crimina, quorum cognitionem, ad animarum nostrarum ædificationem, ac salutẽ, Superiores, in primisque summus Pontifex, sibi, suæque reseruârunt iurisdictioni, quæ quidem crimina licet quædam sint prorsus simplicia, sunt tamen quædam, quibus excommunicationis censura annexa est, quorum cognitio peculiari Sedis Apostolicæ iudicio maiori ex parte est reseruata. Ea enim, quorum absolutio Episcopis reseruatur, partim sunt ab omni excommunicatione distincta penitus, atque segregata, partim etiam annexam habent excommunicationem. Quamobrem simplices casus Episcopales seorsum ab excommunicatione considerantur: quod non item in Papalibus contingit; quia semper adiunctam excommunicationem habent. Idcirco cùm de casibus

Ex Synodo Trident. sess. 14. c. 7. de casuum reseruatione.

casibus reseruatis tractandum est, non ineptè scribunt Canonistę, Papalium aliam, aliam Episcopalium habendam esse rationem.

ANNOTATIONES IN DIctos casus reseruatos.

CAPVT VIGESIMVM SECVNDVM.

QVOTIESCVNQVE Episcopus ab omnibus casibus sibi reseruatis, nulla excommunicationis facta mentione, absoluendi potestatē alicui Sacerdoti permittit: excommunicatio ipsa tunc non est intelligenda: quia alia ratio excōmunicationis, alia casuum Episcopo reseruatorum est habenda. Quòd si Pontifex Maximus eiuscemodi autoritatem ab omnibus casibus, Sedi Apostolicæ reseruatis, cuipiam tribueret: tunc is ab excommunicatione etiam absoluere posset: quia nullum peccatum est adeò graue, vt summo Pontifici reseruatum sit, nisi ratione eiusmodi censuræ.

Potestas in casus reseruatos non extenditur ad excommunicationem.

Si Pontifex Max. itidem, aut Episcopus, ab omnibus peccatis, excōmunicationibusq; sibi reseruatis alicui Sacerdoti absoluendi facultatem concederet: nō tamen is quempiam ab aliis censuris absoluere posset, nisi illarum in communi mentionem fecisset, aut aliquam sibi reseruâsset: quia tunc aliæ concessæ intelliguntur, eò quòd exceptio (vt inquit Panor: secundùm illud, quod scribitur causa 22.q.7.c. Dominus) firmet in contrarium. Quod tamen de his tantùm intelligendum est, quæ eiusdem sunt generis.

Cōfessarius habeat rationem rectè considerandæ suæ facultatis.

Poteſtas in cenſuras & reſeruata non extenditur ad diſpenſationẽ ab irregularitate & votis.

Irregularitas nõ cẽſura, ſed pœna eſt Eccleſiaſtica.

Quapropter non errare illi videntur, qui aſſerunt, eos, quibus à peccatis omnibus, & cenſuris duntaxat, abſoluendi eſt data poteſtas, ſuper votis, atque irregularitate, diſpenſare non poſſe; eò quòd irregularitas, ac votum, cum cenſuris, ſub eodem genere non ſint, ſed quid diſtinctum ab illis, atque diuerſum. Nam irregularitas (vt poſteà dicemus) non cenſura, ſed pœna tantùm quædam eſt Eccleſiaſtica; & votum deliberata, ac ſpontanea promiſſio Domino Deo facta.

DE CASIBVS PAPALIBVS, & Epiſcopalibus.

CAPVT VIGESIMVM TERTIVM.

CVm Casvs Papales omnes ij tantùm ſint, quos (vt iam dictum eſt) Eccleſiaſtica cenſura, hoc eſt, excommunicatio Sedi Apoſtolicæ reſeruat, cuius generis ſunt etiam non omnes, ſed plerique Epiſcopales eiſdem Epiſcopis reſeruati, conuenientiùs putauimus, eos inferiùs recenſere, vbi ſpeciatim de cenſuris omnibus, (inter quas primum habet locum excommunicatio) & de irregularitate tractabimus, vbi etiam diſcrimen inter Papales, & Epiſcopales excommunicationes adiiciemus.

Hoc itaque loco ſatis eſt, vt Confeſſarius hoc vnum ſciat, ſe nullum audire, & poſſe abſoluere pœnitentem extra mortis articulum, quem excommunicationis Papalis, aut Epiſcopalis, id eſt, D. Papæ, aut Epiſcopis reſeruatæ vinculo innodatum cognouerit, niſi in caſibus à

iure

iure permissis, vel priuilegium ad id, aut peculiarem (vt superiùs dictum est) habeat absoluendi facultatem. Qui autem sint casus D. Papæ, aut Episcopis reseruati, in quibus etiam aliis absoluendi potestas facta sit, aut priuilegium donatum, in tractatu de excommunicatione inferiùs dicetur. Excommunicationem verò non minorem, sed maiorem intelligimus: quoniã à minori potest quilibet simplex Confessarius pœnitentem ei cõfessum absoluere.

A minori excommunicatione & aliis non reseruatis, quilibet Cõfessari⁹ absoluere potest.

Porrò quia diximus casus Episcopales in duplici esse differentia, quosdam simplices, & alios adiunctam etiam habentes excommunicationem, qui inferiùs enumerabuntur in tractatu de censuris, necessarium videtur hîc, vt simplices ad minus enumeremus, ne Confessarij ignorent, à quibus etiam casibus simplicibus pœnitentes non possint absoluere, nisi specialem facultatem habeant.

Casuũ Episcopalium nonnulli annexam habent excõmunicationem.

Cæterùm sciant oportet Confessarij, nullum crimen tam esse graue, quin Episcopus absoluere possit: nec vllum tam leue, vt absolutionem sibi reseruare non valeat. At verò quinam eis ordinariè reseruati dicantur, nihil certi affirmare possumus, cùm eiusmodi casus incerti plerunque sint, atque ambigui: quoniam quidam Episcopi plures, pauciores alij sibi casus reseruant. Quapropter certus eorum numerus à nobis assignari minimè potest: sed cuiusque Episcopi reseruatio tantùm hac in re est examinanda, ac perpendenda, & cuiuslibet Diœcesis consuetudo seruanda, quæ in casibus dat, ac tollit iurisdictionem, absoluendique facultatem. Vt tamen aliqua eorum habeatur cognitio, paucos quosdam, vt qui vniuersim ferè Episcopis reseruantur, apponere placuit: quorum aliqui ex iure, ex consuetudine

Episcopus à quolibet mortali potest absoluere, & quodlibet reseruare.

alij,

alij, & quidam pro arbitrio Episcopis reseruantur: de quibus ipsi meritò consulendi sunt: nam hi non tam facilè Parochis, multoque minus Sacerdotibus simplicibus permitti solent.

CASVS SIMPLICES, QVI EX IVRE EPISCOPIS RE-seruantur.

CAPVT VIGESIMVM QVARTVM.

Casus Episcopo de iure seruati sunt quatuor.

HI Casvs, qui ex iure Episcopis reseruantur, præter excommunicationem maiorem, de qua iam mētionem fecimus, quatuor sunt.

Horum vnus est, Clerici peccatum, quo in irregularitatem cadit. De priuil. c. 1. in Extrau. Bened XI.

Alter est, de incendiariis dolosis, ante denunciationem tamen, (nam post eam est Papalis) atque de iis, qui hoc fieri præcipiunt, aut auxilium, consilium, ac fauorem dant. De sent. ex com. c. 19. & 23. q. 8. c pessimū.

Tertius, est peccatum, cuius causa laicis olim solemnis indicenda erat pœnitentia: loco cuius temporibus nostris ij, qui id crimen admittunt, aliter, sed seuerè tamen, ad arbitrium ordinarij, puniri debent. 26. q. 6. c. vltimo.

Quartus, est peccatum, à quo antea Episcopus iustis de causis peccantem absoluere noluit. d. 21. c. inferior.

CASVS

CASVS ALII, QVI EX consuetudine Episcopis reseruantur, atque in Extrau. Bened: XI. recitantur, c. inter cunctas.

CAPVT VIGESIMVM QVINTVM.

HOmicidium voluntarium, aut membrorum mutilatio, à quo tamen peccato, neque auctor delicti, neque qui præcepit, aut cõsensit, absolui potest, nisi præmissa satisfactione.

23. q. 8. c. si quis membrorum.

Crimen falsarij, seu falsi, quo non ij solùm obstringuntur, qui literas, aut scripta falsa supponunt, sed falsi etiam testes, qui à mendacio contra verum stant; aut ij, qui rogati veritatem celant; aut periuri, qui fidem, ac iusiurandum negligunt, & violant: aut qui ius ipsum iurando peruertunt.

De crim. fals. c. 1.

Crimen violatorum im̃unitatis Ecclesiasticæ, quod & sacrilegium appellatur, quo proximus, seu vir ille sit, seu mulier, loco sacro, vel in persona, vel in fortunis læditur; aut vi ab eodem, quò, vt tutus esset, confugerat, abstrahitur: aut cùm semen humanum voluntariè ibidẽ spargitur: aut extra, quando cum persona Deo consecrata quis fornicatur, idque tum præcipuè, cùm Monialis vitiatur; atque alia id genus quàmplurima ad sacrilegium spectantia: ita vt omne sacrilegium ex consuetudine casus sit Episcopalis.

17. q. 4. c. si quis suadẽte, & c. nullus Clericorum & c. miror. & c. reum.

Aruspicium, sortilegium, diuinatio, incantatio, & id genus alia; quæ qui admittunt, vt infames, nullum dicẽdo testimonio, accusandoq; locum habent, & ab Eccle-

26. q. 1. c. 1. 3. q. 5. c. constituimus.

ſia exterminantur, niſique reſipuerint, perpetuò ſunt excommunicandi. Quòd ſi in ſacris fuerint, dignitate, atque honore priuari debent. 26.q.5.c. quicunq.

Olim etiam peccatum violantium Eccleſiaſticam libertatem, perſonas, aut res Eccleſiæ aggrauando, caſus Epiſcopalis erat, ſed nunc per curiæ ſententiam huiuſmodi violatores ipſo facto ſunt excommunicati, abſolutione ſanctæ Sedi reſeruata, vt in caſibus Papalibus latiùs explicabitur.

Sunt alij caſus, non pauci illi quidem, ſed indeterminati, quorum quidam aliquos, alios alij ſibi reſeruant Epiſcopi, vt antè diximus.

CASVS INDETERMINATI, quos Epiſcopi ad arbitrium ſibi ſuum reſeruare ſolent, aliqui aliquos, alij alios, & quidam omnes

CAPVT VIGESIMVM SEXTVM.

Quæcunque blaſphemia in Deum, ac Diuos, Diuaſque.

Filiorum oppreſſio, & abortus, ac ſterilitatis in ſe, vel in alia perſona procuratio, atque vnumquodque homicidium.

Adulterium, inceſtus, ac peccatum contra naturam, & turpes cum beſtiis concubitus.

Stuprum per vim, vel fraudem virgini oblatum.

Fornicatio cum ſpirituali filia, à ſe priùs baptizata, aut è

aut è sacro fonte suscepta, aut ad confirmationem conducta, aut cuius confessionē audiuerit, ac cum quibussuis aliis à fide Christiana, ac religione alienis: veluti cum Iudæis, Saracenis, ac cæteris id genus hominibus.

Crimen mulieris, quo filius ex alieno viro susceptus, à marito suo (qui filium suum esse credit) hæres in aliorum præiudicium instituitur.

Qui matrimonio cum aliqua persona iungitur, post sponsalia cum altera facta, ac iureiurando confirmata, & stabilita.

Qui nuptias contrahit post simplex votum castitatis emissum.

Qui filium suum, aut filiam absque necessitate baptizat: aut in Baptismo, vel confirmatione tenet.

Parentum, hoc est, patris vel matris verberatio.

Qui mortem coniugi machinatur.

Vsura manifesta, ac rerum incertarum restitutio.

Presbyteri seculares, qui sine peculiari Superiorum suorum autoritate, à censuris, vel à casibus Episcopo reseruatis absoluunt; quorum item absolutio nulla est.

Matrimonium quoque clandestinum ante Concilium Tridentinum Episcopo plerumque reseruabatur: Sed nunc ab eadem sacra Synodo penitus est abrogatum: vt posteà ostendemus, cùm de matrimonii Sacramento tractabimus.

Hi, & similes alij casus plurimi Episcopis ad arbitrium reseruari possunt, qui à multis annis in Prouincia Salisburgensi à Prædecessoribus nostris, Archiepiscopis & Episcopis, atque à nobis semper reseruati fuêre: quamuis hac nostra ætate calamitosa in gratiam subditorum, vt conscientiis ipsorum consulatur, nonnulli etiam Parochis concessi sint, qui proximè subiiciuntur.

CASVS EPISCOPALES PArochis Prouinciæ Salisburgensis concessi.

CAPVT VIGESIMVM SEPTIMVM.

NE Parochiani pudore, ac verecundia, aut nimiis ſũptibus, vel longo itinere, ij præſertim, qui iuſtas ob cauſas in viam ſe dare non poſſunt, quales ſunt mulieres, ægroti, ſenes, atq; infirmi homines, moleſtentur, ſi ad impetrandam peccatorum ſuorũ abſolutionem, procul ad Epiſcopos mittantur; Nos Ioannes Iacobus, Archiepiſcopus Salisburgenſis, & Coëpiſcopi omnes permittimus, atq; cõcedimus Parochis noſtris omnibus ritè ordinatis, ac vocatis, poteſtatem parochianos ſuos abſoluẽdi ab omnibus ſupradictis, non cenſuris, aut irregularitate, ſed caſibus tantùm ex iure, vel conſuetudine vniuerſali, aut ſpeciali huius Eccleſiæ Metropolitanæ, & aliarum Cathedralium reſeruatis: ita tamen vt prædictam noſtram autoritatem ad eas perſonas ſine peculiari noſtra facultate non extendant, quæ ſacrilegium, incendium doloſum, vſuram manifeſtam, homicidium, adulteriũ, aliaq; crimina his grauiora, & atrociora, de quibus nos conſulendi erimus, admiſerunt: vel conſilium, auxilium, fauoremque dederunt: Sed ad nos, aut noſtros Officiales, ac Vicarios generales ad petendam abſolutionem tales homines dimittãt, niſi quo iuſto, ac legitimo impedimento detineantur: tunc enim Parochi per literas, aut (ſi rei magnitudo ita flagitabit) nos de re tota

ipſi

ipſi coràm docebunt, ac negotium tranſigendum curabunt. Quod (vt ſubditorum conſcientiis ſatisfaciant) etiam in iis caſibus ſeruabunt, in quibus aliqua exorietur difficultas, quam ipſi non tam facilè explicare poſ-
Matth. 15. & Luc. 6. ſint: ne, ſi cæcus cæcum duxerit, ambo in foueam cadãt. Monitos autem omnes volumus, vt confitentibus ſalutares pœnitentias iniungant, nec pecunias, aut alia munera ab eis ad priuata commoda, quæſtumq; domeſticum exigant: & in contrauenientes nos dignè animaduerſuros ſciant. Datum Salisburgi in publica Synodo ineunte menſe Septembri. 1 5 7 3.

ADMONITIO CIRCA *ſupradictos caſus.*

CAPVT VIGESIMVM OCTAVVM.

CVm ſuperiùs dixerimus, caſus alios eſſe ſimplices, & alios annexam etiam habere excõmunicationem, & horum quoſdam Papales, quoſdã verò Epiſcopales, ac de ſimplicibus iã tractauerimus, loc⁹ poſtulare videbatur, vt ſubiiceremus quoque caſus excommunicationum tam Papalium, quàm Epiſcopalium, præſertim cùm id à nobis promiſſum ſit ad Confeſſorum muneris perfectionem. Verùm quia animaduertebamus non Confeſſoribus modò, ſed Officialibus etiam noſtris, Vicariis generalibus, ac minoribus Prælatis plurimum emolumenti officiis ſuis bene exequendis nos allaturos, ſi non tantũ de excommunicatione, verùm etiam de aliis cenſuris,

& irregularitate paulò vberiùs ageremus, de his ipſis tractatum peculiarem fecimus, qui, cùm in iuſtum ferè volumen excreuerit, nihil tamen ſuperuacaneũ, ſed omnia neceſſaria, & huic tempori accommodata continens, conſultiùs viſum eſt, eum vniuerſæ Sacramentorum adminiſtrationi poſtponere, ne primariæ tractationis curſũ æquo longius interpellare exiſtimaremur. Itaque ad calcem huius operis erit adiunctus tractatus cenſurarum, videlicet, de excommunicatione, interdicto, ſuſpenſione, atque hæc concernentibus, id eſt, depoſitione, ac degradatione, & vltimò de irregularitate: Interea ſat fuerit hîc Confeſſoribus, ſciuiſſe in quibus caſibus eis permiſſum ſit, abſoluere pœnitentes, & in quibus non, niſi facultatem à Superioribus habuerint. Vt autem nouerint, quomodo pœnitentem abſoluere debeant, cùm erit opus, ſequentia libuit adiungere de abſolutione, inter quæ formulæ abſolutionum quoque traduntur.

DE ABSOLVTIONE A *peccatis, cenſuris, & irregularitate.*

CAPVT VIGESIMVM NONVM.

CVm de omnibus rebus, tam propriis, quàm communibus, ad pœnitentiæ naturam, ac vim declarandam, aperiendamq; pertinentibus (vna abſolutione excepta, cuius tamen formam cum explicatione alibi, dum de forma huius Sacramenti ageremus, breuiter commemorauimus) vberiùs,

beriùs,ac fuſiùs tractauerimus, hæc reliqua pars eſt, vt poſtremo loco de abſolutione ipſa latiùs,copioſiùſque diſſeramus. Erunt autem omnia ad rem, de qua agitur, perquàm accommodata, ſi pauca quædam priùs de abſolutione omnium cognitione digna in medium afferamus:tum deinde agamus de modo abſoluendi à peccatis,cenſuris, & irregularitate in caſibus à iure Parochis,aliiſque animarum curam gerentibus, aut multis præcipuè religioſis ex priuilegio permiſſis. Vbi diligenter aduertant oportet Parochi, religioſi, & alij quomodocunq; priuilegiati, ne in abſoluendis propriis ſubditis à cenſuris,& irregularitate metam excedant limiteſque transgrediantur, autoritatem nec à iure, nec ex priuilegio permiſſam vſurpando & abſoluēdo in caſibus ſibi non conceſſis; nam præterquàm,quòd abſolutio ipſa nulla erit, incurrent etiam excommunicationem Papalem,atque alias cenſuras. Quæ autem à Confeſſore ante abſolutionem conſideranda, & obſeruanda veniunt,ea ex proximè ſequentibus colligere eſt.

Cōfeſſarius neminem abſoluat, cuius confeſſionem non audiuerit.

Nullus Confeſſarius quemquam à peccatis abſoluere debet,cuius ipſe confeſſionem priùs non audierit; ſi ſecus fiat, abſolutio irrita erit ac vitioſa. [a] Quicunque autem maioris, vel minoris excommunicationis vinculo eſt aſtrictus,eo antè laxandus eſt, quàm à cæteris peccatis abſoluatur. Cuius rei illa ratio eſſe dicitur: nam,cùm excommunicatus Sacramentorum Eccleſiæ particeps non ſit, eum Sacerdos à culpa liberare non poteſt, niſi priùs ab excommunicatione abſoluatur. Hinc præclarè ait Doctor quidam, grauiter errare eos, qui à peccatis abſoluūt pœnitentes, quos poſteà ab excommunicatione liberari neceſſe ſit. Eſt enim hoc contra decreta iuris communis, in quo hæc verba ſcri-

Aquinas 4.d.19.q.1. ar.vltimo.

Idem 4 d. 18.q.2.ar.5. q.1.2m.

In verb. abſolutionis.

a Excōmunicatus non priùs eſt à peccatis abſoluendus, quàm ab excommunicatione fuerit abſolutus.

pta

pta reperiuntur; licet reputetur aliquis per ſigna pœnitentię abſolutus à Deo, quia tamen apud Eccleſiam abſolutus nondum eſt, communicandum eiꝫ non eſt in diuinis, ac multò minùs impẽdenda ſunt ei Sacramenta, à quibus principaliter excluſus eſt. Nec poteſt hoc excuſari per extrauagantem Concilij Cõſtantienſis: quoniam ibi dicitur, excommunicatos nulla in re ſubleuari ob dictam gratiam: non parum autem ſubleuarentur, ſi Sacramentorum ante abſolutionẽ participes eſſe poſſent; non ergo quis à peccatis antè abſolui poteſt, quàm cùm maiori, tum minori excommunicatione liberetur.

De ſen. excom. c. à nobis eſt ſæpè.

Videat diligenter Confeſſarius, an pœnitens in excommunicationem inciderit: & ſi dubitetur, abſoluat conditionaliter

Cùm verò Confeſſarius quemcunque pœnitentem ſuum ab omni excommunicatione non ſolùm minori, ſed etiam maiori, ſuperioribus non reſeruata, abſoluere intenderit, curandum illi eſt, vt priùs quærat, an pœnitens certò, aut ſub dubio excommunicationem huiuſcemodi aliquam incurrerit, vt nempe hominem vel ſimpliciter, vel ſub conditione ab illa abſoluat; quia verò is, in quem doli cadunt, fraudiſque calumniæ, pręſertim ſi ſemel tantùm ſua quotannis Sacerdoti fateatur peccata, facillimè excomunicationis huiuſmodi laqueis irretiri poteſt: inconſultè ac temerè factum non fuerit, ſi, vt cautioribus vtatur conſiliis, cũ adiunctione eum ab huiuſmodi priùs abſoluat excommunicatione, nullius quamuis ipſe meminerit, tum reliquorum, etiam peccatorum culpam remittat, ac condonet. Quòd ſi fuerit iuuenis ſyncerus, integerque, de quo nulla poſſit eſſe excommunicationis ſuſpicio, eum à peccatis tãtummodò abſoluat.

In abſolutione ma.

Illud præterea attendant Confeſſarij, ne, cùm pœnitentes abſoluunt, ſuper eos manus imponant, quaſi neceſſa-

cessarium esset ad hoc Sacramentum, vt quidam do- *nuum impositio super caput*
Opusc. 22. c. 4. cent: quos propterea D. Thomas temerarios vocat, at- *non est necessaria, sicut*
que inconsideratos. Nam quando Christus absoluendi *necessaria est in Sacramentis confirmationis,*
potestatem dedit, eaque Apostoli vsi sunt, nulla pror- *& ordinis.*
D. Thom. 3. p. q. 84. art. 4. c. sus manuum impositionis facta mentio est. Nec mirum id videri debet: quia manuum impositio in Sacramentis Ecclesiæ, ad significandos vberes diuinæ gratiæ fructus adhibetur: qua ij, quibus manus imponuntur, per quandam quasi similitudinem ministris continuantur, in quibus magna debet inesse gratiæ diuinæ copia. Proinde in Sacramento Confirmationis capiti manus imponitur, quòd illo amplissima Spiritus sancti dona hominibus conferantur, secundùm illud Actorum: Imponebant manus super illos (baptizatos scilicet) & accipiebant Spiritum sanctum. Item: Et cùm imposuisset illis (baptizatis videlicet) manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos, & loquebantur linguis, & prophetabant. Idem etiam in ordine fit, quo excellens quædam potestas in diuinis conceditur mysteriis. Secundùm illud Apostoli: Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuū præsbyteri. Item, admoneo te, vt resuscites gratiam Dei, quæ est in te, per impositionem manuum mearum. Item, manus citò nemini imposueris. Propterea Paulo ac Barnabæ, Spiritu sancto ita iubente, ac volente, manus impositæ fuerunt. Quod de pœnitentiæ Sacramento nullo pacto affirmandum est: quoniam Sacramentum hoc non ad consequendam aliquam diuinæ gratiæ excellentiam ac dignitatem, sed ad peccatorum duntaxat absolutionem impetrandam est institutum. Quare ad pœnitentiam nulla manuum impositio requiritur: vti ne-

(Margin: Actor 8. — Actor. 19. — 1. Tim. 4. — 2. Tim. 1. — 1. Tim. 5. — Actor 13.)

que in Baptiſmo eadem deſideratur, vbi copioſior tamen, atque vberior peccatorum eſt venia. Imponere quidem manus ægrotis Sacerdotes poſſunt, vt eos in priſtinam reſtituant valetudinem: ſecundùm illud Christi: Super ægrotos manus imponent, & bene habebunt; vt tunc dicemus, cùm de viſitandis ægrotis agemus. Ita Chriſtus de monte deſcendens lepra laborantes ſanauit: poſtquàm paulò antè cæcis duobus viſionem reddidit, ac per Sidonem proficiſcens ad Galileæ mare, ſurdo auditum, locutionem muto reſtituit. Ita multos alios etiam à multiplicibus morbis curauit. Pueris quoque manus imponere Sacerdotes poſſunt, vt eis benedicant, Chriſti exemplo ad imitandum ſibi propoſito, qui puerulis ad ſe deductis manus impoſuit. Conſuetudo enim hæc fuit apud veteres ac priſcos homines, vt pueri ante grandiores natu ſiſterentur, ac ſenes, qui illis manu, vel ore, bonum, fauſtumque precarentur omen: ex quorum more paruuli ad Chriſtum adducti fuêre. Si quis autem in abſoluendo pœnitente altè manum (vt nonnulli faciunt) extolleret, non quaſi hic geſtus ſit neceſſarius, ſed vt maior teneatur cum decoro grauitas: aut pœnitenti genu nixo, in abſolutione veterum more benediceret, id illi vitio vertendum non eſt, cùm non minori Sacerdotes noſtri maieſtate ſint, atque autoritate, quàm fuerint priſci illi homines.

Sacerdotes ægrotis manus imponere poſſunt, vt eis priſtina reſtituatur ſanitas.

Sacerdotes etiam pueris manus imponere poſſunt, vt eis benedicant.

Si Sacerdos in abſoluendo pœnitente manum extollat, maieſtatis, aut benedicendi gratia, non eſt reprehendendus.

Mar. 16.
Matth. 8.
Matth. 9.
Mar. 7.
Matth. 19.
Remigius ſuper c. 19. Matth.

DE MO-

DE MODO ABSOLVENDI pœnitentem à peccatis, maioris excommunicationis, Superioribus haud reſeruatæ, laqueo non irretitum.

CAPVT TRIGESIMVM.

QVANDO nullus ſupradictæ excommunicationis caſus impedimento eſt; præmiſſa ſemper poſt confeſſionem breui quadam, ac pia exhortatione, vt antea diximus, pœnitentiaque ſalutari imperata, hanc ſequentem abſolutionis formulam pronunciet:

Miſereatur tui omnipotens Deus, & dimiſſis omnibus peccatis tuis, perducat te ad vitam æternam. Amen. Indulgentiam, abſolutionem & remiſſionem omnium peccatorum tuorum, tribuat tibi omnipotens, & miſericors Dominus. Amen.

Precatio abſolutioni præmittenda, quæ licet neceſſaria nõ ſit, facit tamen, vt pœnitẽs habilior fiat ad gratiã huius Sacramenti conſequendã.

Deinde, ſi de excommunicatione nulli reſeruata dubitetur, fiat abſolutio hunc in modum:

SI teneris aliquo vinculo excommunicationis non reſeruatæ, Ego autoritate, qua fungor, abſoluo te, & reſtituo te ſanctis Sacramentis Eccleſiæ & communioni fidelium: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amẽ.

Forma abſoluendi cõditionaliter ab excommunicatione, Superioribus nõ reſeruata.

Vel ſi de huiuſcemodi excõmunicationẽ aliquid certi cõſtaret, ita fiat abſolutio:

Forma absoluendi ab excommunicatione non reseruata.

Ego autoritate, qua fungor, te absoluo à vinculo excommunicationis, quam incurristi propter N. vel N. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

Tandem à reliquis peccatis detur eiusmodi absolutio:

Forma absoluendi à peccatis.

Dominus noster Iesus Christus, filius Dei viui, per suam piissimã misericordiam te dignetur absoluere: Et ego autoritate ipsius, qua fungor, absoluo te ab omnibus peccatis tuis, quæ mihi modò confessus, vel confessa es, & ab omnibus aliis, quorum memoriam non habes, vt sis absolutus, vel absoluta hîc, & ante tribunal eiusdẽ Domini nostri Iesu Christi, habeasque vitam æternam, & viuas in secula seculorum. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

Passio Dñi nostri Iesu Christi, & merita B. Mariæ semper virginis, & omnium Sanctorum, & quicquid boni feceris, vel intendis facere, & mala, quæ sustines, ac sustinebis, sint tibi in remissionem peccatorum tuorum, in augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

DE MODO ABSOLVENDI pœnitentem ab excommunicatione maiori, in foro conscientiæ.

CAPVT TRIGESIMVM PRIMVM.

SI minor Prælatus, vel Parochus, aut alius quicũq; Sacerdos, à maiori excõmunicatione reseruata absoluendi autoritatem habuerit, & pœnitẽs secretò

cretò excommunicatus fuerit, eum in hunc modum in foro conſcientiæ tantùm abſoluet:

Ego autoritate, qua fungor, &c. abſoluo te à vinculo excommunicationis maioris, quam, vel quas incurriſti, propter N. vel N. vel (ſi de excommunicatione dubitaretur) ſi quam, vel quas incurriſti, & reſtituo te ſanctis Sacramentis Eccleſiæ, communioni & vnitati fidelium. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.

Forma abſoluendi ab excommunicatione maiori, in foro conſcientiæ reſeruata.

Deinde, ſi Sacerdos is confeſſionē pœnitētis audierit, à reliquis peccatis illū modo ſupraſcripto abſoluat.

DE MODO ABSOLVENDI pœnitentem ab excommunicatione maiori, in foro externo.

CAPVT TRIGESIMVM SECVNDVM.

SI pœnitens publicè excommunicatus extiterit, ita vt in foro non cōſcientiæ, ſed externo abſoluendus ſit, ac Parocho ſuo à iure conceſſum fuerit, vt ſibi ſubditos, vel Prælato à iure, aut ex priuilegiis Apoſtolicis pmiſſum, vt regulares ſuos à tali excommunicatione abſoluere poſſit: præmiſſis proximè ſubſcriptis articulis, quibuſdam extrinſecis, vtendum eſt cæremoniis, quę licet neceſſariç non ſint ad abſolutionem, nullo tamen modo prætermittēdæ ſunt, tùm ad temeritatis, vel cōtumaciæ deteſtationem: tùm ad documentum etiam, ac terrorem aliorum. Articuli verò ſunt, qui ſequuntur.

Tria ante absolutionē ab excōmunicatione in foro externo dandam à reo præstanda esse.

Primùm est à pœnitēte iusiurandum exigendum, aut sufficiens cautio petenda, quòd præceptis Ecclesię, ordinariiq; sui, vel absoluētis: pręcipuè, quod ad illā causam spectat, cuius est factus reus, obtēperaturus, imperataq; hac in re diligenter facturus sit, & nihil deinceps contra hunc Canonem admissurus: iis tamen casibus exceptis, qui in iure permittuntur.

De sent. ex com. c. 10. & 12. & 15.

De sen. excom. c. ex tenore.

Secundò, quòd paratus sit ac promptus, vt parti læsæ sufficiēter, vel prout facultates ferent, de p̄senti, seu quādo poterit, sub idonea cautione satisfaciat, præsertim cū petūtur expēsæ, aut damni redintegratio, quòd si neutrū horum p̄stare possit, det saltem iusiurandum, satisfacturum se, quamprimùm ampliores fortunę id cōcesserint.

De sent. excom. c. 7. & 9.

De solutionibus c. 3.

De verb. signif. c. 23.

Tertiò, se illos non offensurum ampliùs facta itidem cautione polliceatur. Quòd si dubia est offensa, sufficere credimus ad eandem relaxandam, si parēdi mandato Ecclesiæ cōpetens satisfactio præbeatur: Sin manifesta, sine euidenti damno tamen partis læsæ, vt non rarò euenit in his nostris partibus, cùm per ebrietatē percutiūtur Clerici: tunc petita venia à parte læsa, ac facta inter eos (si cōmodè fieri possit) reconciliatione, digna iniuncta pœnitentia, absolui potest. Si autem hæc excōmunicationis sententia pro contumacia tantùm fuerit prolata, congruè satis fiet, vt sententia relaxetur, si sufficientem priùs standi iuri cautionem tribuerit.

23. q. 8. c. pessimam.

De verb. signif. c. 23.

De verb. signif. c. 23.

Expeditis his articulis, absoluatur reus, adhibitis tamē solitis cęremoniis, ac precibus consuetis, iuxta sequentē formulā:

Extrinseca carcmoniæ, quæ absolutioni præ-

Parochus, aut quilibet alius, qui potestatem habens absoluit, Psalmum: Miserere mei DEVS, secundùm magnam, &c. vel breuitatis causa. De profundis clamaui ad te Do-

Ex D. Anton. Archi. Flo. 3. p. ti. 24. c. 77. §. 2.

te Domine, &c. cum Gloria Patri, &c. à primo capite vsque ad extremum recitet: pœnitentemque ante templi fores, vel alibi (vt commodiùs esse videbitur) genu nixum, vel humi iacētem, nudatis humeris, si vir fuerit (nisi personæ dignitas, aut quid aliud rationis firmæ robur habens obstet) ad quemlibet Psalmi versum virga, vel baculo leniter percutiat. *mittuntur, cum precibus solutis.*

Tum recitato Psalmo, proximè sequentem offerat precandi formulam:

Kyrie eleyson, Christe eleyson, Kyrie eleyson.
Pater noster &c. Aue Maria &c.
℣ Et ne nos inducas in tentationem,
℟ Sed libera nos à malo. Amen.
℣ Saluum fac famulum tuum N. Domine.
℟ Deus meus sperantem in te.
℣ Esto ei Domine turris fortitudinis
℟ A facie inimici.
℣ Nihil proficiat inimicus in eo,
℟ Et filius iniquitatis non noceat ei.
℣ Domine exaudi orationem meam,
℟ Et clamor meus ad te veniat.
℣ Dominus vobiscum,
℟ Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Deus, cui proprium est misereri semper, & parcere, suscipe deprecationem nostram, & hūc famulum tuum N. vel famulam tuam N. quem, vel quam sententia excommunicationis ligat, miseratio tuę pietatis absoluat, per Christum Dominum nostrum. Amen.

His

His ſubiungatur hæc conſueta abſolutionis forma:

Forma abſoluendi ab excommunicatione maiori in foro externo.

Dominus noſter Ieſus Chriſtus te abſoluat, & ego autoritate omnipotẽtis Dei, & beatorum Apoſtolorum, Petri & Pauli, & Eccleſiæ ſanctæ ſuæ, & mea, qua fungor, abſoluo te à vinculo excõmunicationis maioris, aut (ſi plures ſint) à vinculis excommunicationum: in quam, vel quas incurriſti, propter hanc, vel illam cauſam; (hic nominatim cauſas excommunicationis, aut excommunicationum explicet) & reſtituo te ſanctis Sacramentis Eccleſiæ, communioni, & vnitati fidelium; In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.

Annotationes in abſolutionẽ ab excommunicatione maiori in foro externo.

Cùm verò aliquis excommunicationem incurrit, cuius abſolutio nec à iure, nec ex priuilegio Parochis, vel religioſis, aut cuiquam minorũ Prælatorum ſit cõceſſa, ita vt ab Epiſcopo, vel alio à Sede Apoſtolica facultatem habente impetranda ſit, obſeruandæ erunt illæ formulæ, quæ in tractatu de cenſuris, & irregularitate ad finem excommunicationis notatæ ſunt.

Quotieſcunq; autem Parochis, ac reliquis Sacerdotibus à ſuis Superioribus poteſtatem habẽtibus mandatur, vt aliquem excommunicẽt, vel excommunicatum denuntient, aut abſoluãt ab excommunicatione, nouerint ſe, quemadmodum excommunicationem, à Superiore contra aliquem miſſam, abſq; literis authenticis denunciare non debent, ita nullo modo excommunicatum declaratum abſoluere, aut abſolutum per præconẽ pronunciare poſſe: niſi mandata, ac literas peculiares ab eo, cui hæc data ſit autoritas, habeant: nec vllius credãt verbis, aut ſcriptis, quæ certa eſſe neſciant, ac vera: primique tantùm exempli literas admittant.

DE ABSO-

DE ABSOLVTIONE ab interdicto.

CAPVT TRIGESIMVM TERTIVM.

QVi autoritatem à iure, vel ex priuilegio habent, vt (in quibusdam tamen solũ casibus) multi religiosi, pœnitentes absoluẽdi ab interdicto, hac sequenti formula vti poterunt.

Forma absoluendi ab interdicto. Ego autoritate, qua fungor, absoluo te, vel vos (si plures sint) à vinculo interdicti, in quod incurristi, aut incurristis propter N. vel N. vel si dubitatur, si quod incurristi, vel incurristis, in quantum mea se extendit facultas. In nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, Amen.

Annotatio in absolutionem ab interdicto. At verò animaduertat absoluens, ne quempiam in certo casu ab interdicto absoluat, vbi potestatem non habet, nisi sacrorum Canonum reus esse velit. In quibus autem casibus pœnitentem ab interdicto absoluere possit, in tractatu de censuris ad finem interdicti docebitur.

DEA BSOLVTIONE A suspensione.

CAPVT TRIGESIMVM QVARTVM.

HÆc suspensionis censura, de qua in præsentiarum sermo est, solos concernit Ecclesiasticos, & cùm diuersi in diuersis casibus etiam interdum incurrant, ipsorum nonnullis, maximè religiosis, in quibusdam ex priuilegio Sedis Apostolicæ concessum est, vt à suis Prælatis, præsertim in foro conscientiæ absolui possint, & tum sequenti vtendum est formula.

Formula absoluendi à suspensione in foro conscientia.

Ego absoluo te à vinculo suspensionis, quam incuristi propter talem causam N. & restituo te executioni ordinum, & officiorum tuorum: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

Ex D. Ant. Arch. Flo. 3.p. ti. 27. c.4.

Annotatio in absoluentes à suspensione.

Attendant autem priuilegiati, ne quem in casibus sibi non concessis suspensum, siue à iure, siue ab homine absoluere præsumant: & multò etiam magis hoc caueant quicunque alij, nisi se sacrorum Canonum vinculis constringi velint. Qui verò dicantur suspensi à iure, & qui ab homine, & qua ratione suspensio ipsa incurratur, à quibusque, & quo modo absolutio obtineatur, in sequenti tractatu de censuris, & irregularitate in verbo de suspensione dicetur.

DE AB-

DE ABSOLVTIONE IN communi à ſupradictis tribus cenſuris.

CAPVT TRIGESIMVM QVINTVM.

QVando aliquis Eccleſiaſticus ex priuilegiatis certò compertum non habet, ſe aliquam ſupradictarum cenſurarum incurriſſe, & nihilominus pro maiori ſatisfactione conſcientię ſuæ, & ad cautionem animæ cupit in communi à Superiore ſuo, aut Cõfeſſario ad hoc deputato, abſolui, tum eſt is ante peccatorum abſolutionem à ſupradictis tribus cenſuris conditionaliter abſoluendus in hunc modum:

Si teneris aliquo vinculo excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti, à quo ego poſſum te abſoluere, abſoluo te, & reſtituo ſanctis Sacramentis Eccleſiæ, cõmunioni, & vnitati fidelium: In nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lij, & Spiritus ✠ ſancti. Amen. *Forma conditionaliter abſoluendi à cenſuris in communi.*

DE DISPENSATIONE ſuper irregularitate.

CAPVT TRIGESIMVM SEXTVM.

QVoniam ex priuilegiis multorũ ſummorum Pontificum in gratiam vitæ ſpiritualis conceſſum eſt diuerſis, præſertim religioſorum ordinibus, vt in quibuſdam caſibus (minori-

bus tamen) per ſuos Superiores cum eis ſuper irregularitate, ſiue irregularitatibus diſpenſari poſſit, aliis in pluribus, & aliis in paucioribus; explicandus videtur modus ita diſpenſandi, in quibus enim caſibus id concedatur, ex cuiusque priuilegiis facilè liquet. Superiores itaque hanc habentes poteſtatem dupliciter cum ſubditis ſuis ſuper irregularitate diſpenſare valent, vno modo verbis, iuxta formulas abſolutionum à cenſuris: re altero, nullis adhibitis certis verbis, vt ſi talem irregularem ſuperior proprius Epiſcopo ad ordines ſuſcipiendos præſentet, intendens cum eo diſpenſare, iam de facto diſpenſat: quemadmodum etiam Epiſcopus ordinans ſibi ſubiectum, quem irregularitate conſtrictum ſciat, per hoc ipſum, cum eo diſpenſat: vt in tractatibus de cenſuris in fine irregularitatis dicetur. Verborum autem forma in Eccleſia vſitata diſpenſandi cum huiuſmodi irregularibus eſt proximè ſequens.

Ex D. Antoni. Arch. Flo. 3. p. ti. 28. c. 6. §. 8.

Formula diſpenſandi ſuper irregularitate.

Ego autoritate, qua fungor, diſpenſo tecum ſuper irregularitate, ſeu irregularitatibus, quam, vel quas, propter N. vel N. incurriſti, aut (quando dubitatur) ſi quam aut quas contraxiſti, in quantum ſe extendunt gratiæ, & priuilegia ordini, aut Collegio noſtro indulta mihi commiſſa, & tibi conceſſa, & habilito te vel ſuſceptioni, vel executioni ordinũ, & officiorum tuorum. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.

DE MO-

DE MODO ABSOLVENDI generaliter pœnitentes á censuris Ecclesiasticis, irregularitate ac peccatis omnibus ex indulto Apostolico.

CAPVT TRIGESIMVM SEPTIMVM.

QVando plenariæ indulgentiæ à Pontifice maximo conceduntur, certa etiam, ac peculiari in iis tradita absoluendi forma, ad eas consequendas, peccatorumque remissionem impetrandam, illa omnino verborum formula adhibenda est. Aliâs sat erit, si intentione eo modo circumscripta, quam verba concessi beneficj sonant, proximè sequens absolutio detur generalis, accomodata iuxta pœnitentis exigentiam, atque necessitatem, inspecta tamen diligenter priùs indulti Apostolici concessione: iuxta quam hæc absolutio accommodanda est.

Forma generaliter absoluendi à censuris, irregularitate, & peccatis.

Dominus noster Iesus Christus dignetur te absoluere: & ego autoritate eiusdem, ac sanctissimi Domini nostri Papæ. N. in quantum se extendit indultum Apostolicum, absoluo te ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti, atque (si ad irregularitatem se quoque extendit indultum Apostolicum) super omni irregularitate tecum dispenso, si quid horum quomodocunque contraxisti: & restituo te sanctis Sacramentis Ecclesiæ, communioni, & vnitati fidelium. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen.

Si certò cōstaret de aliqua censura, aut irregularitate, tunc eius expressa fiat mentio.

Eadem item autoritate absoluo te ab omnibus pec-

DE VENERABILI EVCHARISTIA

PROOEMIVM.

MAGNVM præ cæteris, ſi neceſſitatem intueamur, Baptiſmi Sacramentum eſt: ſin perfectionem, excellentiam, ac maieſtatem animo contemplemur, omnium maximum eſt Euchariſtiæ myſterium, quod tribus argumentis apertiſſimè cõprobari poteſt, quæ ordine quodam tum ex eo, quod continetur, tum ex fine, tum ex ritu potiſſimùm petita ſunt, ac deprompta. Nam, quod ad primum attinet, in reliquis Sacramentis vis quædam adiuuans tantùm ineſt, atque inſtrumentaria, quæ à Chriſto illis communicata eſt: at in hoc ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramẽto tota Chriſti natura, quam anguſtæ totius orbis terræ regiones capere nõ poſſunt, cũ diuina, tum humana inexplicabili includitur modo: cuius tã admirabilis rei cauſam, Euſebi⁹ Emiſſenus his verbis aſſignat: Quia corpus aſſumptũ ablaturus erat ab oculis, & illaturus ſyderibus, neceſſariũ erat, vt die cœnæ Sacramẽtum nobis corporis, & ſanguinis cõſecraret: vt coleretur iugiter ꝑ myſteriũ, quod ſemel offerebatur in preciũ: vt, quia quotidiana & indefeſſa currebat pro omniũ ſalute redemptio, ꝑpetua eſſet redẽptionis oblatio, & perennis victima illa viueret in memoria, ac p̃ſens ſẽper eſſet in gratia, vera, vnica, & ꝑfecta hoſtia, fide æſtimãda, non ſpecie; neq; exte-

Ex. D. Th. 3. q. 65. ar. 3. c.

De excellẽtia Euchariſtiæ.

De Conſ. d. 2. c. Quia aſſumpt.

exteriori censenda visu, sed interiori affectu: Hinc Oecumenicum etiam Concilium Tridentinum in hanc loquitur sententiam; Saluator noster, discessurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc instituit, in quo diuitias sui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium suorum: & in illius sumptione colere nos sui memoriam præcepit, suamque annunciare mortem, donec ipse ad iudicandum mundum veniat.

Sess. 13. c. 2. decr. de sanctiss. Euch. Sacram.

Cætera Sacramēta ad Eucharistiam ordinantur.

Quod ad fidem spectat, quis est adeò rerum omnium ignarus, qui nesciat cætera Sacramenta vnam, quasi nobilissimum munerum suorum scopum, spectare Eucharistiam, ad quam omnia (multis modis tamen) sint referenda? Quid enim ordo sibi vult aliud, quàm vt hostia corporis Christi, pro salute hominum immolanda Deo consecrari possit? quid Baptismus? noné huc dirigitur, vt sacram Synaxim excipere queamus? Huic certè rei fidem facit D. Augustinus, cùm ait; Nulli est aliquatenus ambigendum, tunc vnumquemque fidelium, corporis, sanguinisque Domini participem fieri, quando in baptismate membrum corporis Christi efficitur, nec alienari ab illius panis, calicisque consortio, etiamsi antequàm panem illum comedat, & calicem bibat, de hoc seculo in vnitate corporis Christi constitutus abscedat. An verò non credimus confirmationem ideo fuisse institutam, ne nobis cibum tam salutarem, perpetua quadam fuga, ipsi subduceremus? Pœnitentia autem, & extrema vnctio nos aptos reddunt, ac dignos, qui ad has conquisitissimas saturandi animi epulas accedamus. Age verò, nonné & matrimonium ex parte quadam, huius Sacramenti admirabiles refert effectus; quatenus Christi cum Ecclesia côiunctio-

In epistola ad Bonifacium & in 2m. primæ Petri, quod habetur etiam de con. d. 2. c. Quia passus est.

Ephes. 5. iunctionem significat, secundùm illud Apostoli; Sacramentum hoc magnum est: Ego autem dico in Christo, & in Ecclesia. Cuius vnitas hac ipsa Eucharistia perquàm apposité & eleganter significatur: quæ (vt præclarè D. ait Augustinus) est Sacramentum pietatis, signum vnitatis, charitatisque vinculum: quæque societatem corporis cum membris suis declarat, quod est Ecclesia, in prædestinatis, vocatis, iustificatis, & glorificatis Sanctis, ac fidelibus suis.

Tract. 26. in c. 6. Ioã.

Postremò ex ritu magnum item huic Sacramento robur accedit: nam cætera omnia (vt testis est Dionysius Areopagita) in ipsa consummantur Eucharistia.

c. 3 cœl. hierarchiæ.

Ex D. Aug. in c. 9. Ioã.

Vtrum autem verè, aut ad speciem tantùm, ac figuram, mysticum calicis Sacramentum consecretur, audi verba veritatis; Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Alioquin tam magnum istud beneficium non esset, nisi vera esset caro: at maximum est: quia inquit Christus; Panis, quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita. Quia verò Christum dentibus mandi fas non est, voluit DEVS hunc panem, & vinum in mysterio verè carnem, ac sanguinem suum Spiritus sancti consecratione per potentiam creari, & quotidie pro hominum vita, ac salute mysticè immolari: vt quemadmodum vera Christi caro ex Virgine per Spiritum sanctum, sine vlla vi seminis procreatur: ita eiusdem etiam opera, ex substantia panis ac vini idem corpus Christi mysticè consecretur. Hæc hostia, & est verum Christi corpus, dum panis vinumq; in eius carnem, ac sanguinem, Spiritus sancti virtute commutatur: & figuram in eo habet, quod sub sensum, aspectumque cadit. Fit autem diebus singulis sacrificium istud, licet Christus semel tãtùm atrocissimum crucis supplicium ꝑpessus sit nostri causa, qui

Ioan. 6.

Ioan 6.

d quo-

quotidie peccamus, iisque nos ipsi sceleribus contaminamus, sine quibus humana fragilitas consistere nescit. Quare omnes infidelitatis errores, quos rei nouitas, ac magnitudo nobis affert, firmissima adhibita fide depellamus: quoniam, qui autor est beneficij, veritatis etiam certissimus est testis. Nam Sacerdos is, qui oculorum nostrorum effugit aciem, res creatas aspectabiles in corpus, & sanguinem suum, verbo secretæ, ac reconditæ virtutis admirabiliter conuertit, inquiens; Accipite, & comedite, hoc est corpus meum. Et sanctificatione iterata: Accipite (ait) & bibite; hic est sanguis meus. Quemadmodum ergo ad nutum præcipientis Dei, solidi cœlorum globi, qui impulsu & motu ipsorum orbium, omnia ad vsum hominum necessaria, gignerent: terra suis librata ponderibus, in media mundi sede: ac vastissima maria cauernis sustentata, ex nihilo de repente extiterunt: ita in Sacramētis, si admirabilis diuinorum verborum causa materiam moueat, illicò vim, & effectum mente videmus. Quot itaque, ac quanta per vim diuinæ benedictionis, humano generi tribuantur beneficia: quomodoque illud fieri possit, vt in Christi corpus, ac sanguinem, res caducæ, fragiles, & interitui obnoxiæ conuertantur, tecum ipse cogita; qui iterum Christo per Baptismum es generatus. Nam cùm omnis vitę spiritualis expers esses, illoque careres spiritu communi, quem resp. Christiana ducit, indignus, qui diuinam clementiam captares, ac misericordiam: & à vera salutis via aberrares, ac mortuus iaceres: è uestigio sacris Christi legibus informatus, salutaribusque mysteriis ad vitam spiritualem excitatus, compaginibus corporis Ecclesiæ tàm bene constitutæ inclusus fuisti, ac filius Deo, exhæres cùm esses adoptatus. Eadem corporis statura cùm sis, maior es teipso; nulla

Ex Euseb. Emiss. q̃d etiam habetur de consd 2.c. Quia assumptus.

nulla ab extrinseco, facta longitudinis accessione: cumque eundem te perpetuò cernamus, per fidem lõgè alius ab eo, qui es, existis: figuræ externę nihil est additum: in motu interiori tota cernitur mutatio: ita Christi filius es institutus, Christusque in animo tuo formatus est. Proinde, vt neque oculis, neque auribus, neque vllo corporis sensu, sed cogitatione tantùm percipi potest: quomodo ex infimo, & sordidissimo homine, ad tantum dignitatis gradum perueneris, vt æternæ felicitatis, gloriosique sis triumphi socius, ac consors: quomodo DEVS flagitiorum tuorum maculas sanguine suo eluerit: quomodo ab infinitis propè morborum generibus animum tuum currârit: quomodo denique te totum inexpiabili scelere pollutum ipsa solis luce clariorem, ac splendidiorem reddiderit: ita cùm sacrosanctum Eucharistiæ conuiuium salutis causa inis, DEI tui corpus, ac sanguinem fidei oculis lætus atque alacer aspicito, colito, suspicito; quod digito demonstrari non potest, syncera mente, quasi manibus attrectato; quod nullis cancellis circumscribitur, corde supplici, ac submisso, intra interiores spiritualis domus tuæ parietes excipito; tandemq; hoc cibo, ac potione famem, sitimq; vitiorum omnium depellito. Sed ne rem per se præclaram, ac illustrem in lucem proferre velle videamur: ita breuiter concludamus, nullum hoc vno, aut genere ipso sanctius, aut nobilitate sublimius, aut dignitate præstantius, aut splendore augustius, aut vtilitate denique salubrius esse Sacramentum, & in quo magis Christiana fides exerceatur, quodque ab hostibus Orthodoxæ religionis, diuinique cultus, ac cæremoniarum omnium grauius, hac nostra tempestate oppugnetur.

QVID SIT EVCHARISTIA?

CAPVT PRIMVM.

Varia nomina Eucharistiæ.

SACRAMENTVM hoc ob præcellentem ipsius dignitatem excellentia quędā nomina consequutum est; Dici enim solet Eucharistia, hoc est, bona gratia, quia nimirum in hoc Sacramento, non tantùm communem illam gratiā iustificantem adipiscimur, sed ineffabili DEI in nos charitate, ipsum omnium gratiarum autorem accipimus. Solet etiam à nonnullis dici gratiarum actio, quia in ipsius institutione, vt est apud sanctū Lucam, Christus Dominus gratiarum actione vsus est; Accepto (inquit) pane, gratias egit, &c. Meritò etiam gratiarum actio dici potest, quia ad gratiarum actionem, grati animi significationem, & ad Redemptoris nostri commemorationem, hoc Sacramento vtendum nobis est. Vocatur præterea Synaxis, hoc est, cōmunio, quia nimirum hoc Sacramento Christum omnes participamus. Atq; ex eo, quod ægris, & iam morituris conferri solet, vt panis istius robore cōfirmati, transitum hunc fortiùs sustineant, & ad optatam patriā faciliùs perueniāt, viatici nomen obtinuit. Vt deniq; sacrificij cruenti, in cruce oblati, commemoratio quędam est, rei verò sacræ Deoq; dicatæ quędā immutatio, sacrificium meritò appellari solet. Sed vt varias huius Sacramenti descriptiones à variis traditas omittamus, vnam tantùm ex sacro Concilio Tridentino desumptā proponere in animo est, ex cuius expositione, quidnā sit Eucharistia, satis patebit: Eucharistię itaq; Sacramentum est verum, reale, substantiale atque integrum Christi corpus, cum

Luc. 22.

Definitio Eucharistiæ cum explicatione.

Ex Conc. Trid. sess. 13. decr. de sanctiss. Euch. Sacramento.

cum sanguine, anima & diuinitate sub vnaquaq; contentum specie panis & vini consecrati, quo fideles viuunt, aluntur, & ad vitam æternam perueniunt.

Cùm in hoc Sacramento quatuor reperiantur, species nimirum rerum sensibilium, corpus & sanguis CHRISTI, consecratio & sumptio, dubitant scholastici Doctores, quidnam horũ præcipuè sit Sacramentum. Quod enim ad species attinet, illas quidẽ Sacramentum nõ esse quidam existimant, quia nõ ipsæ, sed potiùs CHRISTI corpus sanctificat; est enim Sacramẽtorum nouę legis, gratiam, quam significant, etiam efficere. De corpore verò & sanguine CHRISTI, cùm ipsa sensibus non obiiciantur (Sacramenta enim rebus sensibilibus cõstant) nonnulli putant Sacramenti rationem illis conuenire non posse. De consecratione & sumptione minor quibusdam videtur difficultas; hoc enim Sacramentum, inquiunt, in eo à cæteris differt, quòd nõ in actione quadam transeunte & successiua, sed in re potiùs permanente consistat. Consecratio verò & sumptio actiones quędam sunt mox trãseuntes; Deinde communi apud omnes phrasi dici solet Sacramentũ in Ecclesia conseruari, transacta iam cõsecratione, nec adhuc peracta sumptione. Aliud proinde est, inquiunt, Sacramentum, quàm consecratio aut sumptio.

Species, corpus Christi, consecratio, & sumptio, suo modo ad Sacramenti Eucharistiæ essentiam pertinent.

Verùm negari omnino non potest, quin omnia, quę iã dicta sunt, suo modo ad Sacramẽti essentiam pertineãt. Nam vt in Baptismo, aliisq; Sacramẽtis, species & materiæ naturalia accidentia, quæ necessaria sunt ad substantiam conseruandam, ab essentia excludi non possunt (non enim aliunde quàm ab accidentibus habetur ratio sensibilis) ita & in hoc Sacramento de speciebus panis & vini sentiendum est; quæ proinde ad Sacramenti effectum suo modo concurrunt, quatenus sine ipsis rei con-

Quomodo species pertinet ad essentiam Sacramenti.

tentæ ſubſtantia, nec tractari, nec eo exiſtendi modo cō-ſeruari ſoleat.

Quomodo corpus Chriſti pertinet ad eſſentiā Sacramēti.

De corpore autem CHRISTI ſatis eſt ad rationem Sacramēti, quòd, vt ſpeciebus rerum ſenſibilium continetur, ſenſibus percipiatur. Nam & in Sacramento pœnitētiæ contritio & internus animi dolor, etſi ipſe non videtur, vt tamen cōfeſſione exprimitur, ad eſſentiam Sacramenti pertinet. Sic & in cæteris omnibus Sacramentis, ſubſtantia enim materiæ cuiuſlibet, vt in Sacramēto Baptiſmi aquæ, ſe ipſa non eſt ſenſibus obuia, ſed per ſpecies & accidentia naturalia. In propoſito autem ſola inhærentia excepta, eodem omninò modo ſe habet corpus CHRISTI ad ſpecies panis.

Quomodo conſecratio pertinet ad eſſentiam Sacramēti.

Porrò cùm conſecratio ſit actus formæ huius Sacramenti, negari non poteſt, quin ad eſſentiam pertineat. Materia enim & forma cuiuſcunque ad eſſentiam omninò ſpectant. Atque ad huius Sacramenti eſſentiam attinent panis, & cōſecratio, vt ad eſſentiam Baptiſmi, aqua & verba. Eſt tamen nonnulla differentia. Nam (vt dictum eſt) alia Sacramenta in actione tranſeunte conſiſtunt, hoc verò in re permanente. In hoc igitur Sacramento (vt loquuntur Philoſophi) conſiderandum eſt eſſe, & fieri, ſicut in rebus naturalibus permanentibus. Contingit autem alia eſſe rerum principia in fieri, alia verò in facto eſſe. In fieri quidem tria dicunt naturalium eſſe principia; materiam videlicet, formam, & priuationem; In facto verò eſſe duo tantummodò, materiam nimirum, & formam. Simile omnino in hoc Sacramento contingit; nam panis & conſecratio ad eſſentiam pertinent in fieri, in facto verò ſpecies & corpus CHRISTI.

Sumptio deniq; ab eſſentia non poteſt omnino excludi. Nam, vt ſupradictum eſt, Sacramentum eſt ſignum rei ſacrę, quatenus illa ſanctificat. Sine ſumptione verò Sacramentum hoc non ſolet iuſtificare; neq; ergo excluſa ſumptione Sacramentum erit. Cæterùm vbi de rerum eſſentiis ſubtiliùs diſputare ſolent Philoſophi, alias quidem abſolutas, alias verò relatiuas in conſiderationem vocant. Illarum quidem eſſentiam rebus componentibus abſolui dicunt, materia nimirum & forma; Iſtarum verò correlatiuis & terminis quibuſdam, quos reſpiciunt. Cùm igitur Sacramentum Euchariſtiæ ſit ante ſumptionem, non poteſt ſumptio, vt ipſum conſtituens ad ipſius eſſentiam pertinere; Cùm tamen Sacramenti rationem non habeat, niſi quatenus rem ſacram vt iuſtificantem ſignificat, hoc verò excluſa ſumptione non contingat, neceſſe eſt, vt eſſentiali quadam ratione Sacramenti ad ſumptionem referatur. Ex his tandem patet, qua ratione Euchariſtiæ Sacramentum dicatur corpus & ſanguis CHRISTI, vt nempe ſpeciebus panis & vini repræſentantur, earumque conſecratione fiunt, atque ad ſumptionem ordinantur, quæ omnia in prædicta deſcriptione inſinuauimus. Diximus enim ſpecie panis & vini conſecrati contentum, quo fideles viuunt, & non aliter ſanè quàm ipſum Sacramentum deuotè ſumēdo.

Quomodo ſumptio pertinet ad eſſentiā Sacramenti.

Eſt itaque Sacramentum corpus CHRISTI verum, hoc eſt, iam non ſignificatione tantùm & figura, ſed ipſa veritate. Id quod contra Zvvinglianos dictum eſt, qui verba CHRISTI, quibus hoc Sacramentum inſtituit, ad ſenſum figuratum trahere conantur. Additur, Reale, vt intelligatur non efficacitate tantùm adeſſe (id quod Caluinus, & illo non minùs perfidus Anna quidam Burgenſis commentati ſunt) ſed reipſa. His accedit ſubſtantiale

Euchariſtia verum corp⁹ Chriſti.

tiale,ad insinuandum ipsam CHRISTI Domini substantiam,& nō aliam species illas panis occupare. De quibus omnibus in Opusculo quodam nostro iam pridē edito, quod assertionē fidei Catholicæ aduersus Annam Burgensem inscripsimus, articulo 17. & sequentibus fusiùs. Addidimus quoq;, integrū, vt intelligatur, corp⁹ Christi in hoc Sacramento diuisionem non pati, sed quacunq; specierum diuisione facta, æquè integrum manere, siquidem ad modum substantiæ indiuisibiliter in Sacramento existat. Sicut anima rationalis in corpore, atque hæc omnia de sanguine quoque intelligenda sunt.

Corp⁹ Christi, anima et diuinitas vnà cū sanguine sub altera qualibet specie continentur.

Verùm illud quoque animaduertendum est, non ad vnam tātùm speciem alligatum esse corpus, aut sanguinem. Nam etsi sub specie panis, ex vi verborum & consecrationis sit tantùm corpus, & sub specie vini tantùm sanguis, tamen cùm corpus sine sanguine non existat, nec sine corpore sanguis, concomitanter (vt loquuntur) & veluti ex vi sequelæ, & sub specie panis est sanguis, & sub specie vini, corpus: sub vtraque verò & anima & diuinitas, quæ à corpore separatæ non existunt. Propterea in descriptione habetur, cum sanguine, anima, & diuinitate, sub vnaquaque specie panis & vini. Sunt denique tres Sacramenti huius effectus singulares, eo enim non secus quàm robustissimo alimento vita nostra spiritualis conseruatur; vires tentationum fomitisque pondere, veluti inedia quadam extenuatæ, reparantur: & denique in transitu ab hac vita mortali, veluti viatico quodam ad optatam patriam perducimur: proinde in prędicta descriptione habetur, quo fideles viuunt, aluntur, & ad vitam æternam perueniunt.

Tres singulares effectus Eucharistiæ.

TESTI-

TESTIMONIA EX QVAtuor Euangelistis, Pauloq́ Apostolo deprompta, ad probandam Eucharistiam.

CAPVT SECVNDVM.

Ioan. 6. EGO SVM panis vitæ. Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis de cœlo descendens, vt, si quis ex ipso manducauerit, non moriatur. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum; & panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.

Amen amen dico vobis, nisi manducaueritis carnē filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.

Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.

Caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus, qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in illo.

Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem; & qui manducat me, & ipse viuet propter me.

Non sicut manducauerunt Patres vestri manna & mortui sunt; qui manducat hunc panem, viuet in æternum.

Matth. 26. Cœnantibus autem eis (hoc est, duodecim Apostolis) accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: Accipite, & comedite, hoc est

corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis dicẽs; Bibite ex hoc omnes: Hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

Et manducantibus illis (duodecim scilicet Apostolis) accepit Iesus panem, & benedicens fregit, & dedit eis, & ait illis: Sumite, hoc est corpus meum. Et accepto calice, gratias agens, dedit eis, & biberunt ex illo omnes: & ait illis. Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur. Mat. 14.

Et cùm facta esset hora, discubuit, & duodecim Apostoli cum eo, & ait illis; Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum, antequàm patiar. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei: Et accepto calice, gratias egit, & dixit: Accipite, & diuidite inter vos. Dico enim vobis, quod nõ bibã de generatione vitis, donec regnũ Dei veniat. Et accepto pane, gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens. Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, postquàm cœnauit, dicens: Hic est calix, nouum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur. Luc. 22.

Ego enim accepi a Domino, quod & tradidi vobis: quoniam Dominus noster Iesus Christus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit; Accipite, & manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, postquàm cœnauit, dicens; Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine: hoc facite, quotiescunque biberitis, in meam commemorationem. 1. Cor. 11.

Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & cali- 1. Cor. 11.

calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat. Itaque quicunque manducauerit panem hunc, & biberit calicē Domini indignè, reus erit corporis, & sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo: & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indignè: iudicium sibi manducat, & bibit, non diiudicans corpus Domini.

1.Cor.10. Calix benedictionis, cui benedicimus, nonné cōmunicatio sanguinis Christi est? Et panis, quem frangimus, nonné participatio corporis Domini est? Quoniam vnus panis, & vnum corpus multi sumus, omnes, qui de vno pane, & de vno calice participamus.

DE MATERIA, FORMA, ministro, & effectu Eucharistiæ.

CAPVT TERTIVM.

De Conf. d. 2. c. 1. c. 3. 4. & 5.

Materia Sacramenti Eucharistiæ.

SANCTISSIMÆ Eucharistiæ materia est panis ex tritico, aqua naturali admixta, confectus; & vinum ex gemma vitis modica aqua temperatum. Nam cùm Eucharistia ad similitudinem cibi, potusque hominis corporalis esse debeat esca, ac potio hominis spiritualis, vt suprà dictū est, conuenienter, & apposité, quemadmodum cibus ac potus hominis corporalis communiter est panis triticeus, ac vinum vitis: ita quoque cibus, ac potus hominis spiritualis sub his speciebꝰ panis triticei, ac vini vitis exhiberi debuit. Propterea Melchisedech, cuius oblatio

Ex D. Th. 3. q. 74. ar. 6. c.

potissima huius Sacramenti figura fuit, panem ac vinū

 obtulit,

obtulit, & Christus ipse summus Sacerdos ab illo figuratus, iuxta illud Prophetæ: Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech; se grano frumenti, ac viti comparauit, & in vltima cœnà sub iisdem speciebus hoc sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum instituit. Nec mirum: quia (vt bene ait D. Thomas) ad Sacramentorum vsum ea accipitur materia, quæ apud homines in tali vsu communis sit. Inter omnia verò ciborum genera primas partes tenet panis, qui præ cæteris cibis magis in vsu est, ac plerumq; hominibus magis etiam gratus, vt qui non ita facilè satietatem, ac sui fastidiũ pariat. Inter panes ipsos autem apud homines communior est vsus triticei, quàm alterius generis, imò alij panes ad supplendum huius defectum introducti videtur. Idcirco Christus in huius panis specie hoc Sacramentũ instituisse creditur, qui panis, cùm magis confortet hominem, quàm alij, conuenientiùs effectum huius Sacramenti significat, & exprimit. Quare propria materia huius Sacramẽti sub specie cibi est panis triticeus. Similiter sub specie potus vinum vitis, quia hoc magis, quàm quiduis aliud potabile, effectui huius Sacramenti conuenit, qui est lætitia spiritualis, cùm scriptum sit, vinum lætificare cor hominis: & licet alij liquores vini quoque nomine appellentur secundùm quandam similitudinẽ, quam habent, cũ vino vitis, propriè tamen vinum dicitur, quod à vite sumptum, & expressum est. Quòd verò Christus ipse sub specie vini vitis hoc Sacramentum instituerit, Euangelistæ testimonium perhibẽt, cùm aiunt; Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens: bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Dico autem vobis, nõ bibam

Ps. 109.
Ioan. 15.
3. q. 74. ar. 3.
Matth. 26. & Mar. 14.

bam amodò de hoc genimine vitis, vsque in diem illum, cùm illud bibam vobiscum nouum in regno Patris mei. Propterea cauendū est Sacerdotibus, ne ad conficiendū hoc Sacramentū alio vtātur vino, quàm vitis. Nec est quod obiiciatur, in quibusdā regionibus vites non esse, cùm vinum facilè ad quascunque regiones deuehi possit. Ex quibus omnibus colligitur, rectissimè sub materia panis tritici, ac vini vitis, hoc sanctissimum Sacramentum esse institutum, & conficiendum.

Ex D. Th. 3 q. 74. ar. 3. primum.

Licet autem ad materiam huius Sacramenti requiratur panis triticeus, nihilominus, si quæ alia frumenta ex granis tritici in reproba terra seminatis nascantur, vt aliquando contingit de siligine, quæ in huiusmodi malis terris ex grano tritici producitur, possunt etiam esse materia huius Sacramenti, aliâs non.

Ex D. Tho. 3. q. 74. ar. 3. secundū.

Annotationes in eandem materiam Eucharistiæ.

Item cùm vix reperiri possit farina triticea pura, quæ alterius frumenti admixtionem non habeat, nisi fortè grana diligenter seligantur, quod perdifficile est; etiam huiusmodi farina, dumodò speciem triticeę non amiserit, pro materia hui⁹ Sacramēti accipi potest. Nam modica permixtio nō soluit speciem; quia id, quod est modicum, quodamodò assumitur à plurimo. Idcirco, si sit modica admixtio alterius frumenti ad multò maiorem quantitatem tritici, poterit exinde confici panis, qui est huius Sacramēti materia. Quòd si sit magna permixtio, vt æqualium partium, vel quasi æqualium, tunc speciem mutat, & panis exinde confectus non erit debita materia huius Sacramenti.

Ex D. Th. 3. q. 74. ar. 3. tertium.

Similiter, quamuis sit merus panis triticeus, sed tamē ita corruptus, vt soluatur species panis, cùm continuitas tollitur, ac sapor, color, & alia accidentia mutantur, non potest sumi ad hoc Sacramentum conficiendum;

Ex D. Th. 3. q. 74. ar. 3. quartū.

Quòd si non insit tanta corruptio, vt speciem dissoluat, sed aliqua tantùm dispositio ad corruptionem, declarata ex immutatione saporis, tunc huiusmodi panis potest quidem adhiberi pro materia huius Sacramenti, sed grauiter peccat conficiens propter irreuerentiam Sacramenti. Præterea cùm amidum sit ex tritico corrupto, non videtur ex pane inde confecto corpus Christi, tanquàm ex debita materia ritè fieri posse: quãuis aliqui contrarium sentiant.

Item, quia ad verum panem conficiendum non solùm requiritur farina triticea, sed aqua etiam, quę farinę admisceatur, ad constituendam substantiam panis. Hęc aqua esse non debet rosacea, aut quomodocunque artificialis, vel alius liquor, sed vera, ac naturalis aqua, alioquin ex tali pane (vt plerisque videtur) non posset confici hoc Sacramentum, quia non esset verus panis. Ex D. Th. 3. q. 74. ar. 7. tertium.

Propterea hoc loco aduertendum est: quanquam materia huius Sacramenti panis ex tritico esse debet, non tamen necessariò requiri, vt azimus sit, aut fermẽtatus, cùm vtriusque possit esse generis. Proinde varias, ex eo Ecclesiarum introductas esse consuetudines accepimus: quas quisque tamen suæ debet Ecclesiæ ritu retinere: vt sacrosanctum Concilium Florentinum sub Eugenio 4.^to Pont. Max. habitum, vno omnium, tam Græcorum quàm Latinorum, consensu docuit; Item in azimo, siue fermentato, pane triticeo, corpus Christi veraciter confici, Sacerdotesque in altero ipsum Domini corpus conficere debere, vnumquemque scilicet iuxta suę Ecclesiæ, siue occidentalis, siue orientalis consuetudinem. Latina enim Ecclesia, hoc est, Romana, azimos panes libat; Græca verò fermentatos. Quòd si Circa finẽ vltimæ sess.

quis

quis tam temerarius esset, vt secus facere auderet: veluti si Sacerdos Latinus in Ecclesia Romana panem consecraret fermentatum; aut azimum, Græcus in orientali: non leuiter, sed grauissimè peccaret, quòd Ecclesiæ suæ ritum peruertisset: neque enim sine firmis rationibus mos cuiusque Ecclesiæ institutus est, quibus adducta vniuersa, ac communis Mater Ecclesia, vtrumq; panis genus approbauit, atque commendauit. Orientis enim Ecclesiæ fermentatum panem libant: eò quòd (vt D. ait Gregorius) verbum patris indutum est carne; sicut fermentum miscetur farinæ. Adde id factum esse etiam ad improbandam, ac detestandam Nazaræorum hæresim: qui Euangelio priscas Mosaicæ legis cæremonias permiscebãt: fidem Christi ad salutem sine legis operibus non esse satis asserentes. Occidentalis autem Ecclesia azimos panes consecrat: tùm quia Christus (vt est apud Matth. 26: Mar. 14. ac Luc. 22.) prima die azimorum, qua nihil fermentati Iudæis domi esse oportuit, hoc instituit Sacramentum: tum quia sine vlla admixtione seminis, humanam Seruator noster indutus est naturam: tum quia panis azimus corpus Christi magis refert sine omni corruptione conceptum quàm panis fermentatus: tum etiam postremò, quia id est conueniens ac cõsonum Christianorum synceritati, quæ ad hoc Sacramentum excipiendum ab Apostolo Paulo his verbis magnoperè desideratur. Pascha nostrum immolatus est Christus: itaque epulemur in azimis synceritatis, & veritatis.

[Margin: In Registro. — Ratio consecrandi in azimo. — Exo. 12. — Ex D. Grego. loco vrs. — 1. Cor. 5.]

Cæterùm, sicuti ex pane totaliter corrupto non potest hoc Sacramentum confici, ita neque ex aceto, quia acetum est vinum corruptum: potest confici tamen ex vino

[Margin: Ex D. Th. 3. q. 74. ar. 5. secundũ.]

vino aceſcente, vt etiam ex pane, qui eſt in via ad corruptionem, licet conficiens peccet, vt dictum eſt.

Similiter neque ex ſucco vuæ, nondum maturatæ, hoc Sacramentum confici poteſt, quia vini ſpeciem nõdum habet, ſed tantùm eſt in via generationis; ex muſto autem ſic, quia muſtum iam habet ſpeciem vini. Aduertat Sacerdos tamen, ne integræ vuæ huic Sacramẽto admiſceãtur, quia eſſet iam ibi aliquid præter vinum. Prohibetur etiam, ne muſtum expreſſum de vua, ſtatim in calice offeratur, quia non decet propter muſti impuritatem, in neceſſitate tamen id fieri, imò tunc etiam poteſt botrus in calicem premi.

Ex D. Th. 3. q. 74. ar. 5. tertium.

De Conſ. d. 2. c. cùm omne crimen.

Præterea attendendum eſt, quod licet verum, ac perfectum vinũ vitis aſſumendum ſit ad hoc tantum Sacramentum conficiendum, non tamen merum ac purum vinum, ſed modica aqua permixtum in calice Domini libari, & conſecrari debet: tum quòd Chriſtum Dominũ ita feciſſe creditur, tum etiam quia è latere eius aqua ſimul cum ſanguine exierit, quod Sacramentum hac mixtione recolitur:[a] & cùm aquę in Apocalypſi beati Ioannis populi dicantur, ipſius populi fidelis cum capite Chriſto vnio repræſentatur. Hinc Iulius Papa, poſt B. Silueſtrum ſecundus, ait;[b] Calix Dominicus iuxta Canonum præceptum, vino, & aqua permixtus debet offerri: quia videmus in aqua populum intelligi, in vino verò oſtendi ſanguinem Chriſti. Ergo cùm in calice vinum, & aqua miſcetur, Chriſto populus adunatur, & fidelium plebs ei, in quem credit, copulatur & iungitur. Aqua autem tam modica eſſe debet, præſertim ſi vinum leue ſit, vt in vinum conuerti poſſit: nam ſi tantum aquæ admiſceatur, vt eam vinum ſine aliqua natu-

In Sacramẽto Euchariſtia vino modica aqua admiſcenda.

Ex Conc. Trid. Seſſ. 22. c. 7. doctrin. de ſacrif. Miſſæ. Idem & ex Conc. Flo. in verb. tertium eſt.

a Apoc. 17.
b De Conſ. d. 2. c. Cùm omne crimẽ & Con. Flo. in verb. Tertium eſt.

Ex D. Th. 3. q. 74. ar. 8.

naturę ſuæ iactura ferre nequeat, nullum erit Sacramentum.

Ex D. Tho. 3. q. 74. ar. 7. tertium.

Poſtremò, cùm admixtio aquæ vino non ſit de neceſſitate Sacramenti, nihil refert, quantum ad Sacramenti neceſſitatem, quæcunque miſceatur, ſiue naturalis, ſiue artificialis, vt roſacea. Quantumuis ad conuenientiam Sacramenti peccet, qui aliam aquam vino admiſcet, quàm naturalem, ac veram: quia de latere Chriſti in cruce pendentis, aqua vera profluxit, non humor Phlegmaticus, vt quidam falsò dixerunt; vt oſtenderetur, quòd corpus Chriſti erat verè compoſitum ex quatuor elementis, veluti per ſanguinem fluentem oſtendebatur eſſe compoſitum ex quatuor humoribus, vt Innocentius Papa III. ait in vna decretali Ferrarienſi Epiſcopo ſcripta.

Cur aqua & ſanguis fluxerint ex latere Chriſti.

De celeb. Miſſarum, &c. c. 8.

Forma, ſeu verborum complexio, quæ in huius Sacramenti conſecratione, in Chriſti perſona enunciatur, hæc eſt:

Forma Sacramenti Euchariſtiæ.

Hoc eſt corpus meum.

Conſecratio panis.

Hic eſt enim calix ſanguinis mei, noui & æterni Teſtamenti, myſterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.

Conſecratio vini.

De cons. d. 2. c. Peruenit.

Miniſter huius Sacramenti alius ab eo eſſe nõ poteſt, quàm qui ſacerdotij ſacris eſt ritè ac Catholicè initiatus, ſi veram tamen, ac debitam conſecrandi voluntatem habeat: licet Diaconus, cùm neceſſitas cogit, Euchariſtiam à Sacerdote conſecratam, Præsbyteri iuſſu: vel ſi res eius imperium expectari non ſinat, etiam iniuſſu, aliis diſtribuere quidem, non tamen libare poſſit.

Miniſter Sacramenti Euchariſtiæ.

d. 93. c. Diaconi, & c. Præſente.

Ex Conc. Floren. in verb. Tertium eſt.

Effectus ſacroſanctæ Euchariſtiæ in eius anima productus, qui pro dignitate, quantum poteſt, his epulis accumbit, arctiſſima eſt cum capite Chriſto coniunctio:

Effectus Sacramenti Euchariſtiæ.

ſocietas cum Sanctis, ac fidelibus omnibus: bonorum Chriſti communio: acceſſio omnis gratiæ: firmiſſimum aduerſus omnes hoſtium noſtrorum inſidias, ac tentationes præſidium: incrementum denique charitatis, ac vitæ æternæ pignus certiſſimum. Quocirca præclarè dixit Auguſtinus: Hoc Sacramentum pietatis eſt, ſignum vnitatis, vinculum charitatis. Qui vult viuere, accedat, & credat, & incorporet hunc cibum & potum. Nam quod materialis cibus & potus, quoad vitam agunt corporalem, ſuſtentando, augendo, reparando, & delectando: Sacramentum hoc quoad vitam operatur ſpiritualem, in quo (vt inquit Vrbanus Papa) gratam Saluatoris noſtri recenſemus memoriam, à malo retrahimur, confortamur in bono, & ad virtutũ & gratiarum proficimus incrementum. Tridentinum quoque Concilium hac de re ita loquitur; Sumi autem voluit Saluator noſter Sacramentum hoc, tanquàm ſpiritualem animarum cibum, quo alantur, & confortentur viuentes vita illius, qui dixit: Qui manducat me, & ipſe viuet propter me; & tanquam antidotum, quo liberemur culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus, præſeruemur. Pignus præterea id eſſe voluit futuræ noſtræ gloriæ & perpetuæ felicitatis, adeoq; Symbolum vnius illius corporis, cuius ipſe caput exiſtit, cuique nos, tanquàm membra arctiſſima, fidei, ſpei & charitatis connexione aſtrictos eſſe voluit, vt idipſum omnes diceremus, Nec eſſent in nobis ſchiſmata.

Tract. 26. in c. 6 Ioã.

Ex Conc. Florent. in verb. Tertium eſt.

Seſſ. 13. c. 2. decret. de ſanctiſſ. Eucharistiæ Sacramẽto.

QVID

QVID, ET QVÆ SIT sacrosanctæ Eucharistiæ consecratio.

CAPVT QVARTVM.

CVM HVIVS sanctissimi Sacramenti materia longè aliter, admirabiliusq́; , concepta verborum forma, consecretur, quàm reliquæ aliorum Sacramentorum materiæ suis perficiantur formis: optimè nos esse facturos putauimus, si huius Sacramenti consecrationem, ac materiæ, formæq́ue cum cæteris discrimina, paucis verbis perscriberemus: vt omnia Parochorum nostrorum mentibus infixa, ad commodiorem cùm sui, tùm subditorum sibi hominum institutionem, ac doctrinam, insideant penitus, atque inhæreant. Materia huius Sacramenti bipartitã ab aliis dissimilitudinem habet. Primùm, quòd hoc Sacramentum absolutè in materiæ perficitur consecratione, alia verò vim suam in vsu duntaxat materiæ consecratæ obtinent. Deinde, quia in aliis Sacramentis consecratio materiæ in sola benedictione consistit, ex qua vim quandam spiritualem materia consecrata sortitur; quæ virtus per ministrum, qui instrumentum est animatum, ad res inanimas penetrâre potest. In hoc autem admirabili Eucharistiæ Sacramento, cõsecratio materiæ, in quodam prodigio simili posita est naturæ totius conuersione, hoc est, (vt præclarè ait D. Ambrosius) panis, & vini, in corpus, ac sanguinem CHRISTI, quæ à solo DEO, IESV CHRISTO Domino nostro perfici potest; ita vt minister

Ex D. Tho. 3. q. 78. ar. 1. c.

Differentia Sacramẽti Eucharistiæ à cæteris.

In lib. de Catech. rud.

D. Tho. loco vtſ.

nister in hoc Sacramento perficiendo nihil aliud agat, quàm vt cum intentione cõsecrandi verba CHRISTI proferat. Nam CHRISTVS ipse per os Sacerdotis Sacramentum hoc consecrat. Neque enim cruenta, & incruenta hostia, duę hostiæ sunt; sed vna tãtùm; cuius sacrificium, postquàm Dominus ita præcepit: Hoc facite in meam cõmemorationem, in Eucharistia quotidie instauratur. Vnus autem atque idem Sacerdos est CHRISTVS Dominus. Nam ministri, qui sacrificium faciunt, non suam, sed CHRISTI personam gerunt, cùm eius corpus ac sanguinem consecrant & capiunt; quod verba consecrationis apertissimè testantur. Neque enim ait Sacerdos: Hoc est corpus CHRISTI; sed, hoc est corpus meum. Quare & Cõcilium Florentinum, sub Eugenio IIII. Pontifice habitum, inquit: Sacerdos enim, in persona CHRISTI loquens, hoc conficit Sacramentum.

D.Tho.loco.vt sup. Ex Catechis. Rom. p.285. De Sacrã. Euch. in verb. Tertium est.

Quoniam verò quæuis forma rei formandæ cõuenire debet, materiamq; huius Sacramenti ab aliis dupliciter differre ostendimus; hinc fit, vt forma quoque à cæteris bifariam discrepet.

Aliorum enim Sacramẽtorum formæ vsum materiæ secum afferunt, vt ipsum baptizandi, aut cõfirmandi, aut absoluendi, aut ordinandi actum; at forma huius solam materiæ consecrationẽ apportat, quæ in ipsa panis & vini, in CHRISTI corpus ac sanguinem, transubstantiatione sita est. Hocq; cùm dicitur; Hoc est corpus meũ. Hic est enim calix sanguinis mei, &c. Quod & sacrosancta Synodus Tridẽtina, ratione in medium adducta, his verbis approbat: Commune hoc quidem est sanctissimæ Eucharistiæ, cum cæteris Sacramentis, Symbolum esse rei sacræ, & inuisibilis gratiæ formam visibilem; verùm illud in ea excellens & singulare reperitur, quo reliqua Sacramẽta

Sess. 13. c.3. decret. de sanctiss. Euchar. Sacram.

tunc

tunc primùm sanctificandi vim habẽt, cùm quis illis vtitur; at in Eucharistia ipse sanctitatis auctor ante vsum est, nondum enim Eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperant, cùm verè tamen ipse affirmaret corpus suũ esse, quod præbebat: & semper hæc fides in Ecclesia DEI fuit, statim post consecrationem, verum Domini nostri corpus, verumq; eius sanguinem, sub panis & vini specie, vnà cum ipsius anima & diuinitate existere.

Idem ferè habetur ex Cõc Flor. loco vt sup.

Præterea formæ aliorum Sacramentorum in ministri persona diuerso (vt patet) modo proferuntur; at hæc in Christi effertur pſona, non secus, ac si Christus ipse loqueretur: vt inde perspicuum sit, in Sacramenti huius consecratione, Sacerdotem Christi tantùm esse instrumentum. Quod cùm D. Ambrosius paulò diligentiùs attenderet, hanc præclaram posteris mandauit sententiam: Quomodo potest, qui panis est, corpus esse Christi? consecratione. Cõsecratio autem quibus verbis, & cuius sermonibus? Domini IESV. Vbi enim sacrificium cõficitur, iam nõ suis sermonibus Sacerdos, sed vtitur sermonibus Christi. Ergo sermone Christi hoc conficitur Sacramentum. Quis sermo Christi? Hic, quo facta sunt omnia: Iussit Dominus, & facta sunt, cœlum & terra, & mare. Vides ergo quomodo operatorius sit sermo Christi. Si ergo tanta vis est in sermone Domini IESV, vt inciperet esse, quod nõ erat; quanto magis operatorius est, vt sint, quæ erant, & in aliud commutentur? Et sic, quod erat panis ante consecrationem, iam corpus Christi est post consecrationem; quia sermo Christi creaturam mutat, & sic ex pane fit corpus Christi, & vinum cum aqua, in calice mixtum, fit sanguis consecratione verbi cœlestis.

Lib. 4. de Sacram. c. 4.

QVÆNAM SERVANDA SINT in consecratione augustissimi huius Sacramenti.

CAPVT QVINTVM.

Non legitimè ab Episcopo in Sacerdotē ordinatus cōsecrare non potest.

NEMO, præter eum, qui amplissimā sacerdotij dignitatem à legitimo Episcopo sit adeptus, hoc sanctissimum Sacramentum consecrare audeat. Quòd si quis, qui ad sacerdotij gradū nondū ascenderit, Eucharistiæ sacrificiū facere non dubitârit, præter grauissimū sacrilegij peccatū, quod patrat, & idolatriā ab astātibus eius culpa admissam; si Clericus sit, licet Diaconus, pœnis afficietur Canonicis; sin laicus, in carcerem mittetur, ex ordinarij arbitrio puniendus.

a Nemo cōsecret, nisi sacris vestib⁹ indutus, & in loco sacro.

b Quis apparatus altaris ad cōsecrationem necessarius.

c Nullus Sacerdos cōsecret sanguinē Christi, nisi in calice consecrato.

Calices ex qua esse debeant materia.

[a] Nullus item Sacerdos, nisi vestibus iis, quas Ecclesia Catholica ad sacra conficienda instituit (quæ propterea neq; contingi à prophanis hominibus, neq; in aliū haberi vsum debent) indutus, alio in loco rē diuinā faciat, quàm sacro, aut, cùm res ita postulârit, ab Ordinario pscripto, seu approbato; [b] vbi altare portatile cū sacris linteis, tum lineo corporali consecrato velatū, ac contectum semp adsit necesse est. [c] Cōsecratis quoq; ab Episcopo calice ac patena ex auro, aut argento, vel, si id rei domesticæ tenuitas non pateretur, ex stanno saltem vtendum est. Nam ex ære, aut aurichalco ne sint cautum est; quòd vino situm contrahant, ac stomachi pariant fastidium. Lignū item, ac vitrum à tanto mysterio exclusa sunt.

De conf. d. 1. c. vest. De conf. d. 1. c. Sicut non alij. De conf. d. 1. c. Clericos. Et ex sess. 22. Concil. Trid. decr. de obs. & euit. in celeb. Miss. De conf. d. 1. c. Cōsulto. & c. Vasa & c. Vt calix. d. c. vt calix.

Sine ritu ab Ecclesia cōstituto, quē Missam vocam⁹, nemo consecret.

Cauere præterea Sacerdos debet, ne, cùm rem diuinā facit, alia vtatur formula, pter eam, qua sancta, ac Catholica mater nostra hacten⁹ vsa est, & adhuc vtitur Ecclesia; quæ vulgò Missa appellatur. Hāc, eaq; omnia, quæ in illa

com-

comprehenduntur,contenta voce(duobus exceptis Canonibus,precationibusq́; cęteris,quas legi oportet ſummiſſiùs)Latinè dicat;Canones cùm maiorē,tùm minorē ne omittat;verba cōſecrationis ne variet; memoriā tàm mortuorū,quàm viuentium,ante ac poſt conſecrationē habeat;corpusq́; Chriſti,ac precioſiſſimum ſanguinem à ſe iam conſecratum poſt Agnus Dei,capiat,exhauriatq́;; Quod toties illi, quoties hanc ſanctā Euchariſtiam conſecrauerit,ſub anathemate præſtādum eſt.Nam dominici ſine dubio Sacramenti reus eſt is,qui ſacra facit,ſi ex libato nihil edere voluerit ſacrificio.Cùm verò inter cęremonias nulla ſit, quę aliquid nō habeat myſteriorum,ab iis omnino ne trāſuerſum quidē vnguem diſcedendū eſt.

Quæ in Miſſa ſeruanda.

De conſ. d. 7. c. Relatū eſt.

In geſtibus autem,& aduerſis,auerſisq́; membrorum motibus, ac flexionibus,atq; in explanata vocū impreſſione,ac pronūciatione,dignitate vocis & corporis ad vitandam leuitatem,grauitati ſeruiendū eſt, ſeruandumq́; eſt vbiq; decorum. Imago ēm̄ mentis vultus eſt; iactationes corporis,indices animi;in quibus diligēter ac curioſè nimis iudicare homines ſolent. Hinc illa ſunt Tridentini Concilij verba : Cumq́; natura hominum ea ſit,vt nō facilè queat ſine adminiculis exterioribus ad rerū diuinarū meditationē ſuſtolli; propterea pia mater Eccleſia ritus quoſdam,vt ſcilicet quædā ſummiſſa voce,alia verò clatiore,in Miſſa pronunciarētur,inſtituit. Cæremonias itē adhibuit,vt myſticas benedictiones,lumina,thymiamata,veſtes,aliaq́; id genus multa, ex Apoſtolica diſciplina & traditione,quo & maieſtas tanti ſacrificij commendaretur,& mentes fideliū per hæc viſibilia religionis, & pietatis ſigna ad rerum altiſſimarum, quæ in hoc ſacrificio latent,contemplationem excitarentur. Qui hæc aūt neglexerit,vt diuinarum,Eccleſiaſticarumq́; cæremoniarū euer-

In geſtibus celebrantis decori habenda eſt ratio.

Sess. 22 c. 5. doctr. de ſacrif. Miſſæ.

Cæremoniarum neceſſitas.

Pœna omittētiū ſtatutas cæremonias.

euerfor, acerrimè punietur. Hinc facrũ Concilium Tridẽtinum ait: Poftremò, ne fuperftitioni locus aliquis detur, edicto, & pœnis propofitis caueant, ne Sacerdotes aliis, quàm debitis horis celebrent, neué ritus alios, aut alias cæremonias, & preces in Miffarum celebratione adhibeant, præter eas, quæ ab Ecclefia probatæ, ac frequenti, & laudabili vfu receptæ fuerint.

Seff. 22 decre. de obf. & euit. in celeb. Miff.

Illum errorem quoq; corrigendũ putauimus, qui tam latè longeq; diffufus multas iã Ecclefias occupauit. Nam cùm in fanctiffimo fupremæ Miffæ facrificio Apoftolorũ Symbolum, pro Chriftianorũ inftitutione, ac difciplina, cantandum eft; dimidia parte vix decurfa, quod reliquũ eft, prætermittitur, aut organis totum numerosè, ac modulatè pfallendum relinquitur. Interdũ etiam præfatio ad verè dignum & iuftum eft vfq; dũtaxat canitur; quam dum Sacerdos inclinata, atq; attenuata perfequitur voce, Cantores Sanctus, &c. proximè intonant. Adde, quòd confecratione ægrè perfecta, Agnus Dei Chorus cõcinit; quo tempore precationẽ Dominicam Sacerdos cũ præfatiuncula fecũ ipfe legit, ita vt vtrobiq;, quid facrificans dicat, percipere aftantes non poffint; quæ praua confuetudo è Chriftianorũ facris explodenda eft penitus, ac deteftanda. Quapropter, vt hoc deuitetur incommodum, omnibus Ecclefiarum noftrarũ Præfectis, atq; Adminiftratoribus prçcipimus, pœnarumq; in nõ obedientes arbitratu noftro ftatuendarum denũciatione imperamus, ne pofthac fidei Symbolũ, ac Præfationẽ confecrationis vlla ratione interrumpi, ac diftrahi; aut precationẽ Dominicã à fidelibus non intelligi auditu; vel horũ quicquã organis, aliisué modulatè fonãtibus inftrumẽtis exprimi patiãtur; fed curent vt omnia figillatim fecũdùm veterẽ, ac nunquam fatis laudatam Ecclefiæ Catholicç confuetudi-

Abufus dimidiandi Symbolum tollendus.

Solennis cãtus præfationis ad finem vfque extendendus; idemq; cum oratione Dominica feruandum.

tudinem,à principio ad extremum vsq; canãtur; nisi quæ causa grauior cantoribus obstiterit; quia tunc licebit Sacerdoti ad eam legẽ, quæ paulò pòst ex antiquo Ecclesiæ more dabitur, cœptam rem diuinam sine cantu, ac symphonia pficere. Hinc illa est Cõcilij Basiliẽsis animaduersio; Abusum aliquarum Ecclesiarum, in quibus Credo in vnum Deum, quod est Symbolũ & cõfessio fidei nostræ, non cõpletè vsq; ad finẽ cãtatur, aut Præfatio, seu oratio Dominica omittitur, vel in Ecclesiis cantilenæ seculares voce admiscẽtur, abolentes statuimus, vt, qui in his trãsgressor inuentus fuerit, à suo Superiore debitè castigetur.

Can 22.

Sunt aũt Sacerdotes nõ pauci, illi quidem, qui more & instituto Maiorum in sacrificio Missę diligentissimi sunt; vnum si excipias, quod cùm prauã potiùs cõsuetudinem clamitare, quàm olere malitiam videatur, eos beneuolè monitos voluimus, vt istud quoq; vitium è medio tollatur. Nam cùm sacra conficiunt, ita perlegunt omnia, vt nullum inter Epistolã, Euãgelium, Canonem, verba cõsecrationis, ac cætera omnia discrimẽ faciant. Horũ duo sunt genera. Vnum eorũ, qui tam grãdi ac plena voce, sine delectu, singula pronunciãt, vt arcana mysteria quoq; ab astantibus inaudiri possint. Alterũ eos maximo cõplectitur numero, quorũ contra tam exilis est vbiq;, ac languẽs verborũ enunciatio, vt ne Euangeliũ quidẽ, aut aliæ Missę partes clariùs efferendę percipiantur, quos Concilium Basiliense meritò reprehẽdit, inquiens: Abusum aliquarum Ecclesiarũ, in quibus Missa per secretas orationes ita submissa voce dicitur, q̃ à circumstantibus audiri nõ potest; abolẽtes statuimus, vt, qui in hoc transgressor inuẽtus fuerit, à suo Supiore debitè castigetur. Quamobrẽ & nos amicè eos monemus, siq; null⁹ apud eos admonitioni relinquitur loc⁹, autoritate nostra imperamus, vt Canonem,

Can. 22.

nonem, verba consecrationis pſertim, quæ propriè hoc nomine appellãtur, secretã ab Offertorio ad Præfationẽ vsq;, precationem dñicæ proximã, donec ad consequens, Per omnia secula seculorũ venerint, precemq; eam, quæ post Agnus Dei, ad cõmunionem vsq; ptinet remissa; cætera clatiori voce efferãt. Quòd si quis mẽte tã temeraria sit, atq; audaci, vt nihil horum curaturus, sanctam Ecclesiæ Catholicæ consuetudinem damnet, tanquàm anathema grauissimè puniendus est. Si quis dixerit (inquit sacrum Concilium Tridentinũ) Ecclesiæ Romanæ ritum, quo summissa voce pars Canonis, & verba cõsecrationis proferuntur, damnandum esse, anathema sit.

Quæ clatiori voce, quæ verò remissiori efferẽda.

Sess. 22. Canon 9. de sacrificio Missæ.

Aduertere item Sacerdos debet, ne superstitiosa sacra faciat; qualia essent, aduersus furta, cãtiones, & alia quæcũq; huiusmodi in homines, aut belluas sparsa veneficia; vel pro fortuna, diuitiis, aliisq; id genus rebus, quę omnia à templis nostris exclusa esse volumus.

Cauenda in sacris faciẽdis superstitio, veluti aduersus furta, &c.

Certum etiam & definitum Missarum quarundam, ac candelarum numerum, qui ex anili superstitione potiùs, quàm vera religione, ac cultu depromptus est, iubemus, omnes vt Sacerdotes cùm religiosi, tùm seculares ab Ecclesia nostra Catholica omnino remoueant. Vt aũt cuidam ætatis nostræ incommodo occurramus atq; obstemus, quod in tam malã iam venit consuetudinẽ, vt plurimi Sacerdotes reperiantur, qui cõtra Canones, sanctũq; Ecclesiæ Catholicæ morẽ, nullo assistente ministro, hoc sacrosanctum, admirabileq; sacrificium facere audeant; omnibus & singulis Ecclesiæ nostræ Metropolitanæ Sacerdotib⁹, diuina animaduersione denũciata, aliisq; pœnis ab Ordinario ad arbitriũ constituendis, mãdamus; ne quis deinceps sacrificare audeat, nisi vnus saltẽ ad altare assistat, qui nomine Ecclesię rem diuinã faciẽti ministret.

Vitãda etiã in Missa superstitio numeri cãdelarum, &c.

Ex Concil. Trid. sess. 22 decr. de obs. & euit. in celebr. Missæ.

Sine ministrãte nemo sacrum faciat.

Quo-

Quoniam verò maximi huius Sacramenti, primiq; Christianę sapientię mysterij dignitas, ac maiestas flagitat, singulari vt sanctitatis, ac religionis studio cõsecretur, capiaturq;; Idcirco à sacris Canonibus ꝓhibetur, ne quis in tam splendido, atq; admirabili versetur conuiuio, qui excõmunicatus, seu alia quacunq; cẽsura aspersus, vel nõ ieiunus sit, aut preces saltẽ matutinas non recitârit. Quòd si criminis alicuius mortalis cõscium se quis nouerit, abstinendum quoq; est; nisi hæc sacrificij missio exemplũ perniciosum ꝑditura, aut quasdã alias periculosas habitura suspiciones putaretur, nulla uè illi adeundi Cõfessarij opportunitas esset; tum enim, vt sacrũ Concil. Trid. docet, cõtritione saltem præmissa sacrificium offerre licet, pòst verò, quamprimùm fieri potest, confessio facienda est.

De conf. d. 1. c. Sacramentum.

Censura innodatus ne celebret.

Celebraturus esse debet ieiunus, & recitasse matutinas.

Ex Concil. Trid. sess. 13. c. 7. decre. de Sacram. Euchar.

Illud Sacerdoti animaduertendũ etiã est, ne sub specie panis tãtùm, aut vini; sed sub vtraq; Christi corpus & sanguinẽ consecret, ac conficiat; quamuis eñ speciẽ sub alterutra, si qđ ibi cõtinetur, spectemus, perfectissimũ foret Sacramentum; sacrificium tñ à Christo ad sempiternam mortis suæ atrocissimæ memoriã institutũ, haud integrũ esset; ꝗ dũ crudelissimo illo supplicij genere afficeretur, sanguis à corpore toto separatꝰ fuerit ac disiũctus. Cuius rei gratia Sacerdotẽ solum nomine omniũ, assistentium ꝓcipuè, dum sacrũ facit, sub vtraq; specie corpus Christi, ac sanguinẽ à se consecratũ, seorsum hoc ab illo esse oportet, ac bibere; Cęteris verò circũstantibus, huiusq; tam salutaris cibi participes vt fiant, petentibus, ex Ecclesię Catholicæ more ac concessu, non sacrificij, sed Sacramenti ratione distribuere debet, ad cõfirmandos animos ipsorũ erigẽdosq;. Nam solus Sacerdos hoc munificẽtissimo ab Ecclesia est honestatus decreto, vt sacrificiũ tam solenne pro salute populi Christiani factitaret. aliis aũt, sacerdotij dignitate etiam præditis, nisi ipsi rem diuinã facerent,

Integritas sacrificij requirit vtriusq; speciei consecrationem.

Qui sacrum facit, sumere debet Sacramentũ sub vtraq; ratione sacrificij.

Sacerdos nõ celebrans vna specie sit contentus.

permissum est, vt illud in sacrum facientis persona duntaxat participarẽt, vtq; Sacramentum è manibus Sacerdotis caperent, cùm Christi corpus comesse volunt.

Quia Sacerdotes quosdam (quibus nihil minus est curę quàm quomodo rem diuinã faciant; cùm tamen, vt pro dignitate curata perpetuã affert beatitudinẽ, ita indignè atq; impiè factitata, æterni apud inferos supplicij causa sit) contra oẽs leges, noctu, aliquos bis interdiu hæc sacra facere accepimus; tantũ scelus diuinis execrationibus detestãtes, quibus deuincietur, secus si fecerint; Presbyteris singulis prohibemus, ne quis sæpius quàm semel interdiu ante meridiem sacrificiũ faciat. Pomeridianum eñ tempus, aut nocturnũ omnino vetamus; p̃terquàm in anniuersariis natalis Christi diebus, q̃bus Missas tres celebrare cuiq; licet Sacerdoti; vnã nocte, primo diluculo alterã, tertiam, aut omnes, vel duas etiã, vt maluerit, tempore certo ac statuto. Quòd si pręceptum hoc neglectum fuerit, Ordinarius voluntaria, acri tamen, ac seuera in sontes vtatur animaduersione. Neq; eñ parui momenti res est, si sacra obire quotidie semel quis possit; satisque felix ac beatus ille nobis videri solet, qui pro dignitate semel tẽpore statuto rẽ diuinã fecerit. At verò, cùm in hoc sacrificio obeundo singularis desideretur officij religio, summumq; reuerentię ac sanctitatis studium; ob id decet, vt Sacerdotes inter faciẽdum cautiores sint, ne tãtum corporis Dñici mysteriũ vlla macula afficiant. Quòd si quis error casu in tanta re concurrerit, quoad eius fieri potest, corrigatur, tollaturq; è medio penitus. Quod vt facilius præstent, volumus, ac iubemus, vt Sacerdotes illas studiosè addiscãt, calleãtq; cantiones, quas variis p̃iculis adhibere possint; ne dum quo se vertãt nesciũt, & Deum errore offendant, & astantibus noceant exemplo, & ipsi, præter crimen admissum, omnium etiã ora erubescant.

Semel tantùm in die ab eodẽ celebrandũ, & ante meridiem.

De consec. d. 1. c. Sufficit.

Indicimus prætereà, ne Sacerdotum liberi parētibus, aut liberis parentes Sacerdotes ad aram ministrent; semestri vtrisq; dignitatis abrogatione denunciata, si qua in re hoc decretum violârint.

Filij illegitimi nō ministrent altari parēte sacrificāte, nec parētes filiis.

Sess. 25. c. 75. decre. de reform.

Prohibemus quoque, secundùm Tridentini Concilij scita ac iussa, quibuscunq; Clericorum filiis, qui non ex legitimo nati sunt matrimonio, ne iis in templis, vbi eorum patres beneficium aliquod Ecclesiasticum habent, aut habuerunt, quoquo modo seruiant.

Illegitimi filij Clericorū in Ecclesiis, vbi parētes vel habent, vel habuerunt beneficium, nullo modo ad quodcunq; beneficium admittantur.

Ex Epistola Gel. Pa. Episcopis per Luc. Brut. & Sicil. Cōstit. scripta. c. 28.

a Mulier altari nō ministret.

^a Volumus item priscas religionis nostræ cōstitutiones sequuti, vt ad altare nulla, quæcunq; illa sit, accedat mulier, sacrum facienti ministratura, quinimò si hoc tentârit, cum dedecore reiiciatur. Illud etiam Parochis nostris, Sacerdotibusq; cæteris in mentē venire debet, turpe ac fœdum esse, quòd nullus ferè reperiatur, quem nō extructæ mensæ magis, quàm Dñi altaria solicito animo, & anxio habeāt. Ad corpus enim satiandum nihil in mensa esse volūt, qđ cuiusquam oculos offendere possit; lintea mundissima, elegantissima vasa, scyphos ornatissimos, omnia deniq; cultus, ac splendoris plena nitere vbiq; videas. At verò in delubris, in quibus mens diuinis epulis saturatur, (eò ꝑuecta est hominū stultitia) sordida omnia & inquinata cernes, nulla linteis, calici nulla, nulla patenæ, sacris deniq; vestibus nulla ꝑrsus adhibetur mūditia, vt crebrò ij, qui sacra faciūt, magnā inde nauseæ molestiā suscipiāt. Quare, vt tātum dedecus, turpitudinemq; tantam à sacris aris arceamus, omnibus quarūcunq; Ecclesiarum nostrarū Rectoribus, ac Sacellorū curatorib. pœnis in eos, qui deliquerint, ad Ordinarij arbitriū, statuendis, præcipimus; vt sacra vasa, lintea, vestes, ac cætera omnia, quibus inter sacrificandum vti solemus, munda, ac nitida quò sint, diligentem dent operam. Quod vt facilius fiat, sordidata crebriùs eluenda curent; caueant tamen

Ad sacrificium Missæ spectantia omnia sint munda.

Vasa & lintea sacra à laicis non contingenda.

men ne corporalia, calices, patenas, ac linteola, quibus calices terguntur, à laicis purgari patiantur; sed id per se ipsi, aut per alios sacris initiatos præstent.

Agè verò, quàm deforme illud, ac flagitiosũ esse dices, ꝙ Sacerdotes quàm plurimi sanè, qui tẽpla administrant, cùm ventri, ac gutturi seruiendũ est, eò animum totũ referant, vt recentissimos panes, ac vina habeãt suauissima: at in mensam Dñi, cùm res postulat, tanta cura incumbunt ac cogitatione, vt ad consecrandum Christi corpus, ac sanguinẽ, panem veterrimũ apponant, vinumq; peracerbum gustui, aut qđ vetustate coacescat, aut alia sit ratione vitiosissimum. quo fit vt sæpè sacra facienti stomachus moueatur. Quamobrem hisce incõmodis ꝓuidere cupiẽtes, omnibus Parochis, templorumq; nostrorũ Administratoribus, præcepto sanctæ obediẽtiæ interposito, ac pœna volũtaria ab Ordinariis imponenda, ꝑcipimus, vt vinum perfectum ad consecrandũ adhibeant, panesq; (qui vulgò oblatæ, vel hostiæ appellãtur) ne diuturniori tempore, quàm hyeme quidẽ dimidij mensis, æstate verò hebdomadæ in sacrario asseruentur, æditui imperent, loco quorũ recentes nouos semper reponi iubeant. Quæ si quis neglexerit, acerrimè puniatur, priueturq; officio.

Vino perfecto & pane non mucido in sacris vtendum.

Curare item Parochi debẽt, eorumq; Cooperatores, ac Vicarij, ne vagi, & ignoti Sacerdotes Missas in templis suis celebrent, nisi legitimum attulerint, ostenderintque testimonium. Neminem præterea, qui publicè & notoriè criminosus sit, aut sancto altari ministrare, aut sacris interesse ꝑmittant. [a] Omnino etiam ꝓhibemus, cuiusuis generis mercedũ conditiones, pacta, & quicquid pro Missis nouis celebrãdis datur; nec non importunas, atq; illiberales eleemosynarum exactiones, potiùs quàm postulationes, aliaq; huiusmodi, quæ à simoniaca labe, vel certè à turpi quæstu non longè absunt.

Vagi Sacerdotes ad sacrificãdum non admittendi absq; legitimis testimoniis.

Munuscula, quæ mali speciem habent, in primitiis repudianda.

Ex sess. 22. Cõc. Trid. decret. de obs. & euit. in celebr. Miss. Et c. 2 Cõcil. Calced. Et d. 17. c. Extraneo.

a Ex Cõcil. Trid. loco vlt.

Cùm

1. Cor. 11. Cùm D. Paulus Apostolus duriùs eos reprehendat, qui ad cœnam Dñicam venientes sibi indulgēt, atq; ebrij fiunt; optimo iure & nos prauā illam consuetudinē damnare possumus, qua ij abutūtur, qui recenti sunt honestati sacerdotio; vt eo die, quo prima sacra faciunt, splēdida conuiuia publicè instituant, histriones ac circulatores ad exhibenda spectacula, risumq́; mouendum aduocent, ac fidicine accersito, cantuq́; & cymbalis personāte domo, saltatorium orbem hilares versent, ac læti; vt nihil inter prophanos ac sacros homines, atq; inter res diuinas, humanasq́; interesse putes, omnia in vtrisq; adeò videntur paria. Non eñ tunc in Sacerdotibus pietas, non religio, nō sanctimonia splendet, sed peccādi licentia insignis est ac libertas. Cùm tamē hac prima cōfecti sacrificij luce in Deo solo, cui se perpetuò spiritualis militiæ Sacramento obligârunt, omnem aciem mētis figere, diuinaq; mysteria missis rebus humanis contemplari deberent Proinde vt hunc morem Cōciliis nobis fauentibus è medio tollamus, cū pœna abrogandæ dignitatis statuimus, vt nullus Sacerdos tam religiosus, quàm secularis, eo die, quo primùm facit sacrum, (nisi eius rei potestas ab Ordinario detur) cōuiuas domi suæ quocūq; modo recipiat, aut apud alios fieri conuiuium curet. Ordinarius aūt (si id ex dignitate esse videbitur) pmittere potest, vt parētes, agnatosq́; cōiunctiores ac ministros altaris ad prandium, vel cœnā conuocet, si tñ personarum ac loci habita ratione, conuiuio modū statuat. Quòd si quis octaua à primo sacro, aut decima luce cum amicis, atq; affinibus, moderatum, honestumq́; cōuiuium agere voluerit, id illi per nos integrum est; modò saltationes, lusus, aliaq́; id genus bacchationes quàm longissimè absint, vt dignitas sacerdotalis honestata magis & aucta, quàm fœdata, ac imminuta videatur.

In primitiarum conuiuiis ebrietas, luxus, et alia, quæ statum sacerdotalē minimè decēt, plurimùm cauenda.

ERV-

ERVDIENDOS ESSE CHRIstianos ad celebrationem cœnæ Dominicæ, quæ vulgò Missa vocatur.

CAPVT SEXTVM.

Vsitatum in Missis celebrandis retineatur idioma.

Ex sess. 22. Cõc. Trid. c.8. doctr. de sacrif. Missæ.

LIcet celebratio huius sacrificij (quæ vulgò Missa appellatur) magnæ Christianis possit esse eruditioni,& emolumento; visum tamẽ Patribus non est, vt vernacula lingua passim fieret. Quare retento, conseruatoq; Ecclesiæ cuiusq; prisco,& à sancta Romana Ecclesia, communi omnium parẽte ac magistra, approbato ritu, ne oues Christi esuriãt, neué paruuli panẽ petant,& non sit, qui frangat eis; pium ac commodum Synodi Tridẽtinæ decretum sequentes volumus, vt Pastores, Rectoresq; animarum frequentes de hoc sacrificio conciones inter Missarum celebrationem, vel per se, vel per alios habeant, atq; diebus, præsertim Dominicis, ac festis, ex iis, quæ in Missa leguntur, aliquid exponant, ac declarent, instar adhortationis huius, quæ proximè sequitur.

EXEMPLVM CONCIONIS DE Missæ sacrificio ad populum habendæ.

CAPVT SEPTIMVM.

CVM fratres charissimi, atq; amantissimi, quos mihi æternum Dñi numen diuino sanguine suo cõiunctissimos esse voluit, in hoc sacrosancto Missæ sacrificio, toti⁹ humani generis Matth. 26.

Seruator

ſeruator Chriſtus ad ſempiternam acerbiſſimæ mortis
Luc.22. 1.Cor.11. eius memoriam parenti Deo im̃oletur, operæpretium eſt, tam præclarum, ac liberale ſalutis noſtræ opus frequẽti animi cogitatione complecti, celebrationeq; publica cõmemorare, vt accepta beneficia mente grata, ac
Rom.5. memori recordemur. Poſtquã enim primi parẽtis culpa vniuerſus terrarum orbis contagione tã peſtifera cõtaminatus, diuinæ iracundiæ acerbitatem, offenſionemque aduerſus ſe concitauit, inque inextricabiles
Gen. 8. propè damnationis perpetuæ ſeſe coniecit latebras (in omnes enim homines mors penetrârat) naturam humanam error ad peccandum procliuem, ac propenſam reddidit. Proinde factum eſt, vt diſſoluti, ac perditi Adæ liberi, ab imis vnguibus vſque ad ſummum verticem, totos ſe flagitiorum omniũ ſordibus inquinârint, grauiſſimisque pro eo, ac meruerant, fuerint à Deo
Eſa. 46. Hier. 11. & 23. Zach. 3. o pœnis affecti. Præpotens tamen ille mundi fabricator molitorque Deus, cuius benignitas ac clemẽtia tanta eſt, quantam cogitatione capere homines non poſſunt, humanæ calamitatis, & iacturæ miſertus, malo huic, vt mederetur, velut optimus ac diligens medicus, qui gratam & ſalutarem ægrotis medicinam facit, vnicum filium, ſibique chariſſimum (vt vltrò pollicitus nobis fuerat) ad nos è cœlo dimiſit, qui ſpecie indutus hu-
Eſa. 53. mana, exque caſtiſſima Virgine natus, mortalium culpam omnem ac pœnam in ſe vnum ſceleribus noſtris vulneratum, confectumque transferret. Is poſita ad tempus iudicis perſona, amicique induta, humeris ſuis grande flagitiorum noſtrorum pondus in cruce ſuſtinuit, proque ſontibus innocens, amicus pro inimicis, pro reis iudex, Deus pro hominibus vitã, ſanguinemq; ſuum, liberaliſſimè profudit. O nos fortunatos, qui tanto illuſtrati beneficio, cum Deo humana, ac diuina ſi-

mul hostia placato, in pristinam, veteremque restituti sumus gratiam. Semel enim Christus ad cruentum sacrificium se hostiam præbuit, vt pro salute generis humani in crucem actus imolaretur, vt nos diaboli laqueis irretitos, captosque redimeret; vt parentem alienatum plane nobis reconciliaret, cùm filij iræ alioquin essemus. Hoc autem sacrificium à primis nascentis mundi temporibus ex quàmplurimis aliis hostiis, à patribus in veteri instrumento immolatis portendebatur. Huc enim spectat illud Geneseos: Obtulit Abel de primogenitis gregis sui, & respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. Huc Abraham cogitabat, cùm filium, quem vnicè diligeret, Dei immortalis iussu immolaturus, præcelsum montem atque editũ ascendit. Quid enim aliud his Dei Opt. Max. cultoribus sanctissimis inter mactandas victimas propositũ fuisse putamus, præterquàm summam in futurum multis seculis pòst, sacrificium religionis, & cultus sui testificationem, ac sempiternam beneficiis à Deo acceptis grati animi memoriam? hac illi ratione huius sacrificij participes ad perpetuam beatæ vitæ fœlicitatem fieri se posse arbitrabantur; quos vt ille cœlum atque terras intuens, ac regens Deus non cæsis hostiis, sed syncera fidei ipsorum ac pietatis integritate, & singularibus perque omnem hominum naturam pertinentibus Christi meritis saluos esse voluit; ita & nos, cæterosque omnes, qui quoad & hominum vniuersũ genus, & rerum natura omnis, & ipse mundus steterit, hac mortalis vitæ vsura fruentur (si volucrimus) hoc sacrosancto sacrificio à nefariis sceleribus expiatos sibi ipse reconciliabit, ac iucundissimo donabit supremi domicilij præmio. Propterea Christus etiam humani seruator generis (vt antè multò Malachiæ vaticinationibus

Heb. 10.
Eph. 1.
Aug. in enar. ps. 50.
Gen. 4. & 22.
1. Ioan. 2.
Malach. 3.

tionibus declaratum, atq; Melchisedech sacro præmonstratum fuerat) hoc seſe & statutum corporis ac sanguinis sui sacrificium ad sempiternam beneficij memoriam vt fieret, Ecclesiæ mandauit; non quòd de integro veniam erratorum impetrare, Deumque pro reconciliatione deprecari opus sit, quasi Christus cumulatissimè, ac plena manu causæ nostræ non fecerit satis; cum vna oblatione, & vno eodéq; sacrificio, vt in perpetua pace esse possem⁹, prouiderit; sed hoc, vt fieret, imperauit, quò sui memoriã teneremus. Hoc nimirũ illud est, quod hæc verba Christi sonant: Hoc facite in meã cõmemorationẽ. Age verò, est & illa vna ex nõ minùs præcipuis causis; vt pro libertate recepta, proque depulso seruitutis acerbissimæ iugo, immortales Deo gratias ageremus, ac beneficium cruentæ hostiæ, in ara crucis nobis semel tributum, in hoc incruento, hoc est, nullo sanguine imbuto sacrificio, in hacq; atrocissimæ mortis eius commemoratione promereremur, ac salutem nostram haberemus. Cùm itaque inter sacras omnes Ecclesiæ Catholicæ cæremonias nihil bonorum omnium authori Deo charius, nihil sanctius, nihil antiquius sit hoc augustissimo Missæ sacrificio, quod nunc ad aram illi pro populo Christiano faciendum est, Christi monitis, præceptisque felicissimum mortis eius sanctissimæ diem summa religione, gratique animi signis colite, ac vobiscum ipsi ex superiori veterum temporum memoria repetite, & dies, & noctes cogitate, quot, ac quantos nostri causa filius Dei perpessus sit dolores, ac cruciatus; quòd à discipulo suo, quem inter charissimos habuerat, proditus, desertus ab amicis, paulò antè quàm à lictoribus, armatisque hominibus colligaretur, inter preces sanguine sudârit, & ab impiis ac nefariis Iudæorum ap-

Gen. 14. 1 Cor. 11. Matt. 26. Luc. 22. Heb. 10.

paritoribus in vincula coniectus, apud Herodem Regem, Pontificem Caypham, Romanumq; iudicem Pilatum, falsis fictisque accusationibus in capitis discrimẽ vocatus, fœdatus sputo, per iocum irrisus, omni affectus ignominiæ genere, illusus, probris omnibꝰ, maledictisque vexatus, pugnis & calcibus conscissus, cæsus loris, plagarum crepitu, ac dolore confectus, cruce, cruce inquam salutari fixa, inter duos omnium scelerum maculis notissimos latrones indignissimè necatus fuerit, ac morte miserabili per summam iniuriam affectus, prætioso sanguine suo ex omnibus partibus lacerati corporis, ac venis effuso; vt nos ex immanissimis hostium faucibus eriperet, aditumque in supremas cœli oras interclusum patefaceret. In quo quidem beneficio tantus Dei Opt. Max. aduersus genus humanum residet amor, vt nihil suprà possit. Qui proprio & vnigenito filio suo non pepercit, sed eum pro nobis tradidit. Considerandum quoque est, quanta animi demissione, quanta patientiæ constantia, quanta in parentem obedientia, sponte sua hoc supplicij genus susceperit, vt ne verbo quidem læserit neminem, seque totum inimicorũ crudelitati permiserit; quò nos peccatis mortuos ab Acheronte excitaret, donaretque vita vitali. Propter nos exinaniuit semetipsum, formam serui accipiẽs, in similitudinem hominũ factus. Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Quamobrem cùm peccatorum nostrorum venia, & impunitas omnis, vita, salus, beatitudo, tam mutabilis, quàm æterna non ex nobis oriatur, sed ex sanguinis Christi effusione pendeat, ac meritis; ipsumque natum, bonorum nostrorum omnium autorem, qui se cruentam semel pro nobis in ara crucis hostiam præbuit, in hoc Mis- Phil. 2.

hoc Mis-

hoc Miſſæ ſacrificio,ſub ſpeciebus panis ac vini,parenti Deo quotidie per Sacerdotes incruento modo,ad ſempiternã maximi illius beneficij memoriam, imolemus; Deum Patrem obſecrare per mortui filij vulnera,per ſanguinem,per corpus,per ſanctiſſimam denique crucem debemus,vt numine propitio nos, noſtraq; omnia,quæ à Chriſto accepimus,ſalua eſſe velit. Vt autem omnes Chriſti eſſe mẽbra, eiusque beneficiis & honoribus bonorum participes frui poſſitis; neceſſe eſt,vt animos veſtros ad tantum Euchariſtiæ conuiuium pro dignitate ineundum, ſanctimonia, ac pietate excolatis, resque præparetis neceſſarias, quibus ſi minus ora, at mentes certè bonarum cogitationum epulis ſaturentur. Huc accedit,gratias Deo ingentes pro vniuerſis in nos omnes collatis beneficiis agendas eſſe, atque habendas; totamque Chriſtianorum rempublicam eius fidei ac clientelæ commendandam,optimeque ſperandum tandem,eum,cuius ſolo nutu extitit, quicquid mundus complexu ſuo coercet,ac continet,quocunq; tempore ad parcendum, ſi quid peccatum fuerit, pro Chriſti meritis paratiſſimum fore, nobisque omnibus poſt hanc fluxam,& caducam vitam, perpetua fœlicitatis æternæ bona elargiturum.Cui ſoli laus ſit, honor, & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

Aug. homil. 26. ſuper Ioan.

Hanc concionem ſupraſcriptam, breuiorem facere,vel longiorem,aut etiam immutare,cuique integrum eſt; dummodò hæc religionis noſtræ dogmata, quæ proximè ſequuntur,vna, aut altera, ſeu

 pluri-

pluribus concionibus populo Christiano explanentur.

DOGMATA DE SACRIficio Missæ.

CAPVT OCTAVVM.

QVONIAM sub priori testamento, teste Apostolo Paulo, propter Leuitici sacerdotij imbecillitatem consumatio non erat, oportuit, Deo Patre misericordiarum ita ordinãte, Sacerdotem alium, secundùm ordinem Melchisedech surgere, Dominum nostrum Iesum Christum, qui posset omnes, quotquot sanctificandi essent, consumare, & ad perfectum adducere. Is igitur Deus, & Dominus noster, etsi semel seipsum in ara crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, vt æternam illîc redemptionem operaretur; quia tamen per mortem sacerdotium eius extinguendum non erat, in cœna nouissima, qua nocte tradebatur, vt dilectæ sponsæ suæ visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum, repræsentaretur, eiusque memoria in finem vsque seculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur, Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit; ac sub earundem rerum Symbolis

Ex Seß. 22. Con. Trid. c. primo & sequẽtibus. doctr. de Sacrif. Missæ.

bolis, Apostolis, quos tunc noui testamenti Sacerdotes constituebat, vt sumerent, tradidit, & eisdem, eorumque in sacerdotio Successoribus, vt offerrent, præcepit per hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem:* vti semper Catholica Ecclesia intellexit, & docuit. Nam celebrato veteri Pascha, quod in memoriam exitus de Ægypto multitudo filiorum Israël immolalabat, nouum instituit Pascha, seipsum ab Ecclesia per Sacerdotes sub signis visibilibus immolandum in memoriam transitus sui ex hoc mundo ad Patrem, quando per sui sanguinis effusionem nos redemit, eripuitque de potestate tenebrarum, & in regnum suum transtulit. Et hæc quidem illa munda oblatio est, quæ nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari potest, Malach. 1. quam Dominus per Malachiam nomini suo, quod magnum futurum esset in gentibus, in omni loco mundam offerendam prædixit: & quam non obscurè innuit 1. Cor. 10. Apostolus Paulus Corinthiis scribens, cùm dixit: *Non posse eos, qui participatione mensæ dæmoniorum polluti sunt, mensæ Domini participes fieri:* per mensam altare vtrobique intelligens. Hæc denique illa est, quæ per varias sacrificiorũ, naturæ, & legis tempore, similitudines figurabatur; vtpote, quæ bona omnia, per illa significata, velut illorum omnium consumatio & perfectio complectitur.

Et quoniam in diuino hoc sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, & incruentè immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruentè Ibidem. c. 2. obtulit, docet sancta Synodus Tridentina, sacrificium istud verè propitiatorium esse, per ipsumque fieri, vt, si cum vero corde, & recta fide, cum metu & reuerentia, contriti, ac pœnitentes, ad Deum accedamus, miseri- *Sacrificium Missæ est verè propitiatorium.*

cordiam

cordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Huius quippe oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata, etiam ingentia, dimittit. Vna enim eademque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diuersa. Cuius quidem oblationis cruentæ inquam fructus per hanc incruentam vberrimè percipiuntur: tantum abest, vt illi per hanc quouis modo derogetur. Quare non solùm pro fidelium viuorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus, sed & pro defunctis, in Christo nondum ad plenum purgatis, ritè iuxta Apostolorum traditionem offertur. Proinde illi grauiter errant, qui Eucharistiæ institutionem non ad sacrificium, quod offertur, sed ad Sacramẽtum, quod sumitur, tantùm referunt: cùm tamen illud, vt verum, singulare, & incruentum nouæ legis sacrificium in Ecclesia semper pro viuis ac mortuis Deo oblatum fuerit; quod Christus ipse Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech ꝑ se primũ (vt dictum est) in postrema cœna obtulit: nũc verò quotidie per Sacerdotes suos ab ortu solis vsque ad occasũ vbiq; vult offerri, vt cruentum sacrificium illud, quod semel in cruce obtulit, perpetuò commemoretur, ac iuge sacrificium vsque ad vltimum Domini aduentum in Ecclesia celebretur.

Sacrificiũ Missæ viuis & defunctis prodest.

Docendum etiam est, quamuis in honorem & memoriam Sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueuerit; non tamen illis sacrificium offerri, sed Deo soli, qui illos coronauit; vnde nec Sacerdos dicere solet; offero tibi sacrificium Petre, vel Paule, sed Deo, de illorum victoriis gratias agens, eorum

Deo soli offertur sacrificium.

Ibidem c. 3.

rum patrocinia implorat, vt ipsi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris.

Ibid. c. 6. Moneantur item astantes, cupere nos atque optare iuxta sacros Canones, vt in singulis Missis, non solo mentis affectu, sed ore etiam hunc suauissimum sacrosanctæ Eucharistiæ cibum capessant; quòd hinc vberiores vtilitatis fructus, diuturnioresq; referantur. Nec propterea, si ita non semper fiat, putandum est, sacra illa, quibus solus Sacerdos Sacramentaliter hoc fruitur conuiuio, vt priuata, ac vitiosa reiicienda esse, & damnanda, quin laudanda potiùs, atque approbanda, quòd publica sint, ac communia: tùm quia præsens hominum turba syncero, puroque animi affectu Sacramentaliter communicando sacrificij particeps sit, tùm etiam quia à publico Ecclesiæ ministro nomine omnium hæc sacra factitentur. *Optandum aliquos astantium semper cõmunicare.*

Ex sess. 22. Cõc. Trid. decret. de obs. & euit. in celeb. Miss. Præcipiendum quoque est, ne in Ecclesiis, eo præsertim tempore, quo sanctissimum Missæ sacrificium fit, sacris actiones misceant seculares, vana scilicet, ac prophana colloquia, deambulationes, strepitus, clamores: sed mente, ac deuoto cordis affectu adsint precibus vacantes: vt domus Dei verè domus orationis esse videatur, ac dici possit, non autem negociationis; & tantum sacrificium non detrimento sit, sed saluti. *Domus Dei domus orationis non vana garrulitatis.*

Illa verò praua consuetudo quàm plurimorum Christianorum: vt vel diebus Dominicis ac festis alij sacro audito Euangelio, Christi corpore, ac sanguine vix consecrato alij, domum redeant ab inchoato, imperfectoque abeuntes sacrificio, è medio tollenda est: cùm nec vim eius, ac fructum percipiant, nec sacris Ecclesiæ legibus pareant, quos propterea grauiter inter concio- *Missa à principio ad finem vsque audienda.*

 nandum

nandum increpare oportet, ac monere, Ecclesiæ præceptum esse, vt quisque festis diebus rei intersit diuinæ, à principio introitus, vsque ad extrema illa verba, quibus Sacerdos, aut Episcopus, si adfuerit, astantibus benedicit, ac precatur.

Ex Concil. Aurelian. can. 22. & Agath. & de consf. d. 1. c. Cum. &c. Miss. sas &c. c. Omnes fideles.

QVOMODO CHRISTIANI ad hoc sanctißimum Eucharistiæ Sacramentum instruendi sint, ac diligenter instituendi.

CAPVT NONVM.

CVM sancta, ac pia mater Ecclesia non Presbyteris tantùm rem diuinam facientibus, verùm etiam cæteris omnibus Christi fidelib⁹, tam laicis quàm Sacerdotibus sacra non obeuntibus, semel quotannis saltem permittat, atque sub anathemate imperet, vt Christi corpus, ac sanguinem è manibus ministrorum excipiant; Parochi, eorumuè Cooperatores, ac Vicarij, aut delecti Concionatores omnem dabunt operam, auditores vt suos pœnitentiæ Sacramentum ante edoctos aliquot concionibus in sacram inducant Eucharistiam, eius natura, vi, dignitate, splendore, maiestate, fructibus, commodis, vtilitatibusque breuiter explicatis, omnique ambiguitatis scrupulo, quem hæc calamitosa ac perdita tempora inieccerint, ex eorum animis in Orthodoxa & Catholica religione confirmatis euulso. Hæc verò, quibus rationibus præstanda sint, summatim aperiamus necesse est.

Ex Concil. Trid. sess. 13. c. 9. de Sacram. Euch.

DOGMA-

DOGMATA AD EVCHARI-stiæ Sacramentum pertinentia.

CAPVT DECIMVM.

Quid de cõtẽto in Eucharistia docendum.

DOCENDVM primo loco est, in sanctissima Eucharistia reipsa verè, ac substantialiter corpus, & sanguinem Christi, cum anima eius, & diuinitate, ac proinde totum Christum contineri, ab hominibusque aspectabili corporis ore capi. Eos autem impios esse, atque ab omni religione remotissimos, qui ab hoc decreto opinionum dissensione discrepent, & ita, vt dicitur, esse perperam negent, neque Sacramentaliter, & realiter, sed spiritualiter tantùm à nobis manducari affirment, Christi verba ad figuram, aut signum, aut tropum, aut energiam, aut archabonem, aut virtutem solam peruersè detorquentes.

Transubstantiatio auditorib⁹ diligenter inculcãda.

Secundò, in hoc Sacramento per consecrationem panis & vini, conuersionem fieri totius substantiæ panis, in substantiam corporis CHRISTI, ac totius substantiæ vini, in substantiam sanguinis eius, accidentibus solis panis ac vini permanentibus; quæ equidem conuersio, quàm maximè ad veritatem, ac naturam rei accommodatè, ab Ecclesia nostra Catholica transubstantiatio est appellata. Quare Sacramentarios illos valde errare, atque oscitantes hallucinari, qui post consecrationem, panis & vini substantiam manere volunt: in qua, vel circa quam, aut cum qua, Christi corpus, ac sanguinem esse stultissimè, atque impudentissimè affingunt, transubstantiationem ipsam funditus è medio tollentes.

Eucharistia honorificè seruāda pro infirmis & aliis cōmunicātibus.

Tertiò, facta consecratione, antequàm Eucharistia sumatur, ac pòst; verum Christi corpus & sanguinem in hostiis, aut particulis consecratis esse, quæ vel supersunt, vel ægrotis, aliorumque Christianorum religioni, secundùm antiquam, ac laudabilem Ecclesiæ Catholicæ consuetudinem, honorificentissimè seruantur.

Proinde eos turpissimè labi, quorum audacia tanta est, vt in solo Eucharistię vsu propter cœlestem vim consecrationis, atque effectum, non antè, non pòst, CHRISTVM adesse dicant, hostiasque consecratas in templis perpetuo lumine custodiri damnent, ac rideant. Quos egregius Doctor, ac Pontifex CYRILLVS meritò reprehendit, inquiens: Insaniunt igitur dicentes, mysticam benedictionem à sanctificatione cessare, si quæ reliquiæ remanserint eius in diem sequentem. Non enim mutabitur sacrosanctum corpus CHRISTI, sed virtus benedictionis, & viuificatiua gratia iugis in eo est. Virtus enim viuificatiua DEI Patris, vnigenitum verbum est, quod caro factum est, non desinens esse verbum, sed efficiens carnem viuificatiuam.

In cap. 22. D. Lucæ apud sanctū Thom. in catena aurea.

Cultus latria Christo Domino in Eucharistia debetur.

Quartò, in sacrosancta Eucharistia CHRISTVM, vnicum DEI Filium, cultu latriæ, atque externo colendum, solennique celebritate venerandum. Eos verò pessimè sentire, ac blasphemare, qui præsentem in hoc Sacramento CHRISTVM coli, & publicè circumferri non oportere putant, ac reprehendunt, quique tantum mysterium nulla reuerentia, nullo cultu, nulloque honore dignantur.

Quintò, vberrimum atque amplissimum diuinæ Eucharistiæ fructum esse, nostram cum CHRISTO coniunctionem, remissionemque peccatorum. Quare non minùs

Lib. 4. de Sacr. ca. 6. minùs doctè, quàm eleganter illa D. Ambrosium scribere verba; Quotiescunque accipis, quid tibi dicit Apostolus? Quotiescunque accipimus, mortem Domini annunciamus. Si mortem annunciamus, annunciamus remissionem peccatorum. Si, quotiescunque effunditur sanguis, in remissionem peccatorum funditur, debeo illum semper accipere, vt semper mihi peccata dimittantur. Qui semper pecco, semper debeo habere medicinam.

Sextò, explicanda populo Christiano est vtraque panis scilicet, ac vini consecrati species, eiusque communio, eo modo, quo in tractatu de vtraque admirabilis Eucharistiæ specie docebimus, qui breui in lucem edetur. Interim legendus est ea de re Alphonsus de Castro, titulo de Eucharistia, hæresi vltima, aut si quis alius (multi enim de hoc argumento scripserunt) in promptu fuerit.

QVO TEMPORE, AC QVO modo sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum à laicis capiendum sit.

CAPVT VNDECIMVM.

QVILIBET Parochus clientes suos monebit, Christianum hominem, quàm primum sapere cœperit, si sit animo parato, ac rebus necessariis instructo, quotidie sanctissimo Eucharistiæ cibo vesci posse. Quod si fiat, D. Augusti- *Frequens communio laudanda.*

num nec probare, nec damnare, ſed tamen diebus Dominicis ſaltem omnes ad hoc cõuiuium ineundum hortari, dummodò mente caſta, ac pura, ab omniq́ue ſcelerum cogitatione aliena in eo verſentur. Nam ſi propenſa adhuc ad peccandum voluntate ſint, magna illis ex hoc facto non lucri, ſed detrimenti fiet acceſſio, adhæreſcetq́ue magis in ſordibus, tanquàm in viſco animus, quàm ſplendeat. Si quis verò neque dies Dominicos cogitet, ter tamen quotannis id fieri decere, diebus ſcilicet Paſchatis, Pentecoſtes, ac Natalis Domini. Prætereà licet olim ij in Chriſtianorum numero non haberentur, qui tribus illis feſtis diebus Euchariſtiam non cepiſſent, nihilominus tamen Eccleſiam Catholicam, grauiſſimas, iuſtiſſimasq́ue ob cauſas, conſcripſiſſe edictum cum pœna, ac iudicio, vt vtriuſque ſexus Chriſtiani homines, qui id ætatis iam eſſent, vt bona poſſent ac mala diſcernere, ſi tribus illis diebus nolint, ſemel quotannis ſaltem, hoc eſt, feriis Paſchalibus, CHRISTI corpore veſcantur; quam in rem illa ſunt Tridentini Concilij verba: Si quis negauerit, omnes & ſingulos Chriſti fideles vtriuſque ſexus, cùm ad annos diſcretionis peruenerint, teneri ſingulis annis, ſaltem in Paſchate, ad communicandum, iuxta præceptum ſanctæ matris Eccleſiæ, anathema ſit.

Cap. 53. de Eccleſ. dogm. Et de cõſ. d. 2.

De conſ. d. 2. c. Etſi non.

De conſ. d. 2. c. Seculares. Et c. Omnis homo.

De pœn. & remiſſ. c. Omnis vtriuſq;.

Seſſ. 13. cano. 9. de ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento.

Explicatio tẽporis Paſchalis quãtum attinet ad præceptũ communionis.

Quod verò ad hoc præceptum ſpectat, tempus Paſchale duas hebdomadas ſecundùm Eugenij IIII. explicationem continere: ita, vt ſi quis ſeptem illis diebus, qui Dominicam Paſchalem proximè aut præcedunt, aut conſequuntur, Euchariſtiam capiat, Eccleſiæ imperio feciſſe ſatis dicatur. Cuius tamen neglecti reus nõ eſt appellandus is, qui non in contemptum vel præcepti, vel Eccleſiæ (quod mortale crimen eſſet, ac graue ſcelus) ſed

De pœn. & remiſſ. c. d.

sed magna ratione, deque Sacerdotis sui consilio in aliud tempus hanc communionem reiecerit.

Præcipiat autem omnibus (ægrotis tamen exceptis) ne Sacerdotem Eucharistię gratia adeant, nisi ieiuni sint, ab omnique hæresi, schismate, simonia, excommunicatione, histrionica, magica, concubinatu, vsura, aliisque prauis actionibus alieni, atque suam non fide solùm ac contritione, sed confessione etiam, & satisfactione probârint conscientiam, secundùm illud Apostoli: Probet autem seipsum homo, vt de pane illo edat, & de calice bibat: quia, qui manducat & bibit indignè, iudicium (hoc est, damnationem) sibi manducat & bibit, nō diiudicans corpus Domini. Cuius rei rationem in medium affert D. Ioan: Chrysostomus, cùm ait: Sicut corporalis cibus, dum ventrem inuenerit, aduersis humoribus occupatum ampliùs lædit, magisque nocet, & nullum præstat auxilium; ita & hic spiritualis cibus, si aliquē reperit malignitate pollutū, magis eum perdet, non sui natura, sed accipientis vitio. A quo, si adeundi Confessarij potestas fiat, non nisi Sacramentali cōfessione absolui potest.

Tantùm ieiuni communicent.

De consf. d. 2. c. Liquidò.

De consf. d. 2 c. Pro dilectione.

1. Cor. 11.

In cap. 11. primæ Corinth.

Hinc illa sunt Tridentini Concilij verba: Si non decet ad sacras vllas functiones quempiā accedere, nisi sanctè, certè quò magis sanctitas & diuinitas cœlestis huius Sacramenti viro Christiano comperta est, cò diligētiùs cauere ille debet, ne absq; magna reuerentia, & sanctitate ad id percipiēdum accedat, præsertim cùm illa plena formidinis verba apud Apostolū legamus; Qui māducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Dñi. Quare communicare volenti reuocandū est in memoriā eius pręceptū; Probet seipsum homo. Ecclesiastica aūt consuetudo declarat, eam probationē necessariam esse, vt nullus sibi cōscius mortalis peccati, quantumuis

Ad communionē sanctè accedendum.

Sess. 13. c. 7. doctr. de Euch. cap. 7. de præparatione, q adhibenda est, vt dignè quis sacrā Eucharistiam percipiat.

Cõmunioni præmittẽda confeßio. tumuis sibi contritus videatur, absq; præmissa Sacramentali cõfessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat; quodà Christianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc sancta Synodus perpetuò seruandũ esse decreuit, modò nõ desit illis copia Confessarij; quòd si necessitate vrgente Sacerdos absq; præuia confessione celebrauerit, quamprimùm cõfiteatur. Et paulò pòst: Si quis dixerit, solã fidem esse sufficientem præparationem ad sumendum sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentũ, anathema sit. *Ibidem Can. 11.* Et ne tãtum Sacramẽtum indignè, atq; ideo in mortem & condemnationẽ sumatur, statuit, atq; declarat ipsa sancta Synodus, illis, quos conscientia peccati mortalis grauat, quantũcunq; etiam se contritos existiment, habita copia Confessarij, necessariò præmittendam esse confessionem Sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publicè disputãdo defendere præsumpserit, eo ipso excommunicatus existat.

Varij modi sumẽdi Eucharistiam. Vt autem communicaturi meliùs circa supradicta instruantur, proponi etiam illis debent tres modi, quibus homo hoc sacratissimum Eucharistiæ Sacramentum sumere potest. Sacramentaliter tantùm; spiritualiter tantùm, & Sacramentaliter ac spiritualiter simul; qui sanè modi à sacrosancta Synodo Tridentina quàm apposite tradũtur his verbis: *Sess. 13. cap. 8. De vsu admirabili Sacramenti Eucharistiæ.* Quoad vsum aũt rectè ac sapiẽter Patres nostri tres rationes hoc sanctũ Sacramẽtum accipiendi distinxerũt. Quosdam eñ docuerunt, Sacramentaliter dũtaxat id sumere, vt peccatores; alios tantùm spiritualiter, illos nimirum, qui voto propositum illum panem cœlestem edentes fide viua, quæ per dilectionem operatur, fructum eius, & vtilitatem sentiunt; tertios porrò Sacramentaliter simul & spiritualiter; hi autem

sunt,

sunt, qui ita se priùs probant & instruunt, vt vestem nuptialem induti, ad diuinam hanc mensam accedant. In Sacramentali autem sumptione semper in Ecclesia mos fuit, vt Laici à Sacerdotibus communionem acciperent: Sacerdotes autem celebrantes seipsos communicarent: qui mos tanquàm ex traditione Apostolica descendens, iure ac meritò retineri debet. Demum autem paterno affectu admonet sancta Synodus, hortatur, rogat, & obsecrat per viscera misericordiæ Dei nostri, vt omnes & singuli, qui Christiano nomine censẽtur, in hoc vnitatis signo, in hoc vinculo charitatis, in hoc concordiæ symbolo iam tandem aliquando conueniant, & concordent, memoresque tantæ maiestatis, & tã eximij amoris Iesu Christi, Domini nostri, qui dilectam animam suam in nostræ salutis pretiũ, & carnem suam nobis dedit ad manducandum; hæc sacra mysteria corporis & sanguinis eius, ea fidei constantia, & firmitate, ea animi deuotione, ea pietate, & cultu credant, & venerentur, vt panem illum supersubstantialem frequenter suscipere possint, & is verè eis sit animæ vita & perpetua sanitas mentis; cuius vigore confortati, ex huius miseræ peregrinationis itinere ad cœlestem patriam peruenire valeant, eundem panem Angelorum, quem modò sub sacris velaminibus edunt, absque vllo velamine manducaturi.

De consec. d. 2. c. Omnis. quod ex Conc. Elibertino desumptum est.

Admonitio ad coniuges communicaturos.

Coniuges quoque doceantur, ne antequàm sacram Eucharistiam capiant, trium, aut quatuor, aut septem etiam dierum spatio cubile ineant. Quòd si quis inter dormiendum sparso semine corpus suum polluerit, ipseque sibi hanc dederit ansam, aut animi impotentia atq; effœminata quadam corporis mollicie, aut immoderata

derata commessatione, viniq́ue crapula, aut aliis quibuscunque de causis, commonendus est, vt hoc cibo se abstineat.

QVIBVSNAM PAROCHI hoc venerabile Sacramentum dare debeant, quibusué negare.

CAPVT DVODECIMVM.

Alienum in Paschate nemo communicet.

ALIENÆ Parochiæ hominem, nisi à Parocho, alioué Superiore ei permittatur, aut mortis immineat periculum, Sacerdos nullus ad Eucharistiæ Sacramentum admittat.

Excommunicati à cōmunione excludendi.

Hæresi, aut Schismate à numerò Christianorum segregatis, vel excommunicatis omnis ad hoc conuiuium intercludatur aditus. Cau. 1. q. 1. c. Reperiuntur.

Varij à communione arcendi.

Arceantur ab hac mensa omnes vitiorum dedecore infames: quales sunt fures, meretrices, raptores, lenones, aleatores, histriones, circulatores, fœneratores; magiæ, concubinis, simoniæ addicti, singulari certamine depugnantes, alijq́ue, qui publicè pessimè audiunt: quibuscum versari nos, cibumq́ue capere prohibet Apostolus; nisi non obscurum mutatæ voluntatis argumentum dederint. De Conf. d. 2. c. Pro dilectione. Glos. 2. q. 5. c. Monomachicam 1. Cor. 5.

Quales ob indispositionem corporis non sint admittendi

Illi, qui ieiuni non sunt, captumué cibum retinere non possunt, aut ad vomendum procliui videntur esse natura, admitti pariter non debent. Nec tamen impedimento fuerit ad Eucharistiam, si cui os abluenti aliquid De Conf. d. 2. c. Liquidò. & 7. q. 1. c. Nihil.

quid

quid cibi mansi, quod inter dentes hæserit, aut parum humiditatis aquæ casu, vel per imprudentiam in stomachum illabatur, cùm præter voluntatem id factum sit. Quòd si quis cibum ante mediam noctem gustârit, seu posteà dormiat, seu vigilet, hac esca vesci potest; sin à media nocte, nequaquam, nisi periculum mortis immineat. Item delirantes, fatui, dementes, ac quoquo modo insani, præsertim quibus lucida desunt interualla, vt interdum ad se redire, ac confiteri possint. Quòd si quis fanaticus, aut mentis vitio furens, lucida quandoque interualla habeat, ac tum religiosè Eucharistiam petat, etiamsi furor, qui cõsedisse videbatur, hominem inuadat, Eucharistiam capere potest, nisi de vomitionis, sputi, alteriusué dedecoris periculo pertimescatur, id quod plerumque contingere solet.

Ex D. Aquinate 3 p. q. 80. ar. 8. Quintum.

Qui ob defectum iudicij excludendi.

Cau. 26. q. 6 c. Is, qui.

Item pueri, ac puellæ rationis vsu carentes, quos nulla obligari necessitate ad Sacramentalem Eucharistiæ communionem, Tridentini Concilij acta testantur; siquidem per Baptismi lauacrum regenerati, & Christo incorporati, adeptam iam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non possunt. Neque ideo tamen damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquando seruauit: vt enim sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt; ita certè eos nulla salutis necessitate id fecisse sine controuersia credendum est. Quæ verò ætas idonea ad rationis vsum in pueris ac puellis statuenda sit, cũ quidam celeriores ingenio, quidam tardiores reperiantur, id parentum, Cõfessarijque iudicio relinquitur: qui cautè tamẽ agere in eo debent, veterem, ac laudatam venerabilis Ecclesiæ consuetudinem se-

Sess. 21 c. 4. doctr. de com. sub vtraque specie & paruulorum.

quentes, quæ plerumque admittit neminem, nisi annum circiter decimum tertium attigerit.

Sunt alia quoque conscientiæ impedimenta, sed quę secretissima sint atque occultissima; quibus se quisque sacra Eucharistia indignum iudicare debet, vt qui mortale peccatum admissum confiteri erubescit, aut ab eo animum non vult abducere.

Ob quos nã corporis defectus communio non sit negãda.

Aliis autem omnibus, qui Sacramenti huius possunt esse participes, dæmoniacis etiam, leprosis, morbo gallico laborantibus, iisque, quibus vis aliqua inualetudinis, aut labia exedit, aut consumpsit dentes, si illud animo priùs parato, & optimè affecto petãt (nisi quid aliud obstet) est illico dandum, neminiq; publicè præsertim postulanti negandum, etiamsi peccatis constrictum (occultè tamen) teneri sciat; cùm Christus inter Apostolos Iudam quoque mensæ suæ conuiuam adhibuerit, quem sanguinis sui proditorem esse sibi certò constabat. Sed tamen clam monebit hominem, aut vniuersim omnes, neminem suo appellãs nomine, ne quis, nisi antea fuerit Ecclesiæ per peccatorum suorum confessionem reconciliatus, ad aram pro Eucharistia accedat. Hinc D. ait Augustinus: Non prohibeat dispensator manducare pingues terræ in mensa Domini: sed exactorem moneat timere. Et alibi: Nos à communione que[illegible]m prohibere non possumus, nisi aut spontè [illegible] aut in aliquo iudicio Ecclesiastico, vel secu[illegible]tum, atque conuictum.

[illegible] tem supplicio damnatis, si sanctè, si religio[illegible] animo parato efflagitent, sacra potest præ[illegible]xis.

Extra. de off. Iu. or. c. si Sacerdos.

In Psal. 48. concione 1. Et de Cõd 2.

D. Aug. in cap 5. 1. Cor.

a Can. 13. q. vlt. c. Quęsitum. Et de pœn. & remiss ca. 1. In Clem.

QVO

QVOMODO PASCHATE, vel aliis diebus Eucharistia secundùm veterem, laudatamq́ Ecclesiæ Catholicæ consuetudinem Laicis distribuenda sit.

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

SACERDOS hoc sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum Laicis daturus, ad rem diuinam faciendam se præparare debet, totque consecrare particulas, quot populo ea de causa vnum in locum templi congregato satis esse possint. Facta autem re diuina, sacris retentis vestibus, accensisque cęreis: aut si ipse tunc sacra non factitarit, lineo superpelliceo, ac stola indutus, ad eos, qui Christi corpus capturi sunt, in aduersam corporis partem sese vertat, sequentemque paulò pòst, vel aliam eiusmodi præfetur exhortationem, tunc maximè cùm frequens hominum adfuerit multitudo, qualis diebus Paschalibus adesse solet, vt tanta Sacramenti dignitate, vi, fructuque cognito, maiori cõcursu ac studio omnes ad illud rapidè, crebroque ferantur. Quòd si venerabile Eucharistiæ Sacramentum ad aliam aram deferre in animo habeat, eodem, quo suprà modo vestitus, antè ad altare rebus omnibus necessariis instructũ, apparatumque, omni cum grauitate, ac modestia, cum facibus aliis, aliis cum tintinnabulo præeuntibus deportabit, quàm concionem ad populum habeat

Ordo præbendi communionẽ.

QVID AB ÆDITVO AGI, & quid à Sacerdote in miniſtranda Euchariſtia vitari oporteat.

CAPVT DECIMVM QVARTVM.

ANIMADVERTERE autem debet æditus, aut alius quicunque, qui eam prouinciam ſuſceperit, vt aſtantes ſacrã Synaxim acceſſuros, in eum ordinem adducat, ex quo neque in acceſſu, neque in epulis, neque in diſceſſu, vlla oriatur confuſio. Ne verò aliqua Euchariſtiæ particula per errorem atque imprudentiam, aut Sacerdotis, aut communicantis, in terram decidat, mundum ante communicaturos linteum ſternet. Quod vt fiat, à Parocho ipſo multò antè curandum eſt: neque enim tum abeſt culpa, cùm Chriſti corpus negligenti quadam ſocordia, aut dantis, aut accipientis manu, vel ore lapſum humi iacet. De Conſ d 2.c. Qui bene.

Caueat deinde Sacerdos, ne hoſtiam non conſecratam loco conſecratæ homini adulto, aut puero, valenti, aut ægroto, ſano aut amenti, vel quomodocunque ſancta Euchariſtia indigno, enixè etiam petenti porrigat, aut porrigenti aſſentiatur, idué præcipiat; quia in veritatis Sacramento nihil fictum, nihil falſum, nihilq; commentitium eſſe debet, cùm adulterina, aut fucata remedia periculis ipſis deteriora ſint, ac grauiora. Ex D.Th. opus: 65. c. De Eucha. De celeb. Miſſæ C. De homine.

EXHOR-

EXHORTATIO DE SANctißimo Eucharistiæ Sacramento, ante Laicorum communionem habenda.

CAPVT DECIMVM QVINTVM.

SI ANIMO & cogitatione nos totos ad Deum Opt. Max. conuertimus, si atrocitatem, multitudinemque peccatorum nostrorum, quibus diuinum Numẽ offendimus, exemplo Regis Ezechiæ cum dolore, cum gemitu, cum acerbitate perpendimus, si cœlestem misericordiam supplices captauimus, si lamentabili publicani Euangelici voce admissa crimina deplorauimus, proque venia deprecati sumus, si cum vate à Deo, vt secundùm magnam misericordiam suam nostri misereatur, summis precibus efflagitauimus, si innocenti ac seuera vita nos ad bonam frugem (vt dicitur) recepimus, fore sperantes, vt benigniùs, ac clementiùs à Christo conscientiæ nostræ rationibus consulatur, si Sacramentali confessione à culpa expiati, internum hominem (vt monet Apostolus) syncerè, sanctèque probauimus, ne indignè edentes, ac bibentes, rei simus corporis ac sanguinis Domini: Si denique fideliter à Confessario imperata fecimus, sique hoc sacrosanctum corporis Christi Sacramentum ad eius memoriam sempiternam, vt Deus ipse præcepit, capere, ac gustare volumus, operæpretium fuerit recordari, Christum tantum Eucharistiæ mysterium, dum postremò cum amicis cœnaret, instituisse, corpus.

4. Reg. c. 20. Luc. 18. Psal. 50. 1. Cor. 11. Luc. 22. 1. Cor. 11. Matth. 26. Mar. 14.

corpuſque ſuum ac ſanguinem diſcipulis, nobiſque itidem ſumendum, appoſuiſſe, atque æternam ſupplicij, mortiſque ſuæ memoriam, ad pœnæ remiſſionem, ad tranquillitatem animi imperâſſe. Illud quoque meminiſſe debemus, hanc ſalutarem prꝭteritorum Chriſti cruciatuum recordationem non modò in ſacroſanɑ Euchariſtia omnibus, ſed Sacerdotibus etiam, dum ſacra faciunt, diuino eſſe præcepto repetendam, vt D. Auguſtinus apertiſſimis verbis ſcriptum reliquit. Qui perindè vt Chriſtus ſemetipſum pro nobis in ara crucis acerbis atque cruentis modis ad mortem vſque obtulit; ita quoque repræſentat hodie Chriſtiana Eccleſia, & ſiſtit eundem Patri æterno, per Sacerdotem in ſacroſancto Miſſæ officio, idque nec cruentè, nec mortali quadam paſſione: vt is Pater cœleſtis ſemel peracti in cruce ſacrificij, perpeſſæ mortis, & effuſi ſanguinis filij ſui reminiſcatur, quem ea ipſa Eccleſia piè implorat, vt quod hic dilectiſſimus filius ſuus Dominus & Saluator noſter Ieſus Chriſtus in oblatione corporis & ſanguinis ſui, in crucis ſtipite pro nobis, quin pro toto mundo peregit, & impetrauit, id nobis per eiuſdem filij ſui præclara merita, vnà cum cæteris omnibus Chriſti mẽbris fidelibus tam defunctis, quàm viuis, hodie ac deinceps perpetuò ſaluti & commodo eſſe velit. In hoc autem Sacramento ſe nobis totum Chriſtus tradit, nobiſcum ille præmia ſua communicat, nobiſcum prædã ex hoſte captam diuidit, nobis omnes diuitias, omnes opes, manubias, bona denique omnia impertitur; vt apud ipſum ea quæramus atque inueniamus, quæ nos propter imbecilles, fragileſque naturæ noſtræ conditiones præſtare de nobis non poſſumus; ſimul coniuncti, atque coagmentati in nobis ipſe, in ipſoque nos viciſſim

Luc. 22. 1. Cor. 11.

Aug. in Epiſt. 59. ad Paulinum. de Conſ. d. 2. c. In Chriſto ſemel oblata. Magiſter ſent. lib. 4. d. 12. Rom. 6.

1. Ioan. 2.

1. Cor. 10.

1. Ioan. 4.

cissim perpetuò maneamus; capitis locum ipse, membrorum nos in vno corpore sortiamur; speciosissima mortis eius monumenta, ornamenta victoriæ, laudis, gloriæque insignia in animis nostris condamus ac collocemus; aduersùs quæcunque flagitia, ac peccata, vel grauia, vel leuia, certissimam meritis ipsius propè desperatæ saluti nostrę medicinam habeamus, pignusque per pœnitentiam, confessionem, ac satisfactionem criminum omnium impetratæ à Deo veniæ; vt diuinis aucti beneficiis meliorem semper vitæ Christianę cursum laudabiliter teneamus, ad virtutes excitemur, domesticos hostes in nostras acies infestis signis impetum facientes, totis viribus superemus, ac disperdamus; tandemque eo animi nostri, quasi quodam immortali pane ad illam beatam vitam alantur, qua cùm perfruentur, totius mũdi Dominum, molitoremque Devm in summo diuinitatis suæ splendore sunt intuituri. Hæc est vis huius Sacramenti, hæc vtilitas, hi fructus, quos modò breuiter recensuisse sat est. At verò, cùm Eucharistiæ communio ad eos tantùm pertineat, qui per veram pœnitentiam, confessionem, ac satisfactionem scelera sua expiârunt, & noui induerunt hominis speciem; Deusque noster is sit, cui impietas maximè displiceat, nihilque arrideat, quod syncerum non est, integrum, atque omnibus virtutis numeris absolutum, ac perfectum; ex Dei præcepto, laudabilique Ecclesiæ Catholicæ consuetudine ad hanc veram Synaxim ij admittendi non sunt, qui aliquo mortali crimine constricti tenentur, atque in maleficiis os perfricuerunt, præsertim cum hæresi, aut schismate malè olentes reipublicæ Christianæ molesti sunt, vt qui vel dubitant, vel negant, corpus sanguinemque Christi sub specie panis & vini contineri, aut

Luc. 22. Amb. lib. 5. de Sacram. Psalm. 16.

Eucharistia honorificè seruãda pro infirmis & aliis cõmunicãtibus.

Tertiò, facta consecratione, antequàm Eucharistia sumatur, ac pòst; verum Christi corpus & sanguinem in hostiis, aut particulis consecratis esse, quæ vel supersunt, vel ægrotis, aliorumque Christianorum religioni, secundùm antiquam, ac laudabilem Ecclesiæ Catholicæ consuetudinem, honorificentissimè seruantur.

Proinde eos turpissimè labi, quorum audacia tanta est, vt in solo Eucharistię vsu propter cœlestem vim consecrationis, atque effectum, non antè, non pòst, CHRISTVM adesse dicant, hostiasque consecratas in templis perpetuo lumine custodiri damnent, ac rideant. Quos egregius Doctor, ac Pontifex CYRILLVS meritò reprehendit, inquiens: Insaniunt igitur dicentes, mysticam benedictionem à sanctificatione cessare, si quæ reliquiæ remanserint eius in diem sequentem. Non enim mutabitur sacrosanctum corpus CHRISTI, sed virtus benedictionis, & viuificatiua gratia iugis in eo est. Virtus enim viuificatiua DEI Patris, vnigenitum verbum est, quod caro factum est, non desinens esse verbum, sed efficiens carnem viuificatiuam.

In cap. 22. D. Lucæ apud sanctũ Thom. in catena aurea.

Cultus latria Christo Domino in Eucharistia debetur.

Quartò, in sacrosancta Eucharistia CHRISTVM, vnicum DEI Filium, cultu latriæ, atque externo colendum, solenniqúe celebritate venerandum. Eos verò pessimè sentire, ac blasphemare, qui præsentem in hoc Sacramento CHRISTVM coli, & publicè circumferri non oportere putant, ac reprehendunt, quique tantum mysterium nulla reuerentia, nullo cultu, nulloque honore dignantur.

Quintò, vberrimum atque amplissimum diuinæ Eucharistiæ fructum esse, nostram cum CHRISTO coniunctionem, remissionemque peccatorum. Quare non

minùs

Lib. 4. de Sacr. ca 6. minùs doctè, quàm eleganter illa D. Ambrosium scribere verba; Quotiescunque accipis, quid tibi dicit Apostolus? Quotiescunque accipimus, mortem Domini annunciamus. Si mortem annunciamus, annunciamus remissionem peccatorum. Si, quotiescunque effunditur sanguis, in remissionem peccatorum funditur, debeo illum semper accipere, vt semper mihi peccata dimittantur. Qui semper pecco, semper debeo habere medicinam.

Sextò, explicanda populo Christiano est vtraque panis scilicet, ac vini consecrati species, eiusque communio, eo modo, quo in tractatu de vtraque admirabilis Eucharistiæ specie docebimus, qui breui in lucem edetur. Interim legendus est ea de re Alphonsus de Castro, titulo de Eucharistia, hæresi vltima, aut si quis alius (multi enim de hoc argumento scripserunt) in promptu fuerit.

QVO TEMPORE, AC QVO modo sanctißimum Eucharistiæ Sacramentum à laicis capiendum sit.

CAPVT · VNDECIMVM.

QVILIBET Parochus clientes suos monebit, Christianum hominem, quàm primum sapere cœperit, si sit animo parato, ac rebus necessariis instructo, quotidie sanctissimo Eucharistiæ cibo vesci posse. Quod si fiat, D. Augusti- *Frequens communio laudanda.*

num nec probare, nec damnare, sed tamen diebus Dominicis saltem omnes ad hoc cõuiuium ineundum hortari, dummodò mente casta, ac pura, ab omniquе scelerum cogitatione aliena in eo versentur. Nam si propensa adhuc ad peccandum voluntate sint, magna illis ex hoc facto non lucri, sed detrimenti fiet accessio, adhæresceteque magis in sordibus, tanquàm in visco animus, quàm splendeat. Si quis verò neque dies Dominicos cogitet, ter tamen quotannis id fieri decere, diebus scilicet Paschatis, Pentecostes, ac Natalis Domini. Prætereà licet olim ij in Christianorum numerono non haberentur, qui tribus illis festis diebus Eucharistiam non cepissent, nihilominus tamen Ecclesiam Catholicam, grauissimas, iustissimasque ob causas, conscripsisse edictum cum pœna, ac iudicio, vt vtriusque sexus Christiani homines, qui id ætatis iam essent, vt bona possent ac mala discernere, si tribus illis diebus nolint, semel quotannis saltem, hoc est, feriis Paschalibus, CHRISTI corpore vescantur; quam in rem illa sunt Tridentini Concilij verba: Si quis negauerit, omnes & singulos Christi fideles vtriusque sexus, cùm ad annos discretionis peruenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum, iuxta præceptum sanctæ matris Ecclesiæ, anathema sit.

Cap. 53. de Ecclesi. dogm. Et de cõs. d. 2.

De cons. d. 2. c. Etsi non.

De cons. d. 2. c. Seculares. Et c. Omnis homo.

De pœn. & remiss. c. Omnis vtriusq.

Sess. 13. canon. 9. de sacrosancto Eucharistiæ Sacramento.

Explicatio tẽporis Paschalis quãtum attinet ad præceptũ communionis.

Quod verò ad hoc præceptum spectat, tempus Paschale duas hebdomadas secundùm Eugenij IIII. explicationem continere: ita, vt si quis septem illis diebus, qui Dominicam Paschalem proximè aut prçcedunt, aut consequuntur, Eucharistiam capiat, Ecclesiæ imperio fecisse satis dicatur. Cuius tamen neglecti reus nõ est appellandus is, qui non in contemptum vel præcepti, vel Ecclesiæ (quod mortale crimen esset, ac graue scelus) sed

De pœn. & remiss. c. d.

ſed magna ratione, deque Sacerdotis ſui conſilio in aliud tempus hanc communionem reiecerit.

Præcipiat autem omnibus (ægrotis tamen exceptis) ne Sacerdotem Euchariſtię gratia adeant, niſi ieiuni ſint, ab omnique hæreſi, ſchiſmate, ſimonia, excommunicatione, hiſtrionica, magica, concubinatu, vſura, aliiſque prauis actionibus alieni, atque ſuam non fide ſolùm ac contritione, ſed confeſſione etiam, & ſatisfactione probârint conſcientiam, ſecundùm illud Apoſtoli: Probet autem ſeipſum homo, vt de pane illo edat, & de calice bibat: quia, qui manducat & bibit indignè, iudicium (hoc eſt, damnationem) ſibi manducat & bibit, nõ diiudicans corpus Domini. Cuius rei rationem in medium affert D. Ioan: Chryſoſtomus, cùm ait: Sicut corporalis cibus, dum ventrem inuenerit, aduerſis humoribus occupatum ampliùs lædit, magiſque nocet, & nullum præſtat auxilium; ita & hic ſpiritualis cibus, ſi aliquẽ reperit malignitate pollutũ, magis eum perdet, non ſui natura, ſed accipientis vitio. A quo, ſi adeundi Confeſſarij poteſtas fiat, non niſi Sacramentali cõfeſſione abſolui poteſt. Hinc illa ſunt Tridentini Concilij verba: Si non decet ad ſacras vllas functiones quempiã accedere, niſi ſanctè, certè quò magis ſanctitas & diuinitas cœleſtis huius Sacramenti viro Chriſtiano comperta eſt, eò diligẽtiùs cauere ille debet, ne abſq; magna reuerentia, & ſanctitate ad id percipiẽdum accedat, præſertim cùm illa plena formidinis verba apud Apoſtolũ legamus; Qui mãducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Dñi. Quare communicare volenti reuocandũ eſt in memoriã eius pręceptũ; Probet ſeipſum homo. Eccleſiaſtica aũt conſuetudo declarat, eam probationẽ neceſſariam eſſe, vt nullus ſibi cõſcius mortalis peccati, quantumuis

[Margin notes: De conſ. d. 2. c. Liquidò. — De conſ. d. 2. c. Pro dilectione. — 1. Cor. 11. — In cap. 11. primæ Corinth. — Seſſ. 13. c. 7. doctr. de Euch. cap. 7. de præparatione, q̃ adhibenda eſt, vt dignè quis ſacrã Euchariſtiam percipiat. — Tantùm ieiuni cõmunicent. — Ad communionẽ ſanctè accedẽdum.]

Cõmunioni præmittēda confeßio.

tumuis sibi contritus videatur, absq; præmissa Sacramentali cõfessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat; quod à Christianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc sancta Synodus perpetuò seruandũ esse decreuit, modò nõ desit illis copia Confessarij; quòd si necessitate vrgente Sacerdos absq; præuia confessione celebrauerit, quamprimùm cõfiteatur. Et paulò pòst: Si quis dixerit, solã fidem esse sufficientem præparationem ad sumendum sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentũ, anathema sit. Et ne tãtum Sacramētum indignè, atq; ideo in mortem & condemnationē sumatur, statuit, atq; declarat ipsa sancta Synodus, illis, quos conscientia peccati mortalis grauat, quantũcunq; etiam se contritos existiment, habita copia Confessarij, necessariò præmittendam esse confessionem Sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publicè disputãdo defendere præsumpserit, eo ipso excommunicatus existat. *Ibidem Can. 11.*

Varij modi sumēdi Eucharistiam.

Vt autem communicaturi meliùs circa supradicta instruantur, proponi etiam illis debent tres modi, quibus homo hoc sacratissimum Eucharistiæ Sacramentum sumere potest. Sacramentaliter tantùm; spiritualiter tantùm, & Sacramentaliter ac spiritualiter simul; qui sanè modi à sacrosancta Synodo Tridentina quàm appositè tradũtur his verbis: Quoad vsum aũt rectè ac sapiēter Patres nostri tres rationes hoc sanctũ Sacramētum accipiendi distinxerũt. Quosdam eñ docuerunt, Sacramentaliter dũtaxat id sumere, vt peccatores; alios tantùm spiritualiter, illos nimirum, qui voto propositum illum panem cœlestem edentes fide viua, quæ per dilectionem operatur, fructum eius, & vtilitatem sentiunt; tertios porrò Sacramentaliter simul & spiritualiter; hi autem *Sess. 13. cap. 8. De vsu admirabili Sacramenti Eucharistiæ.*

sunt,

ſunt, qui ita ſe priùs probant & inſtruunt, vt veſtem nuptialem induti, ad diuinam hanc menſam accedant. In Sacramentali autem ſumptione ſemper in Eccleſia mos fuit, vt Laici à Sacerdotibus communionem acciperent: Sacerdotes autem celebrantes ſeipſos communicarent: qui mos tanquàm ex traditione Apoſtolica deſcendens, iure ac meritò retineri debet. Demum autem paterno affectu admonet ſancta Synodus, hortatur, rogat, & obſecrat per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, vt omnes & ſinguli, qui Chriſtiano nomine cenſetur, in hoc vnitatis ſigno, in hoc vinculo charitatis, in hoc concordiæ ſymbolo iam tandem aliquando conueniant, & concordent, memoreſque tantæ maieſtatis, & tā eximij amoris Ieſu Chriſti, Domini noſtri, qui dilectam animam ſuam in noſtræ ſalutis pretiū, & carnem ſuam nobis dedit ad manducandum; hæc ſacra myſteria corporis & ſanguinis eius, ea fidei conſtantia, & firmitate, ea animi deuotione, ea pietate, & cultu credant, & venerentur, vt panem illum ſuperſubſtantialem frequenter ſuſcipere poſſint, & is verè eis ſit animæ vita & perpetua ſanitas mentis; cuius vigore confortati, ex huius miſeræ peregrinationis itinere ad cœleſtem patriam peruenire valeant, eundem panem Angelorum, quem modò ſub ſacris velaminibus edunt, abſque vllo velamine manducaturi.

De conſ. d. 2. c. Omnis. quod ex Conc. Eliberino de ſumptum eſt.

Admonitio ad coniuges communicaturos.

Coniuges quoque doceantur, ne antequàm ſacram Euchariſtiam capiant, trium, aut quatuor, aut ſeptem etiam dierum ſpatio cubile ineant. Quòd ſi quis inter dormiendum ſparſo ſemine corpus ſuum polluerit, ipſeque ſibi hanc dederit anſam, aut animi impotentia atq; effœminata quadam corporis mollicie, aut immo-

derata commessatione, viniq́ue crapula, aut aliis quibuscunque de causis, commonendus est, vt hoc cibo se abstineat.

QVIBVSNAM PAROCHI *hoc venerabile Sacramentum dare debeant, quibusué negare.*

CAPVT DVODECIMVM.

Alienum in Paschate nemo communicet.

ALIENÆ Parochiæ hominem, nisi à Parocho, alioué Superiore ei permittatur, aut mortis immineat periculum, Sacerdos nullus ad Eucharistiæ Sacramentum admittat.

Excommunicati à cõmunione excludendi.

Hæresi, aut Schismate à numerò Christianorum segregatis, vel excommunicatis omnis ad hoc conuiuium intercludatur aditus. Cau. 1. q. 1. c. Reperiuntur.

Varij à communione arcendi.

Arceantur ab hac mensa omnes vitiorum dedecore infames: quales sunt fures, meretrices, raptores, lenones, aleatores, histriones, circulatores, fœneratores; magiæ, concubinis, simoniæ addicti, singulari certamine depugnantes, alijq́ue, qui publicè pessimè audiunt: quibuscum versari nos, cibumq́ue capere prohibet Apostolus; nisi non obscurum mutatæ voluntatis argumentum dederint. De Consec. d. 2. c. Pro dilectione. Glos. 1. q. 5. c. Monomachicam 1. Cor. 5.

Quales ob indispositionem corporis non sint admittendi.

Illi, qui ieiuni non sunt, captumué cibum retinere non possunt, aut ad vomendum procliui videntur esse natura, admitti pariter non debent. Nec tamen impedimento fuerit ad Eucharistiam, si cui os abluenti aliquid De Consec. d. 2. c. Liquidò. & 7. q. 1. c. Nihil.

quid cibi manſi, quod inter dentes hæſerit, aut parum humiditatis aquæ caſu, vel per imprudentiam in ſtomachum illabatur, cùm præter voluntatem id factum ſit. Quòd ſi quis cibum ante mediam noctem guſtârit, ſeu poſteà dormiat, ſeu vigilet, hac eſca veſci poteſt; ſin à media nocte, nequaquam, niſi periculum mortis immineat. Item delirantes, fatui, dementes, ac quoquo modo inſani, præſertim quibus lucida deſunt interualla, vt interdum ad ſe redire, ac confiteri poſſint. Quòd ſi quis fanaticus, aut mentis vitio furens, lucida quandoque interualla habeat, ac tum religioſè Euchariſtiam petat, etiam ſi furor, qui cōſediſſe videbatur, hominem inuadat, Euchariſtiam capere poteſt, niſi de vomitionis, ſputi, alteriusué dedecoris periculo pertimeſcatur, id quod plerumque contingere ſolet.

Ex D. Aquinate 3 p. q. 80. ar. 8. Quintum.

Qui ob defectum iudicij excludendi.

Cau. 26. q. 6 c. Is, qui.

Item pueri, ac puellæ rationis vſu carentes, quos nulla obligari neceſſitate ad Sacramentalem Euchariſtiæ communionem, Tridentini Concilij acta teſtantur; ſiquidem per Baptiſmi lauacrum regenerati, & Chriſto incorporati, adeptam iam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non poſſunt. Neque ideo tamen damnanda eſt antiquitas, ſi eum morem in quibuſdam locis aliquando ſeruauit: vt enim ſanctiſſimi illi Patres ſui facti probabilem cauſam pro illius temporis ratione habuerunt; ita certè eos nulla ſalutis neceſſitate id feciſſe ſine controuerſia credendum eſt. Quæ verò ætas idonea ad rationis vſum in pueris ac puellis ſtatuenda ſit, cū quidam celeriores ingenio, quidam tardiores reperiantur, id parentum, Cōfeſſarijque iudicio relinquitur: qui cautè tamē agere in eo debent, veterem, ac laudatam venerabilis Eccleſiæ conſuetudinem ſe-

Seſſ. 21 c. 4. doctr. de com. ſub vtraque ſpecie & paruulorum.

quentes, quæ plerumque admittit neminem, nisi annum circiter decimum tertium attigerit.

Sunt alia quoque conscientiæ impedimenta, sed quę secretissima sint atque occultissima; quibus se quisque sacra Eucharistia indignum iudicare debet, vt qui mortale peccatum admissum confiteri erubescit, aut ab eo animum non vult abducere.

Aliis autem omnibus, qui Sacramenti huius possunt esse participes, dæmoniacis etiam, leprosis, morbo gallico laborantibus, iisque, quibus vis aliqua inualetudinis, aut labia excedit, aut consumpsit dentes, si illud animo priùs parato, & optimè affecto petăt (nisi quid aliud obstet) est illico dandum, neminiq; publicè præsertim postulanti negandum, etiamsi peccatis constrictum (occultè tamen) teneri sciat; cùm Christus inter Apostolos Iudam quoque mensæ suæ conuiuam adhibuerit, quem sanguinis sui proditorem esse sibi certò constabat. Sed tamen clam monebit hominem, aut vniuersim omnes, neminem suo appellăs nomine, ne quis, nisi antea fuerit Ecclesiæ per peccatorum suorum confessionem reconciliatus, ad aram pro Eucharistia accedat. Hinc D. ait Augustinus: Non prohibeat dispensator manducare pingues terræ in mensa Domini: sed exactorem moneat timere. Et alibi: Nos à communione quenquam prohibere non possumus, nisi aut spontè confessum, aut in aliquo iudicio Ecclesiastico, vel seculari nominatum, atque conuictum.

Ob quos nă corporis defectus communio non sit negăda.

Extra. de off. Iu. or. c. si Sacerdos.

In Psal. 48. concione 1. Et de Cō. d 2.

D. Aug. in cap 5. 1. Cor.

a Can. 13. q. vlt. c. Quęsitum. Et de pœn. & remiss ca. 1. . In Clem.

a Capitis item supplicio damnatis, si sanctè, si religiosè, si piè, si animo parato efflagitent, sacra potest præberi Synaxis.

Ad mortem damnatis non est neganda communio.

QVO

QVOMODO PASCHATE, vel aliis diebus Euchariſtia ſecundùm veterem, laudatamq́ Eccleſiæ Catholicæ conſuetudinem Laicis diſtribuenda ſit.

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

SACERDOS hoc ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum Laicis daturus, ad rem diuinam faciendam ſe præparare debet, totque conſecrare particulas, quot populo ea de cauſa vnum in locum templi congregato ſatis eſſe poſſint. Facta autem re diuina, ſacris retentis veſtibus, accenſiſque cęreis: aut ſi ipſe tunc ſacra non factitârit, lineo ſuperpelliceo, ac ſtola indutus, ad eos, qui Chriſti corpus capturi ſunt, in aduerſam corporis partem ſeſe vertat, ſequentemque paulò pôſt, vel aliam eiuſmodi præfetur exhortationem, tunc maximè cùm frequens hominum adfuerit multitudo, qualis diebus Paſchalibus adeſſe ſolet, vt tanta Sacramenti dignitate, vi, fructuque cognito, maiori cōcurſu ac ſtudio omnes ad illud rapidè, crebroque ferantur. Quòd ſi venerabile Euchariſtiæ Sacramentum ad aliam aram deferre in animo habeat, eodem, quo ſuprà modo veſtitus, antè ad altare rebus omnibus neceſſariis inſtructū, apparatumque, omni cum grauitate, ac modeſtia, cum facibus aliis, aliis cum tintinnabulo præeuntibus deportabit, quàm concionem ad populum habeat

Ordo præbendi communionē.

QVID AB ÆDITVO AGI, & quid à Sacerdote in ministranda Eucharistia vitari oporteat.

CAPVT DECIMVM QVARTVM.

ANIMADVERTERE autem debet æditus, aut alius quicunque, qui eam prouinciam susceperit, vt astantes sacrã Synaxim accessuros, in eum ordinem adducat, ex quo neque in accessu, neque in epulis, neque in discessu, vlla oriatur confusio. Ne verò aliqua Eucharistiæ particula per errorem atque imprudentiam, aut Sacerdotis, aut communicantis, in terram decidat, mundum ante communicaturos linteum sternet. Quod vt fiat, à Parocho ipso multò antè curandum est: neque enim tum abest culpa, cùm Christi corpus negligenti quadam socordia, aut dantis, aut accipientis manu, vel ore lapsum humi iacet. De Consẽ d 2.c.Qui bene.

Caueat deinde Sacerdos, ne hostiam non consecratam loco consecratæ homini adulto, aut puero, valenti, aut ægroto, sano aut amenti, vel quomodocunque sancta Eucharistia indigno, enixè etiam petenti porrigat, aut porrigenti assentiatur, idue præcipiat; quia in veritatis Sacramento nihil fictum, nihil falsum, nihilq; commentitium esse debet, cùm adulterina, aut fucata remedia periculis ipsis deteriora sint, ac grauiora. Ex D.Th. opus:65.c. De Eucha. De celeb. Missæ C. De homine.

EXHOR-

EXHORTATIO DE SANctissimo Eucharistiæ Sacramento, ante Laicorum communionem habenda.

CAPVT DECIMVM QVINTVM.

SI ANIMO & cogitatione nos totos ad Deum Opt. Max. conuertimus, si atrocitatem, multitudinemque peccatorum nostrorum, quibus diuinum Numē offendimus, exem-
4. Reg. c. 20. plo Regis Ezechiæ cum dolore, cum gemitu, cum acerbitate perpendimus, si cœlestem misericordiam
Luc. 18. supplices captauimus, si lamentabili publicani Euangelici voce admissa crimina deplorauimus, proque ve-
Psal. 50. nia deprecati sumus, si cum vate à Deo, vt secundùm magnam misericordiam suam nostri misereatur, summis precibus efflagitauimus, si innocenti ac seuera vita nos ad bonam frugem (vt dicitur) recepimus, fore sperantes, vt benigniùs, ac clementiùs à Christo conscientiæ nostræ rationibus consulatur, si Sacramentali confessione à culpa expiati, internum hominem (vt monet
1. Cor. 11. Apostolus) syncerè, sanctèque probauimus, ne indignè edentes, ac bibentes, rei simus corporis ac sanguinis Domini: Si denique fideliter à Confessario imperata fe-
Luc. 22. 1. Cor. 11. cimus, sique hoc sacrosanctum corporis Christi Sacramentum ad eius memoriam sempiternam, vt Deus ipse præcepit, capere, ac gustare volumus, operæpretium
Matth. 26. Mar. 14. fuerit recordari, Christum tantum Eucharistiæ mysterium, dum postremò cum amicis cœnaret, instituisse,

corpus.

corpuſque ſuum ac ſanguinem diſcipulis, nobiſque itidem ſumendum, appoſuiſſe, atque æternam ſupplicij, mortiſque ſuæ memoriam, ad pœnæ remiſſionem, ad tranquillitatem animi imperâſſe. Illud quoque meminiſſe debemus, hanc ſalutarem pręteritorum Chriſti cruciatuum recordationem non modò in ſacroſancta Euchariſtia omnibus, ſed Sacerdotibus etiam, dum ſacra faciunt, diuino eſſe præcepto repetendam, vt D. Auguſtinus apertiſſimis verbis ſcriptum reliquit. Qui perindè vt Chriſtus ſemetipſum pro nobis in ara crucis acerbis atque cruentis modis ad mortem vſque obtulit; ita quoque repræſentat hodie Chriſtiana Eccleſia, & ſiſtit eundem Patri æterno, per Sacerdotem in ſacroſancto Miſſæ officio, idque nec cruentè, nec mortali quadam paſſione: vt is Pater cœleſtis ſemel peracti in cruce ſacrificij, perpeſſæ mortis, & effuſi ſanguinis filij ſui reminiſcatur, quem ea ipſa Eccleſia piè implorat, vt quod hic dilectiſſimus filius ſuus Dominus & Saluator noſter Ieſus Chriſtus in oblatione corporis & ſanguinis ſui, in crucis ſtipite pro nobis, quin pro toto mundo peregit, & impetrauit, id nobis per eiuſdem filij ſui præclara merita, vnà cum cæteris omnibus Chriſti mēbris fidelibus tam defunctis, quàm viuis, hodie ac deinceps perpetuò ſaluti & commodo eſſe velit. In hoc autem Sacramento ſe nobis totum Chriſtus tradit, nobiſcum ille præmia ſua communicat, nobiſcum prædā ex hoſte captam diuidit, nobis omnes diuitias, omnes opes, manubias, bona denique omnia impertitur; vt apud ipſum ea quæramus atque inueniamus, quæ nos propter imbecilles, fragileſque naturæ noſtræ conditiones præſtare de nobis non poſſumus; ſimul coniuncti, atque coagmentati in nobis ipſe, in ipſoque nos viciſſim

Luc 22. 1.Cor.11. Aug. in Epiſt. 59. ad Paulinum. de Conſ. d. 2. c. In Chriſto ſemel oblata. Magiſter ſent. lib. 4. d. 12. Rom. 6. 1. Ioan. 2. 1. Cor. 10. 1. Ioan. 4.

cissim perpetuò maneamus; capitis locum ipse, membrorum nos in vno corpore sortiamur; speciosissima mortis eius monumenta, ornamenta victoriæ, laudis, gloriæque insignia in animis nostris condamus ac collocemus; aduersùs quæcunque flagitia, ac peccata, vel grauia, vel leuia, certissimam meritis ipsius propè desperatæ saluti nostrę medicinam habeamus, pignusque per pœnitentiam, confessionem, ac satisfactionem criminum omnium impetratæ à DEO veniæ; vt diuinis aucti beneficiis meliorem semper vitæ Christianę cursum laudabiliter teneamus, ad virtutes excitemur, domesticos hostes in nostras acies infestis signis impetum facientes, totis viribus superemus, ac disperdamus; tandemque eo animi nostri, quasi quodam immortali pane ad illam beatam vitam alantur, qua cùm perfruentur, totius mũdi Dominum, molitoremque DEVM in summo diuinitatis suæ splendore sunt intuituri. Hæc est vis huius Sacramenti, hæc vtilitas, hi fructus, quos modò breuiter recensuisse sat est. At verò, cùm Eucharistiæ communio ad eos tantùm pertineat, qui per veram pœnitentiam, confessionem, ac satisfactionem scelera sua expiârunt, & noui induerunt hominis speciem; Deusque noster is sit, cui impietas maximè displiceat, nihilque arrideat, quod syncerum non est, integrum, atque omnibus virtutis numeris absolutum, ac perfectum; ex DEI præcepto, laudabilique Ecclesiæ Catholicæ consuetudine ad hanc veram Synaxim ij admittendi non sunt, qui aliquo mortali crimine constricti tenentur, atque in maleficiis os perfricuerunt, præsertim cum hæresi, aut schismate malè olentes reipublicæ Christianæ molesti sunt, vt qui vel dubitant, vel negant, corpus sanguinemque CHRISTI sub specie panis & vini contineri, aut

Luc. 22. Amb. lib. 5. de Sacram. Psalm. 16.

secundò, qui ab Ephesino Concilio damnatum, ac sopitum iamdiu errorem excitant, affirmantes corpus Christi sub specie panis, sub vini sanguinem solum, ac separatim esse; aut tertiò, qui cum Nestorio hæretico sentiunt, Eucharistiam sub vtraque specie omnino esse necessariam; perinde ac si minùs daretur sub vna, quàm sub vtraque. Quam opinionem secuti sunt & Hussitæ; Petro Dresensi, & Iacobello Misnensi, Præceptoribus, & post ipsos Lutherani.

Alfon. de hæresibus. titu. de Eucharistia. hæresi 4. & vltima. Tom. Caieta. in 3. p. D. Tho. q. 80 ar. 12.

Quamobrem vos sigillatim moneo, hortorque, vt certò credatis IESVM CHRISTVM in hoc venerabili Sacramento, vt verba eius rei ipsi fidem faciunt, præsentem adesse, ac sub vtraque specie totum CHRISTVM, indiuiduum corpus, sanguinem, diuinitatem, humanitatem, nihilque minùs sub vna includi. Item eandem vim, eosdemque fructus vtrinque capi, quemadmodum sacrosancta, & venerabilis Ecclesia semper docuit ac sensit. Ad hoc autem conuiuium tam formidolosum, pii, sancti, religiosi, timidi, supplicesque cum Centurione accedite, hanc eius vsurpantes orationem: Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum, sed verbo dic tantùm, & sanabitur anima mea.

Augustin. tract. 26. super Ioan. De consec. d. 2. c. Quid est Christ.

Matth. 8.

Posteaquàm verò Christi corpus ceperitis, vos pro his, aliisque innumeris beneficiis, aduersus DEVM Opt. Max. gratos ostendite, qui vos immenso quodam & immortali bono donauit; ad vos ille de cœlo est delapsus; in animis vestris sedem suam fixit, ac locauit; vobis panem diuinum, panem cœlestem, panem Angelorum dedit; vos carne sua, ac sanguine saturauit; curate, ne recens exceptum domi vestræ Dominum nouis conceptis peccatis, ac sceleribus iterum expellatis, néue posteriora

Ioan. 14.

Psal. 77.

Luc. 2. riora prioribus deteriora fiant. Quocirca mores vestros ita conformate, vt diuinæ voluntati, imperio, Ecclesiæque iussis toto vitæ tempore pareatis, adeò vt neque in hac mortali vita, neque in illa immortali à CHRISTO vnquàm separemini; Quod DEVS Christianis omnibus concedat per IESVM CHRISTVM Dominum nostrum. Amen.

Hac habita exhortatione, vel alia huic simili, seu multi, seu pauci Eucharistiam petant, ad aram genu nixos moneat, vt crucis signo antè muniti, hanc generalē peccatorum suorum recitent confesſionem.

GENERALIS DELICTORVM confeſsio, antequàm Eucharistiæ Sacramentum capiatur.

CAPVT DECIMVM SEXTVM.

EGO MISER, & indignus peccator, confiteor DEO omnipotenti, Beatæ MARIÆ semper virgini, beato Michaëli Archangelo, beato Ioanni Baptistæ, sanctis Apostolis, Petro & Paulo, omnibus Sanctis, & tibi Patri, atque vobis vniuersis, quia ab hora, qua peccare potui, vsque in præsentem diem, multis variisque peccatis deliqui, cogitatione, lo-

ne, locutione, opere, & omissione, contra DEVM, & proximum, siue sint illa occulta, siue manifesta, nota, vel ignota. Horum ergo omnium malorum meorum, quæ DEVS scrutator cordium solus noscit, conscius & reus, rogo ab eo veniam, & te Patrem, vosque circumstantes omnes, vt pro me miserrimo peccatore Patrem misericordiarum, quò mihi indulgeat vniuersa delicta mea, oretis precor.

Quam si nescierint, Sacerdos ipse cum illis lingua vernacula recitet, postque eis absolutione generali noxã omnem remittat.

ABSOLVTIO GENERALIS *cum consuetis precibus.*

CAPVT DECIMVM SEPTIMVM.

MISEREATVR vestri omnipotens DEVS, & dimissis omnibus peccatis vestris, perducat vos cum omnibus Sanctis suis in vitam ęternam. Amen.

Indulgentiam, absolutionẽ, & remissionem omnium peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotẽs & misericors Dominus. Amen.

Deinde Sacerdos recitet sequentes precationes, aut alias simiies pro consuetudine, ac formula Diœcesis.

℣ Domi-

℣ Domine exaudi orationem meam: *Preces post generalem absolutionẽ dicenda à Sacerdote.*
℟ Et clamor meus ad te veniat.
℣ Dominus vobiscum;
℟ Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Devs, cuius indulgentiam omnes rogamus, memento famulorum, famularumque tuarum, qui lubrica terreni corporis fragilitate nudati sunt; da quæsumus veniam confitentibus; parce supplicibus, vt, qui suis meritis accusantur, tua miseratione saluentur. Per Christvm, &c.

Orèmus.

Devs misericordiæ, Devs pietatis, Devs indulgentiæ; indulge quæso, & miserere his famulis & famulabus tuis, vt delictorum, quæ nobis coram te suo ore confessi aperuerunt, nulla in eis macula reseruetur in terris, & per pœnitentiæ luctum ad tua mereantur venire promissa. Per Christvm &c.

QVÆNAM IN COMMVNIcando populo seruare debeat Sacerdos.

CAPVT DECIMVM OCTAVVM.

Posthabc Sacerdos in auersam corporis partem ad astantes mutatus ante altare genua flectat, ac venerabile Sacramentum adoret, statimque particulas consecratas pate-

na omnes, oreque, ac vultu ad homines conuerso, manu vnam excipiat, ostendat; ac petat:

Iter. Num creditis in isto sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, verum, & integrum esse Seruatoris nostri Iesv Christi corpus, cum pretioso sanguine, anima, ac diuinitate?

℟ Credimus.

Tum precationem istam ter eos recitare iubeat:

Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum, sed tantùm dic verbo, & sanabitur anima mea.

Posteaquàm hæc verba semel, atq; iterum, ac tertiò recitata fuerint, Sacerdos Eucharistiam astantibus distribuere incipiat. Dum autem corpus Christi porrigit, in cõmunicantis faciem, hostia crucis signum faciat, inquiens:

Corpvs & sanguis Domini nostri Iesv Christi conseruet, & custodiat te in vitam æternam. Amen.

Sanguis enim cum corpore datur propter coniunctionem; quia non est corpus sine sanguine; atq; ideo Sacerdos, dum hostiam manu ori admouet, dicat: Corpus & sanguis, &c.

Distri-

Distributa in singulos Eucharistia detur ex vase aliquo potiùs, quàm ex calice vini ablutio, ne consecratum Domini sanguinem inesse putent; nisi ea fuerit loci consuetudo, vt calice vtendum sit. Tunc enim ministrorum vnus ad dextram altaris calicem linteo patera tenus inuolutum porrectis manibus ad bibendum sustineat, ex eoq; communicantes hauriãt, ne quid reliquiarum in ore hæreat.

Posteà supplices ad aram genua flectant, expectentque socios. Pro quibus omnibus cœlesti cibo iam saturatis, Sacerdos preces ad DEVM proximè sequentes adhibeat; vel alias harum loco, ex Agendario Diœcesis.

Preces post sacram cõmunionem recitandæ à Sacerdote.

℣ Ostende nobis Domine misericordiam tuam;
℟ Et salutare tuum da nobis.
℣ Dominus vobiscum;
℟ Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEVS, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuæ memoriam reliquisti, tribue quæsumus ita nos corporis & sanguinis tui mysteria venerari, vt redemptionis tuæ fructũ in nobis iugiter sentiamus, qui viuis & regnas per omnia secula seculorum. Amen.

Oremus.

Spiritum nobis Domine tuæ charitatis infunde, vt, quos Sacramentis Paschalibus satiasti, tua facias pietate concordes. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui &c.

Postre-

Postremò illis ita benè precetur:

Benedictio Dei omnipotentis Pa✠tris,& Fi✠lij,& Spiritus✠sancti, descendat super vos, & maneat semper. Amen.

Tandemq́;, si res diuina tunc facta est, Euangelium Ioannis recitet: In principio erat verbum, &c. quo recitato, domum omnes redeant.

QVIDNAM PAROCHIS POST generalem clientum suorum communionem præstandum sit.

CAPVT DECIMVM NONVM.

POSTEAQVAM Parochus sacra cliẽtes omnes Eucharistia saturârit, ex veteri Ecclesiæ Catholicæ more consecratas corporis Christi particulas, ac pro ægrotis in vase mundo atque eleganti conditas, loco eminenti, repagulisq́; clauso, cũ lampade asseruandas meminerit, clauesq́; sibi, aut Cooperatori suo, non item æditiuo habendas.

De conf. d. 2 c. Presbyter. quod & à Conc. Trid. renouatum & approbatũ est. Sess. 15. c. 6. decr. de Sacramento Eucharistiæ. Ext. de custod. Eucharistiæ, c primo.

Ne verò diuturnitate temporis, ac vetustate putrescant, ad minimum singulis mensibus mutandæ sunt, ac veteres quidem eo temporis spatio, quod inter sacrificij communionem, ablutionemq́ue digitorum intercedit, absumendæ; recentes autem earum loco custodiendæ.

Particula consecrata ad minimũ singulis mẽsibus mutanda.

Quòd

Quòd si per imprudentiam Parochi, ac negligentiam hostiæ conseruatæ putruerint (quam ob causam seueram pœnitentiam agere debet) communicantibus dandæ non sunt, sed cum aliis reliquiis sacris honorificè condendæ, donec ex sententia Ordinarij intelligat, quid eo in casu sit agendum. Idem de illis intelligendum etiam est, quas aliqui euomuerint, si denuò sine nausea capi non possint.

De conf. d. 2. c. Si quis per.

Is autem, qui propter ebrietatem, aut edacitatem, Eucharistiam foras proiecerit, si Laicus est, quadraginta: si Clericus, septuaginta; si morbo factum sit, & infirmus præcauere potuisset, septem duntaxat dierum pœnas luat.

De pœn. & remiss. c. Omnis vtriusque.

Animaduertendum quoque est illud non minùs diligenter, quàm superiora: an quis ex subditis prudens, ac sciens sacra Eucharistia vesci feriis Paschalibus noluerit, quem amicè monitum, nisi paruerit, acerrimè secundùm Canones puniat; si verò tumultus inde, aut seditio pertimescenda esset, nomen eius ad Ordinarium deferat, vt, quod ipse per se non potest, per alium saltem præstandum curet. Satis enim est Parocho, si pro viribus, quàm potest, operam nauârit.

Ea verò, quæ à Parochis curanda sunt, dum Eucharistia ad ægrotos deportatur, paulò pòst sigillatim explicabimus, cùm ea de re tractationem instituemus.

DE VISITATIONE Ægrotorum, & primò, quanam charitatis officia, ac munera visendis ægrotis tribuenda sint.

CAPVT PRIMVM.

CVM OMNES Christiani eos, qui aduersa valetudine laborant, debeant visitare, vt diuinæ benedictionis participes sint, secundũ illa Christi verba; Venite benedicti Patris mei, possidete paratũ vobis regnum à constitutione mundi: infirmus eram, & visitâstis me; tum Sacerdotes in primis plebem fidei suæ creditam, ac commissam, dum morbo est affecta, inuisere oporteat, eique pro viribus subuenire; Parochis excubandum est, vigilandumque, vt, cùm ex suis aliquos ægrotare quoquo modo accipient, eos sæpè (etiam non accersiti) salutandi, ac visendi causa conueniant; sin acciti (quod ab infirmorum coniunctis, familiaribus, & domesticis, quàmprimùm ægritudo inualescit, vel incipit, omnino debet fieri, vti etiam summus Pontifex Pius Quintus in quadam constitutione inferiùs subiuncta docet) eos multò magis nulla interposita mora, hilarique animo, & prompto adeant; ita vt illos non diuinis tantùm medicinis, hoc est, sanctissimis Sacramentis, sed verbo DEI etiam, vt CHRISTVS dederit, recreare possint. Quia verò oratio fidei saluabit infirmũ, & alleuiabit eum Dominus; Sacerdotes precationibus super ægrotos vtentur, eò maximè, quòd Iacobus Apostolus dicat: Infirmatur quis

Matth. 25.

Iac. 5.

Loco cit.

quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, vt orent super eum.

Vbi verò Sacerdos ægrotũ inuisurus, ipsius ædes, vel cubiculum ingreditur, in limine ipso pacẽ diuinam precetur, sic:

℣ Pax huic domui,

℟ Et omnibus habitantibus in ea.

Oremus.

Introeat quæsumus Domine Iesu Christe domum hanc sub nostræ humilitatis ingressu æterna felicitas, diuina prosperitas, serena lætitia, charitas fructuosa, sanitas sempiterna. Effugiat ex hoc loco accessus dæmonũ; adsint Angeli pacis, domumque hanc deserat effugata discordia; magnifica Domine super nos nomẽ tuum; benedic conuersationi nostræ; sanctifica nostræ humilitatis ingressum, qui sanctus & pius es, & permanes cum Patre, & Spiritu sancto, in secula seculorum. Amen.

Posteà decumbentis lectum accedat, eumque humaniter salutatum de pristina sanitate Dei beneficio recuperanda bene sperare, interimque omnia ad peccatorum suorum remissionem patienter ferre iubeat. Deinde vnam, aut alteram ex sequentibus precationibus super ægrotum ipsum oret. Postremò maximè, vbi intelliget morbum esse grauem ac pericu-

Quid Sacerdos agere debeat, vbi agroti cubiculum est ingressus.

periculosum, eundem non solùm hortabitur, sed etiam efficaci persuasione inducere conabitur (quod etiam decũbentis consanguinei, siue domestici facere debent, vti Pius V. in supracitata constitutione egregiè docet) ad peccatorum commissorum contritionem habendam, ac Sacramentalem confessionem faciendam, Christi saluatoris nostri exemplo in medium adducto, qui Paralytico ad se perducto priùs peccata dimisit, quàm sanitatem corporalem restituerit; quoniam teste D. Hieronymo, propter peccata diuersæ eueniunt corporum debilitates. Sermonem verò ad ægrotum habendum dirigere poterit, iuxta sequentem formulam.

Matth. cap. 9.

In d. cap. 9. Matth.

EXHOR-

EXHORTATIO AD PERfectam pœnitentiam, Dei amorem, patientiam morbi, peccatorumq́ confeßionem, ad ægrotum habenda.

CAPVT SECVNDVM.

PRÆPOTENS ille & clementiſſimus Deus, cuius proprium eſt miſereri, ac parcere, eximiam in vniuerſum hominum genus charitatem, incredibilemq́; miſericordiam, multis, maximisque rebus declarauit. Nam is, cùm ipſius inimici atque hoſtes eſſemus, filii ſui vnici caput, vitamq́ue pro noſtra ſalute, ac libertate, mortalium furori, inſaniæ, crudelitati, ferro, cruciatibus, mortis denique acerbiſſimæ ſupplicio obiecit, eiuſq́ue precioſiſſimo ac ſanctiſſimo ſanguine communem priſtinæ gratiæ reconciliationem fieri voluit, in quam nos equidem Baptiſmi beneficio ex inimicitiis recepti ſumus. Neque verò hic Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, bonæ gratiæ fontes clauſit, miſerationumq́ue ſuarum multitudinem quaſi cancellis quibuſdam, ac terminis definiuit; ſed cum peccatis ipſi noſtris, ac ſceleribus, ad interitum denuò ruerimus voluntariũ, vitamq́; ſpiritalem, in quam per Baptiſmi lauacrũ veneramus, cum perpetua morte (quantum in nobis eſt) commutauerimus, rei penè iam deſperatæ, pœnitẽtiæ adhibuit remedium; vt vel ita malis omnibus libe-

raremur, emergeremus à fluctibus seruitutis, à metu mortis respiraremus, atque ad beatæ vitæ spem, quasi luce libertatis recreati, reuiuisceremus. Ipse enim est, qui inclinantes extollit, afflictos excitat, erigit elisos; cuius benignitatem, & mansuetudinem, nisi tantam ego esse fatear, quantam mens humana capere non possit, impius sim necesse est. Non enim vult quenquam peruersitate lapsum, atq; in grauiori culpa positum, de venia desperare: quin potiùs plurimorum vatum oraculis per semetipsum iurauit; quoties nos pœnituerit, quòd eum offenderimus, se nobis propitium fore, iracundiamque omnem remissurum. Quid quòd Christus huc è cœlo delapsus est, vt peccantes vocaret ad pœnitentiam, saluosque faceret? Cùm itaque & tu frater in Christo dilectissime (nemo enim nostrum est, cuius vita culpæ sit expers) variè grauiterque in Deum Opt. Max. peccâris, leges, ac præcepta eius violâris, amplissimumque cœlestis hæreditatis patrimonium turpissimè dissipâris; nihil tibi antiquius debet esse, quàm vt animo ad pœnitentiæ Sacramentum adiecto, quo amissa immortalitatis bona recipiuntur; omnia cuiuscunque generis errata, quæ tibi in mentem venient, magno animi dolore apud Deum primò deplores, tum apud me quãquam indignum Ecclesiæ Catholicæ ministrum, Christique personam gerentem, syncerè ac perfectè confitearis, vt ab omni culpa absolutus, peccatorum veniam, quam tibi Christus pollicetur, impetrare, atque hoc diuino beneficio recreatus, à mœrore damnationis ad sempiternæ beatitudinis lætitiam caput extollere possis. Ne committas igitur, vt pudor quidam subrusticus te ab integra flagitiorum tuorum confessione auocet; quo quidam deterriti; non vt coram Deo turpiter labi

non

non verentur; ita ad consequendam impunitatem Sacerdotibus peccata sua confiteri non erubescunt; cùm tamen & hi homines sint, eademque, qua nos imbuti natura, non ad ludibrium, infamiamque, sed ad dãdam salutem, ac veniam, cõfessionem audire debeãt. Quod & me Christi nomine, imperio, atque autoritate facturum, ac saluti tuæ auxilium, opemque omnem allaturum spondeo. Quapropter aperias mihi animum tuum, ac delicta, quibus conscientia stimulatur, fateare; vt humili confessione, contritione vera, syncera absolutione Christi misericordiam captare, gratiæ assequi reconciliationem, pacemque denique diuinam impetrare possis.

Quid facere debet Sacerdos, completa exhortatione.

Hac exhortatione habita, si ægrotus tum promptum se ad confitendum præbeat, Sacerdos condicat decumbenti diem & horam, quæ ipsimet ægroto fuerint magis commoda, nisi periculum sit in mora, aut morbus longam non patiatur dilationem: tum enim persuadendũ est infirmo, vt quamprimùm confiteatur; quòd si eo ipso tempore dispositus videbitur, cæteris tantisper foras exire iubeat, donec eius confessionem audiêrit. In qua equidem ægro, qui vel morbo, vel imperitia, vel timore impeditur, ad enumeranda ac discernenda peccata, adiu-

adiumentum aliquod afferat. Proinde seruiat tempori, personæq; quæ habita ratione, doceat ex decalogo; quibus rebus maximè maiestas diuini Numinis offendatur, ac violetur; vt rebus necessariis instructus, faciliùs ad pœnitēdum, confitendumque inducatur. Cùm verò ægrotus loqui desierit, perfeceritque confessionem, Sacerdotis partes erunt, diffidentem cõfirmare, erigere afflictum, iacenti dexteram porrigere, salutarem malè affecto adhibere medicinam, debitas pœnas (nisi ægri impotentia aliud postulauerit) peccatis statuere, hominēque demum ab omni culpa absoluere, ea tamen absoluendi seruata formula, quam in Sacramento confessionis præfiniuimus, præsertim si ægrotus aliquo excommunicationis vinculo constrictus teneatur.

Quid Sacerdoti post decumbentis absolutionem facere conueniat.

Post absolutionem, quos ante fores expectare iusserat, iterum intromittat, atque in illorum præsentia aliam breuem adhortationem ad decumbentem habeat, qua

qua fides ipsius confirmetur, & animus partim ad veræ contritionis dolorem de peccatis habendum, partim ad amorem diuinum, partim etiam ad mortẽ constanter ac moderatè ferendam, vehementiùs inflammetur.

ALIA BREVIS EXHORTATIO post confeßionem habenda.

CAPVT TERTIVM.

CHARISSIME in Christo frater, pro his ac cæteris peccatis omnibus, toto vitæ tuę tempore admissis, acerbissimũ animo dolorem capere debes; quem si non sentis, diuinam supplicibus verbis implorato misericordiã, vt igne sancti Spiritus cor tuum frigidissimum veræ contritionis ardore accendere, atq; inflamare velit. Nam peccando Dei iracũdiam ac furorem in caput, perniciemque nostram prouocamus, atque æternæ vitæ amittimus hæreditatem: Deus autem non vult mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur, & viuat; ita enim per vatem dixit: Nunquid voluntatis meæ est mors impij, & non Ezech. 18.
vt conuertatur à viis suis, & viuat? ac paulò pòst: Cõuertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Quare nõ est cur animo cadas, aut de diuina benignitate, ac mise-

ricordia desperes, cùm Deus ad ignoscendum, parcendumque paratissimus sit. Promptior est ille ad dandam veniam, quàm nos ad petendam deprecandamque. Libentiùs dat Deus (inquit D. Gregorius Nazianzenus) quàm alij acceptent. Quocirca hanc saltem mentem constanter suscipe, vt è vitiorum cœno emersus, ad bonam frugem te recipias. Nam vt dereliquerit impius viam suam, ac vir iniquus cogitationes suas, ad Dominumque conuersus fuerit, Deus illum ad se reuertentem data dextera excipiet. Estque maius gaudium in cœlo, super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta nouem iustis. Vt verò Deus promeritas pœnas à capite tuo auertat, ac tui misertus criminum det veniam, cùm te supplicem, ac deprecantem intuetur, debes pœnitentiam tibi à me pro peccatis cõstitutam, æquo animo sufferre, ac diligenter exequi, quantumque in te est, te ipsa declarare. Postremò cura in posterum, vt animam precibus, eleemosynis, frugalitate, sanctimonia, religione, aliisque piis actionibus exerceas, atque virtutes vitiorum locum occupent.

In oratione in sanct. lauacrum.

Quòd si ægrotus nec sua sponte, neque Sacerdotis, aut aliorum piorum astantium hortatu & admonitione permoueri queat ad faciendam confessionem Sacramentalem, significetur medico, vt illũ inducere studeat; quilibet enim medicus sub præcepto hoc præstare tenetur, vt patet ex sequentibus decretis Innocentij III & Pij V.

Quid sit agendum, si ægrotus nullo modo ad confessionem possit induci.

DECRE-

DECRETVM PRO MEDICIS *infirmos curantibus.*

CAPVT QVARTVM.

Medici ad infirmos vocati imprimis ad medicinam spiritualem eos hortētur.

Innoc. 3. in Con. generali, & habetur de pœnitentiis & remiss. cap. 13.

CVM infirmitas corporalis nonnunquàm ex peccato proueniat, dicente Domino lāguido, quem sanauerat; Vade, & ampliùs noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat: præsenti decreto statuimus, & districtè pręcipimus Medicis corporū, vt, cùm eos ad infirmos vocari cōtigerit, ipsos ante omnia moneant, & inducant, vt Medicos aduocent animarum, vt, postquàm fuerit infirmo de spirituali salute prouisū, ad corporalis medicinæ remedium salubriùs procedatur, cùm causa cessāte, cesset effectus. &c. Si quis autem Medicorum huius nostræ cōstitutionis, postquàm per Prælatos locorum fuerit publicata, trangressor extiterit, tam diu ab ingressu Ecclesiæ arceatur, donec pro transgressione huiusmodi satisfecerit conpetenter.

Medici hoc præceptum transgredientiū pœna.

In quo casu excusentur Medici, vbi iuxta decretum non egerint.

Excusari autem credimus Medicum, si prima vice ad ægrotum vocatus, remedium pro recuperanda sanitate priùs dederit, quàm ad confessionem inducere studuerit, præsertim vbi cum morbo coniunctum vitæ periculum esse videtur, si modò ante discessum confessionis decumbentem admoneat, ac pro suo conatu inducat. Ne verò quispiam se prorsus excusatum existimet, afferens, quòd prædictum decretum fuerit iam per contrariam consuetudinem abrogatum; dicimus huiusmodi consuetudinem esse corruptelam bonorum morum,

& nihil momenti habere; eamque ob cauſam Pius V. recentis memoriæ, ne huiuſmodi excuſationi vllus relinqueretur locus, ſupradictum decretum renouauit, & approbauit, his verbis: Supra gregem Dominicum, noſtræ vigilantiæ diuinitùs creditum, vigilis, ſpeculatoris, pro vt nobis deſuper conceditur, exercentes officium, ad ea, per quæ animarum ſaluti cum diuini nominis gloria conſuli valeat, libenter intendimus, vt Christi fideles, poſt Baptiſmum in peccata lapſi, per ſacramentum Pœnitentiæ Deo reconcilientur. Sanè cùm infirmitas corporalis nonnunquàm ex peccatis proueniat, dicente Domino languido, quem ſanauerat: Vade, noli ampliùs peccare, ne quid deterius tibi cõtingat; ac propterea prouidè fel. rec. Innocentius tertius, prædeceſſor noſter, Medicis præcepit, vt, cùm eos ad ægrotos vocari contigerit, ipſos ante omnia moneant, vt animarum Medicos vocent, ne, cùm eis hoc in extrema ægritudine conſtitutis ſuadetur, in deſperationis articulum incidant. Nos igitur volentes hoc tam ſalutare præceptum nulla temporis præſcriptione aboleri, ſed ſemper obſeruari, conſtitutionem præfatam autoritate Apoſtolica tenore præſentium innouamus, & hac noſtra in perpetuum valitura conſtitutione ſtatuimus, & decernimus; quòd omnes Medici, cùm ad infirmos in lecto iacentes vocati fuerint, ipſos ante omnia moneant, vt idoneo Confeſſori omnia peccata ſua iuxta ritũ S. R. E. confiteantur, neque tertio die vlteriùs eos viſitent, niſi longius tempus infirmo Confeſſor ob aliquam rationabilem cauſam, ſuper quo eius conſcientiam oneramus, conceſſerit, & eis per fidem Confeſſoris in ſcriptis factã conſtiterit, quòd infirmi, vt præmittitur, peccata ſua confeſſi fuerint. Coniunctos verò, ac omnes familiares & do-

Cõſtitutio Pij V. à Medicis obſeruanda. Dat. Romę apud S. Petrum die 8. Martij, 1566. Pont. ſui anno primo.

Innouatio ſupradicti decreti adiuncta declaratione.

& domesticos infirmi in Domino rogamus & monemus, vt de infirmitate Parochum certiorem faciant, ac tam Parochus, quàm coniuncti & familiares præfati, infirmum ad confessionem peccatorum suadeant & inducant. Quòd si qui Medicorum præmissa non obseruauerint, vltra pœnas in dicta constitutione contentas, quas incurrere declaramus, perpetuò sint infames, & gradu Medicinæ, quo insigniti erant, omnino priuentur, & à Collegio, seu Vniuersitate Medicorum eiiciantur, ac pœna etiam pecuniaria arbitrio Ordinariorum, vbi deliquerint, mulctentur. Et, vt hæc omnia inuiolabiliter obseruentur, volumus, & eadem autoritate præcipimus & mandamus, vt nullus posthac vbique locorum in Medicina doctoretur, aut ei quomodolibet medendi facultas à quouis Collegio & Vniuersitate concedatur, nisi omnia in præsenti nostra constitutione contenta medio eorum iuramento coram Notario publico, & Testibus obseruare in eorum manibus, vel ordinarij iurauerint: & de huiusmodi iuramento in priuilegio, seu licentia medendi specialis mentio fiat. Quòd si Collegia, & Vniuersitates præfatæ non recepto à promouendis iuramento huiusmodi, eosdem ad gradum prædictum promouerint, aut eisdem medendi licentiam præstiterint, pœnam priuationis facultatis alios vlteriùs doctorandi incurrant. Mandantes in virtute sanctæ obedientiæ omnibus & singulis venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis, quatenus in ciuitatibus, & Diœcesibus propriis præsentes nostras literas publicari faciant, ac iuramentum prædictum à Medicis iam promotis, seu licentiam medendi habentibus, omnibus iuris remediis exigant, neque aliquos ad medendum in ciuitati-

bus & Diœcesibus prædictis admittāt, nisi eis constiterit, eosdem iuramentum huiusmodi præstitisse, & contumaces & iurare, ac iuramentum huiusmodi iam præstitum exhibere recusantes, gradu Medicinæ & omnibus priuilegiis eisdem Medicis, tam coniunctim, quàm diuisim, eis, & eorum cuilibet concessis per quosuis etiam Romanos Pontifices priuent, ac ab ingressu Ecclesiæ arceant, donec resipuerint. Non obstantibus præmissis, priuilegiis, indultis, literis Apostolicis, quibusuis personis Collegio & Vniuersitati sub quibusuis verborum formis & tenoribus concessis. Quę omnia quoad effectum validitatis constitutionis nostræ tantùm reuocamus, cassamus, & annullamus, & omnes Principes seculares, ac alios Dominos & Magistratus temporales rogamus, requirimus, & obsecramus per viscera misericordiæ Iesu Christi, eisdem in remissionem peccatorum nihilominus iniungentes, quòd in præmissis omnibus eisdem Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis assistant, & suum fauorem & auxilium præstent, ac contrafacientes pœnis etiam temporalibus afficiant.

Medici suggerentes infirmis saluti animæ contraria excommunicandi.

Cæterū, cùm anima sit multò preciosior corpore, sub interminatione anathematis prohibemus, ne quis Medicorum pro corporali salute aliquid ægroto suadeat, quod in periculum animæ conuertatur.

Ex d. præcepto Innoc. 3. quod habetur in d. c. 13. de pœ. & remiss. in fi.

PRE-

PRECES SVPER ÆGROS recitandæ.

CAPVT QVINTVM.

℣ ADIVTORIVM noſtrum in nomine Domini;
℟ Qui fecit cœlum & terram.
℣ Dominus vobiſcum;
℟ Et cum ſpiritu tuo.
℣ Sequentia ſancti Euangelij ſecundùm Matthæum.
℟ Gloria tibi Domine.

Dum hæc poſtrema verba Sacerdos pronũciat, ſigno crucis ſe in fronte, ore, ac pectore muniat, itemque ægrotum, ſi mas ſit; ſin fœmina, ipſamet per ſe eodem tẽpore, quo Sacerdos hoc idem præſtabit.

Matth. cap 8. In illo tempore. Cùm introiſſet Ieſus Capharnaum; acceſſit ad eum Centurio, rogans eum, & dicens: Domine puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur. Et ait illi Ieſus: Ego veniam, & curabo eum. Et reſpondens Centurio ait: Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum, ſed tantùm dic verbo, & ſanabitur puer meus. Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites; & dico huic, vade, & vadit; & alij veni, & venit; & ſeruo meo, fac hoc, & facit. Audiens autem Ieſus miratus eſt, & ſequentibus ſe dixit; Amen amen dico vobis; non inueni tantam fidem in Iſraël. Dico autem vobis, quòd multi ab oriente, & occidente venient, & recumbent cum Abraham & Iſaac, *Euang. Matth de curatione pueri Cẽturionis à paralyſi.*

& Isaac, & Iacob in regno cœlorũ: Filij autem regni eiiciẽtur in tenebras exteriores; ibi erit fletus & stridor dẽtium. Et dixit Iesus Centurioni: Vade, & sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer eius ex illa hora.

Oremus.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui benedictionis tuæ gratiam ægris infundendo corporibus, facturam tuam multiplici pietate custodis: ad inuocationem nominis tui benignus assiste: ut famulũ tuum, vel famulam tuam, ab ægritudine liberatum, vel liberatam, & sanitate donatum, aut donatam, dextera tua erigas, virtute confirmes, potestate tuearis, atque Ecclesiæ tuæ sanctæ cum omni desiderata prosperitate restituas. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Vel hoc aliud.

℣ Sequentia sancti Euangelij secundùm Marcum.
℟ Gloria tibi Domine.

In illo tempore. Recumbẽtibus vndecim discipulis, apparuit illis Iesus, & exprobauit incredulitatem illorum, & duritiam cordis, quia his, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. Et dixit eis: Euntes in vniuersum mundum prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur. In nomine meo dæmonia eiicient; linguis loquentur nouis; serpentes tollent. Et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Super ægros manus imponent, & bene habebunt. Et Dominus quidem Iesus, postquàm locutus est eis, assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei. Illi autẽ profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis. Mar. cap. 16.

Euang. Mar. de potestate Apostolis eorumq; Successoribus tradita ad dæmonia eiicienda & infirmitates curandas &c.

Ore-

Oremus.

Virtutum cœlestium Devs, qui ab humanis corporibus omnem languorem, & omnem infirmitatem præcepti tui potestate depellis; adesto propitius huic famulo tuo, vel famulæ tuæ; vt fugatis infirmitatibus, & viribus receptis, nomen sanctum tuum instaurata protinus sanitate benedicat. Per Christvm Dominum nostrum. Amen.

Vel hoc aliud:

℣. Sequentia sancti Euangelij secundùm Lucam;
℟. Gloria tibi Domine.

Luc. cap. 4. In illo tempore: Surgens Iesvs de Synagoga, introiuit in domum Simonis: Socrus autẽ Simonis tenebatur magnis febribus, & rogauerunt illum pro ea. Et stans super illam imperauit febri, & dimisit illam. Et continuò surgens ministrabat illis. Cùm sol autem occidisset; omnes, qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum. At ille singulis manus imponens, curabat eos.

Euang. Lucæ, de curatione socri Simonis à febri, & diuersorum aliorum à variis languorib⁹ per impositionẽ manuum.

Oremus.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Devs, qui fragilitatem humanæ conditionis infusa virtutis tuæ dignatione confirmas; vt salutaribus remediis corpora nostra, & mentes vegetẽtur, super hunc famulum tuum, vel famulam tuam, propitius intẽde: vt omni necessitate corporeæ infirmitatis exclusa, gratia in eo, vel ea pristinæ sanitatis perfecta reparetur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Vel hoc aliud:

℣ Sequentia sancti Euangelij secundùm Lucam;

℟ Gloria tibi Domine.

Euang. Lucæ de virtute & potestate Apostolis tradita, pro expellendis dæmoniis & curandis infirmis.

Luc cap. 9.

In illo tempore, conuocatis IESVS duodecim Apostolis, dedit eis virtutem & potestatem super omnia dæmonia; & vt languores curarent. Et misit illos prædicare regnum DEI, & sanare infirmos. Et ait ad illos: Nihil tuleritis in via, neq; virgam, neq; peram, neq; panem, neq; pecuniã, neq; duas tunicas habeatis. Et in quamcũq; domum intraueritis: ibi manete; & inde ne exeatis. Et quicunq; nõ receperint vos: exeuntes de ciuitate illa, etiam puluerem pedum vestrorũ excutite in testimonium supra illos. Egressi autem circumibant per castella euangelizantes, & curantes vbique.

Oremus.

Omnipotens sempiterne DEVS, salus æterna credẽtium, exaudi nos pro infirmo famulo tuo N. vel infirma famula tua N. pro quo, vel qua, misericordiæ tuæ imploramus auxilium; vt reddita sibi sanitate, gratiarum tibi in Ecclesia tua referat actiones. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Vel hoc aliud:

℣ Sequentia sancti Euangelij secundùm Ioannem;

℟ Gloria tibi Domine.

Euang. Ioã. de probatica piscina.

Ioan. ca. 5.

In illo tempore erat dies festus Iudæorum, & ascẽdit Iesus Hierosolymam. Est autem Hierosolymis ꝓbatica piscina, quæ cognominatur Hæbraicè Bethsaida, quinq; porticus habẽs. In his iacebat multitudo magna languẽtium, cæcorũ, claudorum, aridorum, expectãtium aquæ motum. Angelus autem Dñi secundùm tempus descendebat in piscinã, & mouebatur aqua. Et, qui prior descendebat

debat in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat, à quacunq; detinebatur infirmitate. Erat autem quidam homo ibi, triginta & octo annos habẽs, in infirmitate sua. Hunc cùm vidisset Iesus iacentẽ, & cognouisset, quia iam multum tempus haberet, dixit ei: Vis sanus fieri? Respõdit ei languidus: Domine, hominem non habeo, vt, cùm turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam. Dum venio enim ego, alius ante me descendit. Dixit ei Iesus: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Et statim sanus factus est homo, & sustulit grabatum suum, & ambulabat. Erat autem Sabbatum in die illa. Dicebant ergo Iudæi illi, qui sanatus fuerat; Sabbatum est, nõ licet tibi tollere grabatum tuum. Respondit eis: Qui me sanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum & ambula. Interrogauerũt ergo eum: Quis est ille homo, qui dixit tibi: Tolle grabatum tuum & ambula? Is autem, qui sanus fuerat effectus, nesciebat, quis esset. Iesus autem declinauit à turba constituta in loco. Posteà inuenit eum Iesus in templo, & dixit illi: Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat.

Oremus.

Respice Domine famulum tuum, aut famulã tuam, in infirmitate sui corporis laborantem; & animam refoue, quam creâsti: vt castigationibus emendata, continuò se sentiat tua medicina saluatam. Per Christum &c.

Licet plura præscripta sint Euangelia super infirmos recitanda, non tamen debet Sacerdos omnia super vnumquemq; recitare, sed vnum duntaxat, quod maluerit, ita vt quandoq; vnum, quandoque verò

aliud legere possit. Quo finito, sequentem recitabit Antiphonam cum adiunctis versiculis & collectis.

Antiph. MEDIA vita in morte sumus, quem quærimus adiutorẽ, nisi te Domine, qui pro peccatis nostris iustè irasceris. Sancte Deus, sancte fortis, sancte & misericors Saluator amaræ morti ne tradas nos.

℣ Ne proiicias nos in tempore senectutis, cum defecerit virtus nostra, ne derelinquas nos Domine.

Sancte DEVS, sancte fortis, &c.

Gloria Patri &c. Sancte DEVS, sancte fortis &c.

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.

Pater noster &c.

℣ Et ne nos inducas in tentationem;

℟ Sed libera nos à malo.

℣ Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum;

℟ Sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

℣ Post partum virgo inuiolata permansisti;

℟ DEI genitrix intercede pro nobis.

℣ Angelis suis DEVS mandauit de te;

℟ Vt custodiant te in omnibus viis tuis.

℣ Ora pro nobis beate N. *Hic inuocetur Patronus Ecclesiæ.*

℟ Vt digni efficiamur promissionibus CHRISTI.

℣ Saluum fac seruum tuum;

℟ DEVS meus sperantem in te.

℣ Mitte ei Domine auxilium de Sancto;

℟ Et de Sion tuere eum.

℣ Nihil proficiat inimicus in eo;

℟ Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.

℣ Esto ei Domine turris fortitudinis;

℟ A facie inimici.

℣ Domi-

℣ Domine exaudi orationem meam;
℟ Et clamor meus ad te veniat.
℣ Dominus vobiſcum;
℟ Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus infirmitatem famuli tui, vel famulæ tuę, propitius reſpice, atq; ad protegendū eum, vel eam, dexteram tuæ maieſtatis extende.

Conce[illegible]mulū tuum, vel famulā tuam, quęſumus Dn̄e Deus, perpetua mētis & corporis ſalute gaudere; & glorioſæ beatæ Mariæ ſemꝑ virginis interceſſione, à præſenti liberari triſtitia, & æterna perfrui lætitia.

Preces, quas tibi Dn̄e pro famulo tuo ęgro, aut famula tua ęgra, offerimus; intercedente beato N.N. tuo clemēter intende; & pugiles fidei ſub tua protectione cuſtodi.

Hic inuocetur Patronus Eccleſiæ.

DEVS, qui facturę tuę ſemper pio dominaris affectu, inclina aurem tuā ſupplicationib. noſtris, & famulū tuum, vel famulam tuam, ex aduerſa valetudine corporis laborantē placatus reſpice, & viſita in ſalutari tuo, & cœleſtis gratiæ præſta ei medicinam. Per Dn̄m noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, qui tecū viuit & regnat in vnitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſecula ſeculorū. Amen.

Poſt hæc Sacerdos vtraque manu, ſuper caput ægroti admota, hanc recitet precationem:

SVPER ægros manus imponent, & bene habebunt. IESVS, Mariæ filius, mūdi ſalus & Dominus, meritis beati, vel beatæ N. ſit tibi clemens & propitius. Amen.

Inuocetur ſanctus loci Patronus, vel Patrona.

Breuitatis aūt cauſa, hæc ſola recitari precatio poteſt; vel ea, quæ ſequitur:

℣ Dominus vobiſcum;

℟ Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Dominus Ieſus Chriſtus apud te ſit, vt te defendat; intra te ſit, vt te conſeruet; ante te ſit, vt te ducat; poſt te ſit, vt te cuſtodiat; ſuper te ſit, vt te bene ✠ dicat; qui cum Patre, & Spiritu ſancto in vnitate perfecta viuit & regnat in ſecula ſeculorum. Amen.

Vel hæc alia:

Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui eſt verus animæ & corporis medicus, ſit tibi clemens & propitius. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.

Has preces omnes adhiberi neceſſe non eſt; ſed Sacerdoti, quaſcunque velit, deligere licet. Quibus recitatis (ſi ita videatur) eodem, ſin minùs, alio die, ægrotum ad confeſſionem (ſi antea cõfeſſus non fuerit) vel (ſi è re fuerit) ad Euchariſtiam exhortabitur. Ante diſceſſum autem, ſequentem ægroto impertiatur benedictionem.

Benedictio Dei omnipotentis Pa ✠ tris, & Fi ✠ lij, & Spiritus ✠ ſancti, deſcendat ſuper te, & maneat ſemper. Amen.

DE

DE VIATICO ÆGROTANTIUM, & primò, quonam ex hac vita discessuris viatico opus sit.

CAPVT PRIMVM.

VIATICVM eorum, qui è viuorum numero sunt demigraturi, Christi corpus sanctissimum est, quod & aliis nominibus ex vi rei, natura, effectu, proprietate petitis, sacrificium, communio, Synaxis, Eucharistia, & metalepsis, hoc est, assumptio appellatur. Viatici autem nomen deductum inde videtur; quòd Sacramentum hoc Christianis animam agentibus detur, vt hoc diuino pane corroborati, post extremum spiritum, felici itinere ad cœlestis patriæ domicilium perueniant; ita enim ait veritas: Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Item: Qui manducat hunc panem, viuet in æternum, inter cœlestis videlicet patriæ ciues asscriptus. Neque tamen ideo ita appellatum putes, quòd illico per ipsum immortalitatis gloriam consequamur: cùm (teste Apostolo) nos priùs oporteat cum CHRISTO compati, si cum ipso postea voluerimus glorificari; sed quia dignè comedentibus eò, quò intendunt, perueniendi vires suppeditet; proinde non incongruè viaticum appellatur. Cuius rei figura certissima est panis HELIÆ, in cuius fortitudine, vt Regum historia testatur, ipsum quadraginta diebus, ac quadraginta noctibus, vsq; ad montem Dei Oreb ambulâsse legimus. Vt verò quouis tempore in prom-

Quare Eucharistia dicitur viaticum.

Ioan. 6.

Rom. 8.

3. Reg. 19.

ptu ſit, ſemper fuit vſitatum, vt in Eccleſia hoc venerabile Sacramentum aſſeruetur; cuius rei etiam facit mentionem ſac. Conc. Trid. his verbis:

DE ASSERVANDO SACRÆ *Euchariſtiæ Sacramento, & ad infirmos deferendo.*

CAPVT SECVNDVM.

Antiquiſſima conſeruationis Euchariſtiæ conſuetudo.

Cõc. Trid. ſeſſ. 13. cap. 6.

CONSVETVDO aſſeruandi in ſacrario ſanctam Euchariſtiam, adeò antiqua eſt, vt eam ſæculum etiam Nicæni Concilij agnouerit. Porrò deferre ipſam ſacram Euchariſtiam ad infirmos, & hunc vſum diligenter in Eccleſiis cõſeruari, præterquàm quod cum ſumma æquitate, & ratione coniunctum eſt, tum multis in Conciliis præceptum inuenitur, & vetuſtiſſimo Catholicæ Eccleſię more eſt obſeruatum. Quare ſancta hęc Synodus retinendum omnino ſalutarem hunc & neceſſarium morem ſtatuit.

QVID IN DEPORTANDA AD *ægrotos Euchariſtia Sacerdoti animaduertendum ſit.*

CAPVT TERTIVM.

CAVEANT Parochi omnes, eorumq; Vicarij, ac Cooperatores, ne ſuorum, aut externorũ quempiam, facta etiam à Maioribus eius poteſtate, ſacra veſci Euchariſtia patiantur; niſi

nisi antè, secundùm Ecclesiæ Catholicæ traditionem, sacramentali confessione peccata sua expiârit, secundùm illud Apostoli: Probet autem seipsum homo, vt de pane illo edat, & de calice bibat. Quia, qui manducat & bibit indignè, iudicium (hoc est, damnationem) sibi mãducat & bibit, non diiudicans corpus Domini. Cuius quidem sceleris, communicantisque interitus, Sacramenti minister caussa esset, ac sacrilegij socius.

Non confessi nõ admittendi ad cõmunionem.

1. Cor. 11.

Suos quoque Parochus, aut Cooperator sedulò, ac crebrò moneat, vt Sacerdotem Eucharistiam deferentem piè ac religiosè comitentur, Deumque Opt. Max. pro ægrotantis salute, atque incolumitate inter eundũ precẽtur: vt alter alterius onera portantes, legem Christi adimpleant. Quem si qui aliis rebus præpediti comitari nequeant, Eucharistiam saltem, dum vident, aut tintinnabuli signum audiunt, genibus nixi adorent, qui cultus etiam inter sacra, cùm hostia in altum extollitur, tribuendus est.

Monendi fideles vt Eucharistiam ad infirmos deferendã religiosè comitentur.

Gal. 6.

Extr. de celeb. Miss. c. sanè.

Vt Christiani verò tempus asportandæ Eucharistiæ nôrint, detur signum ab æditue, alterutro campanæ latere malleolo aliquoties pulsato; vt, qui comites esse volunt, satis tempore veniant.

Curandum Parocho etiam est, vt aliquot (si locus ferat) pueri alantur, qui inter eundum sacras preces concinant, ardentesque laternas, aut alia lumina præferant. Quòd si paupertate atque inopia fieri nequeat, Sacerdos ipse ab æditue, aliisque cum laternis, aut facibus, aut cęreis comitatus Psalmos, precationesque assiduas memoriter recitet; ne, dum in librum oculos figit, in lubrico versetur, ac cadat.

Eucharistia sine lumine non deferenda

a Det item operam Parochus, vt comitum aliquis Agendorum libellũ, aquamq; benedictã secum deferat.

a Quæ curanda sint Parochis deferentibus Eucharistiam ad infirmos.

P Postre-

Postremò ægroti domesticos, ac familiares Sacerdos moneat, vt in cubiculo mensam linteo mundo atque eleganti stratam, cæreisque accensis illuminatam parent; in qua sacrosancta Eucharistia reponatur.

QVOMODO, QVOVE ORdine viaticum ægrotis dandum sit.

CAPVT QVARTVM.

CVM AD ægrotum sacra Eucharistia è sacrariodeportanda est, Parochus, seu illius loco alter superpelliceum lineum, vestem, ac stolam induat, ædituoque, vel alio cum lumine, & campanula prægrediente, ac cæteris comitibus, viris piis sequentibus, puerisque diuinas laudes decantantibus de more Diœcesis, & ardentes cæreos (vt iam dictum est) ferentibus, domum ægroti petat; interque eundum caueat, ne vagos oculos huc illucque leuiter coniiciat; sed timidè potiùs, ac grauiter ambulet, cœlestemque illum, quem manibus gestat, thesaurum diligenter custodiat, ac cùm linguam, tum mentem simul precando exerceat, quoad in ægrotantis cubiculum introducatur; in cuius limine dicat:

℣ Pax huic domui;

℟ Et omnibus habitantibus in ea.

Ægrotus suauibus verbis ad cõtritionem Tum, deinde reposito in mensa venerabili Eucharistiæ Sacramento, ægrotum suauibus verbis ad peccatorum contritionem, ac reconciliationem (si quæ illi post confe-

confeſſionem peccata confitenda in mentem venirent) & ad patientiam, ad melioris vitæ frugem, ad Deique obedientiam, eo, quo diximus, modo, exhortetur, antequàm ſacram illi porrigat Euchariſtiam: ad cuius etiam communionem, adque beatæ vitæ deſiderium vehementiùs illum hac proximè ſequenti exhortatione inflammabit.

& patientiā exhortandus.

In ſermone, qui habetur de viſitatione ægrotorū.

AD SACRAM COMMVnionem adhortatio.

CAPVT QVINTVM.

Poterit Sacerdos hęc pro temporis occaſione reſtringere, vel dilatare.

DILECTE in Chriſto frater, cùm ſingulari quodā Dei beneficio, Spiritusq; ſancti inſtinctu, ardenti ſtudio auguſti Euchariſtiæ Sacramenti particeps fieri cupias, ſalutariq; vitę vitalis pane veſci, ad quem nos Chriſtus crebrò inuitat: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiā vos. Et: Ego ſum panis viuus; qui mā-ducat hunc panem, viuet in æternum; tanta humaniſſimi Regis facilitate, qui liberaliſſimè ad cœnam omnes aſſiduè vocat: Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum; hoc facite in meam commemorationem: fac in primis, vt mente contrita, humili, munda, pia, caſta, ac ſancta, cōuiuium hoc ſplendidiſſimū ineas, teq; indignū reputes, qui tam ſuaui, exquiſito, atque excellenti cibo veſcaris; deinde cùm bona Dei gratia, Apoſtolique cō-ſiliis, ac monitis ductus, te ipſe, peccata, mores, ſpeciem denique, ac nomen ipſum, peſſimæ vitæ deteſtatus abieceris, ac proſtraueris; cùm propoſitum nunquàm

Matth. 11.

Ioan. 6.

Matth. 26.
Luc. 22.

1. Cor. 11.

peccandi susceperis; cùm confessus Sacerdoti, atque ab omni crimine absolutus fueris; nihil hæsitans te verũ Christi corpus ac sanguinem capere credas, qui hunc dulcissimum cibum pro eximia, qua totum genus humanum complexus est, charitate ac beneuolentia, nobis ad animæ salutem & beatitudinem attulit, ac suppeditauit. Vt autem huius Sacramenti fructibus pacem tibi sempiternam redimas & quietem; ne inuito, ne dolenti, ne coacto, sed libenti animo, ac gaudenti ad hanc cœnã venias, in qua certissima tibi salus promittitur, ac vita: quòd sub aspectabili panis & vini figura integer Christus, Deus & homo cũ corpore ac sãguine in escam proponatur; qui idcirco se tibi totum tradidit, vt caput ipse tuum, tu verò membrum eius fieres, in Dei gratiam redires, vires aduersùs venenatos hostium omnium ictus colligeres, ac post extremũ vitæ spiritum sempiterna tandem beatitudine fruereris. Atque per hunc quidem salutarem cibum, non cum capite Christo tantùm, sed cum Sanctis omnibus etiam coniungimur, vt vnum corpus multa membra simus, teste Apostolo: Quoniam vnus panis & vnum corpus multi sumus: & omnes quidem de vno pane, & de vno calice participamus. Hinc tibi certò persuadere potes, postquàm corporis ac sanguinis Christi particeps fueris factus, in eius te, cœlituumque omnium societatem amplissimam asscribendum; Diuorum preces, ac Christi merita cùm ad corporis, tum ad animæ salutem, ac trãquillitatem, vtilitati maximæ futura, tibique cum illis communia omnia esse existimanda, qui tui patrocinium susceperunt, causam tuam apud Deum defendunt, supplices orant, precantur, obsecrant, quo te saluum esse velint. Quare animum ipse tuum excita, accende, inflamma,

1. Cor. 10.

flamma, ad DEI proximiq; beneuolentiam, ac charitatem, proque tantis beneficiis acceptis immortales DEO Opt. Max. (vt par eſt) age gratias, & habe; quòd CHRISTVS ſua ſponte, nullis meritis noſtris prouocatus, è cœlo, vbi beatarum mentiũ corona ſtipatus feliciſſimè regnabat, ad nos infimos, ac miſerrimos homines delapſus ſit, vt amiſſam libertatem nobis recuperaret. Quo itaque animo in vnicum excelſi DEI filium nos eſſe oportet? qui tanta erga nos vſus eſt benignitate, ac clementia, nihil aliud in tantis laboribus, & ærumnis ſpectauit, nihil ſibi propoſuit, nihil optauit, quàm vt nobis, iugo ſeruitutis acerbiſſimæ depulſo, interclusũ iucundiſſimæ, ac priſtinæ libertatis iter patefaceret: Cuius liberalitatis ac beneficentiæ dies, hora, minimũ temporis momentum pręterire non debet, quin meminerimus, ne gratiæ immemores, aut ingrati animi crimine laborare videamur. Neque enim Chriſtus vitam tantùm, ſanguinemque ſuum pro ſalute generis humani profudit; ſed, quod maiorem habet admirationem, corpore ſuo ali animam noſtram inſuper voluit. Cùm Deus igitur tanquàm ſummum bonum colendus ſit, eius adducti pręcepto & imperio, proximum quoque, vt animam noſtram, diligere debemus, atque amare. Nam quid aliud præcepta Decalogi nobis inculcant, præter illud: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua; & proximum tuum ſicut teipſum? Quid aliud Prophetæ explicant? quid aliud continent ſacræ literæ? nihil ſanè. His nos rerum neceſſariarum penuria laborantibus diligenter ſubuenire, his opem quamcũque poſſumus ferre; his bona noſtra communia eſſe decet. Chriſtus enim, dum egentes, atque inopes omnium rerum eſſemus, nos diuinæ gratiæ ſuæ theſauro di-

Deutr. 6. & Matth. 22. & Mar. 12.

tauit, indiesque nobiscum per sacrosanctam Eucharistiæ Synaxim immortalia sempiternæ felicitatis bona communicat: cuius exemplum nisi sequamur, quę infamiæ nota mentibus nostris non inuretur? quæ turpitudinis macula nomini nostro non inhærebit? quã salutis iacturam denique non faciemus? Hoc, cæteraque Christianæ pietatis officia, quò faciliùs obeas, ac præstes, Christi corpus animo præparato ac reuerenti capito; peruagatissima enim est, atque in omnium ore celeberrima D. Pauli ea de re sententia: Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini. Quoties itaq; hũc panẽ comedemus; quoties sanguinẽ istum bibemus: toties de incredibili Christi liberalitate, de vita, de morte, de salute data recordabimur. Nam, cùm peccato, iræ, vastitatiq; addicti essemus, totius orbis terræ effector, molitorq; mundi Deus, maiestatis suæ, ac dignitatis quodammodò oblitus, nos hominis ac Medici suscepta persona, pestifero affectos morbo, malis vt nostris mederetur, humanissimè inuisit. Is crimina nostra, cùm ipse innocens esset, durissima morte, grauissimisque pœnis expiauit; post diem tertium à mortuis potentissimè extitit; peccatis hominum veniam profuso sanguine, impunitatemque impetrauit, ac tandem deuicta morte vitam beatam reddidit. Pro tantis rebus gestis, nullum virtutis præmium, nullum insigne honoris, nullum laudis monumentum à nobis postulat, præterquã huius beneficij memoriam sempiternam. Amari vult, venerari, coli. Tu illi gratias age, habe, ac humano more referas (si tamen referri gratia tunc dicitur, beneficium cùm accipimus) constanterque credas, te Christi misericordia, ac benignitate, per sacram corporis, ac sanguinis sui commu-

1. Cor. 11.

communionem, hostes omnes inuictos alioquin facilè superaturum, adque æternæ vitæ felicitatem post mortem venturum; quam nobis pro sua clementia impertiatur is, qui sine fine, ac principio cum Patre & sancto Spiritu viuit ac regnat Christus Iesus. Amen.

Deinde coram omnibus ægrotum patria lingua confessionem generalem recitare iubeat.

CONFESSIO GENERALIS.

CAPVT SEXTVM.

EGO miser, indignus, & infelix peccator, confiteor Deo omnipotenti, beatæ Mariæ semper virgini, beato Michaëli Archangelo, beato Ioanni Baptistæ, sanctis Apostolis, Petro & Paulo, omnibus Sanctis, & tibi Patri meo spirituali, me nimis grauiter peccâsse à iuuentute mea, vsque ad hanc præsentem horam, mala cogitatione, verbo, opere, & omissione multorum bonorum, contra Deum, & proximum, palam, clam, scienter, ac ignoranter, sicut Deo creditori, & liberatori meo cognita & aperta sunt; Ego verò miserrimus peccator ea satis agnoscere minimè possum, quæ omnia ex intimo cordis affectu defleo. Ideo misericordiam Dei imploro, & te Patrem meũ spiritualem enixè oro, vt Deum pro me miserrimo peccatore orare, & ad consequendam peccatorum meorum remissionem pro me intercedere, atque interpellare digneris (nam fidelis est Deus in omnes, & nemi-

nem

nem à gratia ſua arcet) vt propitius eſſe velit peccatis meis, eaque abluat per ſanguinem Ieſu Chriſti filij ſui, mediatoris noſtri, ſecum viuentis, ac regnantis in ſecula ſeculorum. Amen.

Cui iſtam ſubiiciat abſolutionem.

ABSOLVTIO GENERALIS cum conſuetis precibus.

CAPVT SEPTIMVM.

MISEREATVR tui omnipotens Deus, & dimittat tibi omnia peccata tua, & perducat te ſine macula cum gaudio ad vitam æternam. Amen.

Indulgentiam, & abſolutionem omnium peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens, & miſericors Dominus, Amen.

Poſthæc Sacerdos dicat Antiphonam, & precationes ſequentes, vel alias ſimiles pro more Diœceſis.

Ant. Dicite inuitatis: ecce prandium meum paraui, venite ad nuptias, dicit Dominus. Orationes recitandæ à Sacerdote, poſt generalem abſolutionem.

℣ Qui edunt me, adhuc eſurient; & qui bibunt me, adhuc ſitient.

℟ Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.

℣ Ambulauit Helias in fortitudine cibi,

℟ Vſque ad montem Dei.

Ore-

Oremus.

Maiestatem tuam Domine supplices exoramus, vt huic famulo tuo, vel famulæ tuæ, squalore pœnitentiæ macerato, aut maceratæ, veniam largiri digneris; vt nuptiali veste recepta, ad regalem mensam, vnde eiectus, aut eiecta fuerat, mereatur introire. Per Christum &c.

Oremus.

DEVS, qui fidelium mentes per vnigeniti filij tui corporis, & sanguinis veneranda commercia, vnius, summæque diuinitatis participes efficis; ad eius nos quæsumus tribue consortium peruenire; vt ipsius deductu seculi huius desertum transeuntes, in cœlum per eum subuehi valeamus; qui tecum viuit & regnat &c.

QVIDNAM IN SACROSANctæ Eucharistiæ porrectione agendum sit.

CAPVT OCTAVVM.

His peractis, Sacerdos Christi corpus in altum extollat, sciscite turq; ab ægroto:

Interrogationes faciendæ à Sacerdote ad ægrotum.

Interrogatio. Credisné sub hac specie panis corpus esse Seruatoris nostri, ac sanguinem?

Respōsio. Credo.

Tum ęgrotum moneat, secum vt hanc precationem ter pronunciet:

q Domi-

Domine nõ sum dignus, vt intres sub tectum meum; sed tantùm dic verbo, & sanabitur anima mea.

Postremò hostiam ægrotantis ori admoueat, dicens:

Accipe frater, aut soror, viaticum corporis Domini nostri Iesu Christi, qui te custodiat ab hoste maligno, & perducat in vitam æternam. Amen.

QVÆ SACERDOTEM PRÆstare oporteat post communionem factam.

CAPVT NONVM.

TANDEM manus vino abluat, illudque ægro, cœlesti Angelorum pane iam saturato, nullis verbis adiectis, bibendum porrigat, nisi stomachi fastidio laboret; tunc enim Sacerdoti hauriendum est, aut ad commodius ebibendi tempus conseruandum.

Pyxidem quoque, qua sacra defertur Eucharistia, recõdat: huncq; interea Psalmum recitet, aut alium, quẽ maluerit:

DEVS misereatur nostri &c. cum Gloria Patri. *Psal. 66.*

Addatur Antiphona, cum sequẽtibus precationibus, vel aliquid aliud simile secundùm consuetudinem Diœcesis.

Orationes recitandæ à Sacerdote post infirmi communionem.

O sacrum conuiuium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur. *Antiph.*

Kyrie

Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon.
Pater noſter.
℣ Et ne nos inducas in tentationem;
℟ Sed libera nos à malo.
℣ Saluum fac populum tuum Domine;
℟ DEVS meus ſperantem in te.
℣ Mitte ei auxilium de Sancto;
℟ Et de Sion tuere eum.
℣ Eſto ei Domine turris fortitudinis;
℟ A facie inimici.
℣ Domine exaudi orationem meam;
℟ Et clamor meus ad te veniat.
℣ Dominus vobiſcum;
℟ Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Domine ſancte Pater omnipotens, æterne DEVS, te ſuppliciter deprecamur, vt huic famulo, vel famulæ, ſacroſanctum corpus Domini noſtri IESV CHRISTI, Filij tui accipienti, ad animæ & corporis ſui proſit remedium ſempiternum. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Oremus.

Protege Domine hunc famulum tuum, vel famulam tuam, ſubſidiis pacis, & beatæ Mariæ virginis patrociniis confidentem, à cunctis hoſtibus redde ſecurum, vel ſecuram.

Omnipotens ſempiterne DEVS, ſalus æterna credentium, exaudi nos ꝓ hoc famulo tuo, vel famula tua, miſericordiæ tuæ implorantes auxilium; vt reddita ſibi ſanitate, in Eccleſia tua gratiarũ tibi referat actiones. Per Dominum noſtrum &c.

Ægrotum denique, ac cæteros astantes, aqua benedicta aspergat, & benedicat.

Benedictio Dei omni ✠ potentis Patris, & Filij, & Spiritus sancti descendat super vos, & maneat semper. Amen.

QVIDNAM FACIENDVM sit, cùm ægrotus ob aliquod corporis incommodum Eucharistiam capere non potest.

CAPVT DECIMVM.

SI infirmus iustis, grauibusq; de causis sacram Eucharistiam sumere non possit, moneatur, vt spiritualiter sumat, voto propositum illum panem cœlestem edēs, ac fide viua, quæ per dilectionem operatur, fructum eius & vtilitatem sentiens. Proinde seipsum illis sancti Augustini verbis consoletur: Crede & manducâsti. Cui proptereà ad eius animum excitandum, ac mentem in Devm eleuandam, sanctissimum hoc Sacramentum ostendi poterit. Vbi ille Diui Thomæ Apostoli sequutus exemplum, magna fide & reuerentia dicat: Dominus meus, & Deus meus.

Ex Concil. Trid. sess. 13. c. 8.

QVID

QVID SACERDOS ÆGROTO in disceſſu dicere debeat.

CAPVT VNDECIMVM.

VLTIMÒ, cùm ab ægroto digreſſurus eſt, hortetur ipſum, vt iis, qui eum offenderint, ex animo ignoſcat. Deinde, vt in poſterum, ſi conualuerit, ſaniora traducendæ vitæ conſilia capiat ac ſequatur. Tum vt morbum, quo laborat, patienter, ac moderatè ferat. Iubeatur deniq;, quoad mortali lucis huius vſura fruetur, de Chriſti miſericordia, begnitate, clementia optimè ſperare; omni cogitatione ac ſpe in eo defixa; propter quem hoc leue, & non diuturnum malum perferendum ſit, vt regni ſocius, ac pacis comes in cœlo eſſe poſſit; vbi DEVS ipſe erit amicis omnia omnibus. Hoc vnum caueat, ne ſe Sathanæ laqueis irretiri patiatur; ſed tùm ſuis, tùm aliorum precibus integritatem vitæ, fidei conſtantiã, ſpem ſalutis, charitatem, felicem exitum, enixè à DEO Opt. Max. poſtulet. Neque ſolùm hæc inter communicandum, ſed in extrema vnctione etiam ęgrotis inculcanda ſunt.

DE EXTREMA VNCTIONE

PROOEMIVM.

HÆc Sacra vnctio, quæ à sanctis Patribus exeuntium Sacramentum, & consummantium dicitur, ab Apostolis, viuente adhuc Christo, Sacramentorum institutore, cuius iussu ac voluntate id sine dubio fiebat, administrata est; eoq; in cœlum sublato, in Christianā rempub. introducta, ac confirmata; cōmendata à Diuo Iacobo; ab Ecclesia Catholica vt extremum ægrotātium remedium recepta, atq; vsurpata; vt, quibus Baptisma aditum ad veram vitam patefecit, exitum ad cœlites per hoc Sacramentum optimū habeant. quo etiam factum est, vt extrema, seu ægrotorum vnctio vulgò appellaretur; quia hoc Sacramētum, nisi infirmo, de cuius morte timetur, dari non debet; qui in his locis vngendus est: in oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratū, in ore propter gustum, vel locutionē, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationē ibidem vigentem. Quare nulla ratione audiendi sunt, qui contra tam apertam, & dilucidam Apostoli Iacobi sententiam docent, hanc vnctionem vel figmentum esse humanum, vel ritum à Patribus acceptum, nec mandatum Dei, nec promissionem gratiæ habentem, & qui illam iam cessâsse asserunt, quasi ad gratiam curationum duntaxat in primitiua Ecclesia referenda esset; & qui dicunt

Vnde nomē extrema vnctionis, & quibus conferenda.

Cōc. Flor. in verb. quintum Sacramētum.

Ex Concil. Trid. sess. 14. c. 3. doctri. Sacr. de extre. vnct.

cunt ritum & vsum, quem sancta Romana Ecclesia in huius Sacramēti administratione obseruat, Iacobi Apostoli sententiæ repugnare, atque ideo in alium commutandum esse; & denique qui hanc extremam vnctionem à fidelibus sine peccato contemni posse affirmant; hæc enim omnia manifestissimè pugnant cum perspicuis sacri Euangelij, ac sancti Apostoli verbis: Nec profectò Ecclesia Romana, aliarū omnium mater, & magistra, aliud in hac administranda vnctione, quantum ad ea, quæ Sacramenti huius substantiam perficiunt, obseruat, quàm quod Canonicæ præscripserunt literæ & sacræ scripturæ. Nec verò tanti Sacramenti contemptus absq; ingenti scelere, & ipsius Spiritus sancti iniuria esse posset.

QVID EXTREMA VNctio sit.

CAPVT PRIMVM.

Sess. 14. de Sacr. extre. vnct.

HVivs Sacramenti ex sacro Conc. Trid. hanc descriptionem elicimus: Est vnctio sub præscripta verborum forma à Sacerdote facta; qua ægroti certis partibus corporis oleo oliuarum, ab Episcopo iam benedicto & sanctificato, in extrema vita vnguntur; ad molestias animi alleuādas, atq; interdum (vbi ad salutem animæ expedierit) ad corporis etiam sanitatem recuperandam, aut saltem ad morbi labores, reliquaq; ægrotationis incommoda leuiùs ferenda, & ad Cacodæmonis insidias tutiùs vitandas, ac delictorum (si quæ sunt adhuc expianda) remissionem consequendam, peccatorumq; reliquias detergendas. In altera descriptionis huius parte Sacramenti essentia explicatur,

catur, in altera verò excellens eiusdem vis & efficacia.

De iis, quæ pertinēt ad essentiam extremæ Vnctionis.

Iam sæpè dictum est, omnia nouæ legis Sacramēta, vna Eucharistia excepta, actionibus quibusdā transeuntibus pfici; applicatione nempe materiæ, & formæ prolatione. Est aūt in omnibus ferè Sacramentis duplex materia, remota & propinqua. Illa est res externa, quæ suscipiēti applicatur; hæc verò, ipsa rei applicatæ actio. Vt in Baptismo materia remota est aqua; ꝓpinqua verò est ablutio. Hoc ipsum in hoc quoq; Sacramento videre est, oleum enim est materia remota, vnctio verò ꝓpinqua. Verùm, vt iam aliàs diximus, ea ad Sacramentorū materiam assumūtur, quæ ad singulorum effectus, rerū quadam similitudine exprimendos, accommodata sunt. Proinde cùm Sacramenti huius effectus sit sanare, mentemq; sauciam lenire (vt mox fusiùs) hæc autem in rebus corporeis, oleo & vnctione maximè fiunt, idonea rerum similitudine attenta, oleum, eiusq; actio, hoc est, vnctio ex institutione Christi, sapientia Patris, ad Sacramenti huius materiam sapientissimè assumuntur.

De forma Extremæ Vnctionis.

Additur, sub præscripta verborū forma, ad Sacramēti huius formā denotandam. Quæ quidē à cæterorū Sacramentorum formis in eo differt, quod non indicatiua, sed deprecatoria potiùs oratione perficiatur, iuxta S. Iacobi promulgationē: Infirmatur, inqt, quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Dñi, & oratio fidei saluabit infirmū. Nec ēm orationis nomine aliud quàm deprecationē hoc loco intelligi posse manifestū est. Atq; hæc quidē forma deprecatoria huic Sacramēto maximè conueniebat. Nam etsi Sacramētorum proprij effectus, quantum est ex ipsis Sacramētis, omnino certi sint, aliūde tn̄ ex parte suscipientium impediri possunt. Quoniam aūt in infirmis ea infirmitate *Iacob. 5.*

mitate probabiliter alioquin morituris(quibus tantùm hoc Sacramentum confertur)ab impotētia, quæ misericordiam & veniam meretur potiùs, quàm à malitia timendum est; nūc verò exitus, quo vbicunque ceciderit lignum, ibi erit, instat, nec, si iam res non succedat, alia datur ad reparationem mora & expectatio, conueniebat eam assumi formam, quę ad id, quod ex parte Sacramenti est, sufficiat, & simul deprecatoriè misericordiā Dei flectere possit, vt summa huius extremi momenti necessitate infirmo adsit; ne vel ex parte ipsius, aut aliunde, impedimentum aliquod interueniat. Sed infrà de Sacramēti huius forma ꝓprius erit sermo. Quod autem additur (à Sacerdote facta) proprium huius Sacramenti ministrum indicat.

Eccles. 11.

Cæterùm, vt natura Sacramenti pleniùs intelligatur, peculiaria quædam de suscipiente, eiusque remota materia scitu dignissima subsequuntur. Subiungitur igitur: Qua ægroti certis partibus corporis in extrema vita vnguntur. Non enim quilibet est idoneus ad hoc Sacramentum suscipiendum, sed tantùm ægroti, id quod verba Diui Iacobi edocent: Infirmatur, inquit, quis in vobis &c. Hoc ipsum probat modus loquendi Ecclesię ex sacris Canonibus desumptus, quo solet huius Sacramenti materia, infirmorum oleum appellari. Neque verò quælibet leuis infirmitas satis est ad Sacramenti huius susceptionem, sed ea omnino esse debet, vt mortis probabile inducat periculum. Ait enim de hoc Sacramento sanctus Iacobus: Oratio fidei saluabit infirmū; de eo itaque infirmo loquitur, qui ad vitā diuino indiget supernaturali auxilio; indiget autē ille maximè, qui, quod ad causas naturales attinet, periclitatur. Sed & Concilium Florentinum docet, ei tantummodò infirmo Sa-

Iacobi 5.

De sacra vnctione cap. vnico.

Non quælibet leuis infirmitas satis est ad extrema vnctionis susceptionem.

Conc. Flo.

mo Sacramẽtum hoc conferri oportere, de cuius morte timetur. Hoc ipſum conſuetus Eccleſiæ loquendi mos perſuadet, dici enim ſolet hoc Sacramentum Extrema vnctio, hoc eſt, vltima, cui nulli in hac vita conferenda ſupereſt. Proprius denique Sacramenti huius effectus hoc ipſum apertè docet. Eſt enim Sacramentum hoc inſtitutum ad reliquias peccatorum abſtergendas, ne poſt mortem naturalem, ingreſſum in ciuitatem Sanctorum, in quam nihil coinquinatum introibit, remorentur, & ſimul contra mœrorem & metum, quæ ex naturali defectu virium corporis, ex inſtante diſſolutione & iudicio oriuntur. Quæ ſanè ægrotis tantùm ad mortem conueniunt. Neq; verò toto corpore vngendi ſunt ægroti, ſed certis corporis partibus. Nam cùm Sacramentum hoc medicina quædam ſpiritalis ſit, ſicut medicina corporalis, non toti corpori infirmo applicatur, ſed illi parti, in qua eſt morbi radix; ita quoque hoc Sacramentum illis præcipuè partibus, à quibus peccatorum morbi, quorum reliquias ſanat, maximè pendent, applicari debet. Sunt autem ſenſus hominis ad malum proni, ab adoleſcentia, omnium peccatorum fontes; quare organis ſenſuum pro more ſanctæ Dei Eccleſiæ fieri debet vnctionis applicatio. Atque hæc, quæ iam dicta ſunt, de neceſſitate Sacramenti exiſtimantur. Quare, ſi non infirmo ad mortem, & non quinque ſenſuum organis fieret vnctio, nullum omnino Sacramentum eſſet. Quòd ſi fortè aliis quibuſdam partibus alicubi vngantur infirmi, vnctiones illæ non ad Sacramenti eſſentiam pertinent, ſed Sacramentales tantummodò ceremoniæ exiſtimandæ ſunt. Porrò materia remota huius Sacramenti, vt dictum eſt, eſt oleum, non quoduis, ſed oliuarum, accedẽte etiam bene-

dictione

de extrema vnctione.

Apocal. 21.

Quæ partes corporis ex eſſentia Extremæ Vnctionis ſint vngendæ.

Genes. 8.

dictione Episcopi; quanquam ad essentiam satis esse nonnulli volunt, si vel à Sacerdote, ex commissione tamen, benedictio fiat; sicut suprà etiam de ministro confirmationis dictum est. Verùm quicquid sit de necessitate Sacramenti, vsus Ecclesiæ habet, vt non ab alio, quàm ab Episcopo benedictio hæc fiat. Atque hactenus de iis, quæ ad essentiam pertinent. Quæ sequuntur, ad varios Sacramenti effectus attinent.

Iacobi. 5. Sanctus Iacobus tres Sacramenti huius insignes effectus hisce verbis nobis tradidit: Oratio, inquit, fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei: qui omnes effectus, atque alij etiam, qui prædictos consequuntur, in descriptione tradita exponuntur. Sequitur igitur (ad molestias animi alleuandas) infirmo enim ad mortem duo eueniũt, mœror & metus, horum verò vtrũq; ex duobus provenit; mœror quidẽ ex instante corporis dissolutione, & subiecti ad mœrorem ex infirmitate maiori inclinatione; metus verò, ex instante iudicio, & ægri impotẽtia. Hoc itaque Sacramentum has animi molestias natura sua tollit, &, vt loquitur sanctus Iacobus, infirmum alleuiat, pro mœrore enim hilaritatem de instante introitu in regnum Dei infert, vt dicat æger cum Paulo: Cupio dissolui & esse cum Christo. Pro metu verò iudicis confidentiam in remuneratorem ingerit, atque his duobus sublatis admodum franguntur vires Cacodæmonis, qui, vt est in Concilio Trid. calcaneo maximè insidiatur, & ex mœrore & metu ægrum alioquin agitatum, ad æternam mortem vario artificio perducere satagit. In præfata proinde descriptione habetur ad Cacodęmonis insidias tutiùs vitandas. Interdum etiam, vbi ad salutem animæ expedierit, ad corporis quoque

Tres effectus extremæ Vnctionis.

Ad Philip. 1.

Gen. 3. & Con. Trid. sess. 14. cap. 2. de extrema vnctione.

r 2 sanita-

ſanitatem valet, vt ſacrum Concilium docet. Atq; hunc quidem Sacramenti effectum, non ſemper infallibilem eſſe, vt ipſa docet experientia, omnes fatentur. Quare in deſcriptione præfata dicitur, ad hoc ipſum interdum valere. Qua tamen ratione, vel interdum hoc contingat, non eſt omnium vna eademque ſententia, Concil. Floren. & Trid. Hugo, Mag. ſententiarum, ſanctus Bonauentura, Richardus, & ſanctus Thomas hæc fieri volunt, vbi ad ſalutem animæ expedierit. At Sotus, vir alioquin eruditus, putat, hoc à veritate alienum eſſe; ad Conciliorum verò autoritatem non aliud reſpondet, niſi quòd hoc non dixerint vt articulum fidei, ſed ad Hugonis doctrinam alludendo. Verùm, cùm fas non ſit exiſtimare, Concilia à veritate aliena aſſerere, etiam vbi non definiunt res de fide, dictis Conciliorum, prędictorumque Patrum inſiſtendum eſt. Sed, inquit Sotus, experientia conſtat, multos poſt recuperatam ſanitatem per extremam vnctionem fieri deteriores, quàm priùs fuerint; nõ ergò à ſalute animę mẽſura efficacitatis huius Sacramẽti deſumitur. Rurſus è cõuerſo: Multi moriuntur non obſtante extrema vnctione, quibus fortè, ſi ſuperuixiſſent, quod ad animæ ſalutem attinet, longè meliùs fuiſſet. Si denique, vbi ſaluti animæ expediret, Sacramentum hoc operaretur ſalutem corporis, eſſet quandoque miraculo opus, ſiquidem ita poſſent cauſæ naturales deficere, vt non ſine miraculo ægri vita conſeruari poſſet. Verùm hæ Soti obiectiones veritatem non expugnant. Nemo enim hominum certò expertus eſt, quenquam ex efficacia, vel non actione huius Sacramenti, ſalutis detrimentum incurriſſe; nam ſi quis viſus ſit poſt infirmitatem deterior, quis nouit, an per vim Sacramenti ille ſanatus fuerit? vel an tandem in

Conc. Flo. de Sacra. Extremæ vnctionis Trid. ſeſſ. 14. c. 2. De Extre. vnctio. Magiſter in 4. d. 23. Hugo lib. 2. de Sacra. c. 15. Bonauent. Richar. & ſanctus Thom. in 4. d. 23. Dominicus Sotus in 4. d. 23. q. 1. ar. 2 ad quintũ.

extre-

extrema vita meliori fiat ſtatu quàm priùs? Quis itidem certò pollicebitur, mortuum, ſi ſuperuixiſſet, meliorem fore? Non eſt igitur, cur hac in re putemus, experientiam dictis Conciliorum & Patrum repugnare. Quod denique de miraculo obiicit Sotus, parum probat; dici enim poſſet, non eſſe ſatis ad rationem miraculi, vt quid fiat præter ordinem cauſarum naturalium; nam creatio, iuſtificatio impij, & reſurrectio fiunt præter ordinem naturæ, tamen ex ſententia ſancti Thomæ, non ſunt miracula, requiritur proinde ampliùs, vt fiant etiam præter legem ordinariam. Atque hac ratione, cùm hic effectus Sacramenti legem ordinariam non tranſcendat, non habet rationem miraculi, quouis modo deficientibus cauſis naturalibus. His, inquam, argumenti vis facilè dilui poſſet. Sed ſi rem penitiùs introſpiciamus, aliud quippiam animaduertẽdum eſt. Nam quis polliceatur, omnes recuperare ſanitatem hoc Sacramento, quibus quoad animæ ſalutem longior vita melior eſſet? Duo itaque infirmitatum genera diſtinguimus. Quædam enim ſunt, quæ eam naturalium defectionem coniũctam habent, vt nulla actiuorum & paſſiuorum applicatione tolli poſſint, vt contingit in extrema ſenectute, & quãdoq; etiam aliâs, atque ab hoc infirmitatis genere non liberat Sacramentum; alia verò ſunt infirmitatum genera, quæ quidem ad mortem ex ſe tendunt, & ad ipſam ſufficiunt, non tamen eam defectionem naturalium annexam habent, quin refici ipſa remotis nociuis poterunt, atque huiuſmodi infirmitates Sacramento curantur, ſi ad ſalutem ægri expedierit; atque hoc modo intelligi debet illud Iacobi: Oratio fidei ſaluabit infirmum. Sequitur, Aut ſaltem ad morbi labores, reliquaque ægrotationis incommoda leuiùs ferenda. Nam ſi natura-

Prima p. q. 105. ar. 7.

lium ea sit defectio, vt refici ipsa non possint, quantum ipsa patiantur labores morbi, Sacramentum minores reddit, siue id fiat, quòd Deus Opt. Max. singulari partium instinctu concurrat ad eorum applicationem, quæ natura sua iuuare possunt, siue aliter, vt, quantum fieri tandem poterit, verum sit, orationem fidei saluare infirmum. Si non ex toto sanitatem conferendo, ex parte saltem, quantum naturalia ipsa capere possunt, morbi vim remittendo. Sunt porrò multa ægrotationis incommoda. Alia enim à defectu sensuum, alia à membrorum externa impotentia, alia verò ab eo sumuntur, quòd pro voluntate infirmi non fiat omnium prompta executio. Ita sane, vt sæpè æger & sensibus & membris, & voluntate ipsa ligari, & quasi vinculis quibusdam violenter constringi se experiatur. Verùm hæc omnia hilaritate de abitu in patriam à Sacramento ingesta, & confidentia in remuneratorem pro minimis facilè habentur, vt verum sit & animo & corpore, per Sacramenti huius virtutem, ægrum à Domino alleuiari.

Additur ad delictorum (si quæ sint adhuc expianda) remissionem consequendam. Commune enim est Sacramentis nouæ legis, gratiam conferre; singulis verò ea qualitatum additione ornatam, quæ vniuscuiusque naturæ conuenit. Nam gratia Baptismi inclinat peculiariter ad esse spiritalis militiæ conseruandum; gratia Pœnitentiæ ad odium peccati, & similiter in aliis. Quoniam autem gratia peccatum non compatitur, si peccatum sine obice fictionis, aut maleuolæ animæ inueniat, ipsum delet, hominemque iustificat. Non tamen omnium Sacramentorum effectus per se intentus, est iustificatio, sed gratiæ suæ infusio; ad quam (si peccatum sine obice insit) sequitur iustificatio. Sæpe enim consecutione quadam à Sacramentis fiunt, ad quorum

produ-

productionem non sunt ipsa per se primò instituta. Nemo enim dubitat, quin Baptismus ad originalis tãtummodò peccati deletionem maximè institutus sit, tamen si actuale quoque inuenerit, vt in adultis contingit, consequutione quadam ipsum quoque delet. Similiter & pœnitentia ad actuale tantùm tollendum à Deo hominibus data, ex consequenti quandoque originale deletur, propriam ipsius gratiam, quę peccatum originale non compatitur conferendo, vt fit in adulto cum fictione baptizato, & pòst syncerè confesso. Ita etiam Sacramentum Extremæ vnctionis ex prima sui institutione ad peccatum delendum non ordinatur (sic enim non posset conferri, nisi existenti in peccato, nec, quod mos Ecclesiæ habet, necesse esset, alia Sacramenta præmittere) sed gratiam suam efficiendo, si peccatum inueniat, delet, id quod sanctus Iacobus conditionis additione pulcherrimè insinuauit: Si, inquit, in peccatis sit, dimittentur ei, quasi dicat, & hoc quoque, vbi opus fuerit, efficiet, quando nimirum peccatum inuenit sine obice. Ponamus enim id, quod frequenter contingere potest, confessum & communicatum aliqua sua indispositione, quam tamen ignorat Sacramenti neutrius gratiam accepisse. Si pòst, cùm extremam vnctionem suscipit, rectè dispositus fuerit, iustificationis donum per hoc Sacramentum consequetur, vt verum sit: Si in peccatis fuerit, dimittentur ei.

Vltima præfatæ descriptionis verba sunt: Peccatorumque reliquias detergendas, quæ quidem effectum
S. Tho. Sacramenti proprium indicant. Peccatum enim duo *Quid reliquia peccatorum.*
primæ sequuntur, macula, & reatus. Reatus est ordinatio ad
secundæ pœnam debitam: Macula verò est insitæ pulchritudi-
q. 86. & 78. nis quædam priuatio. Nam anima hoc ipso, quòd animapul-

ma pulchritudine diuinæ gratiæ priuata fuerit, maculata dicitur. Contingit autem plerumque, maculas animæ, vt à diuersis peccatis fiunt, annexas habere prauas animi dispositiones, ex malis actionibus genitas (ea enim est vis actuum, vt animum inclinent ad similes in posterum faciliùs exercendas) atque hæ inclinationes, ex malis actibus relictæ, peccatorum reliquiæ dicuntur. Ad quas omnino delendas, ne anima iam corpus egressura, coinquinata appareat, institutum est hoc Sacramentum.

TESTIMONIA EX SAcris literis petita, ad extremam vnctionem confirmandam, ac corroborandam.

CAPVT SECVNDVM.

EXEVNTES (Christi videlicet discipuli) prædicabant, vt pœnitentiam agerent: & dæmonia multa eiiciebant; & vngebant oleo multos ægrotos, & sanabantur. Marc. c.6.

Infirmatur quis in vobis: inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini; & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus; &, si in peccatis sit, remittentur ei. Iac. 5.

DE MA-

DE MATERIA, FORMA, *effectu & ministris, Extremæ vnctionis.*

CAPVT TERTIVM.

Materia Sacramenti Extremæ Vnctionis.

MATERIA huius Sacramenti oleum ex oliua est ab Episcopo benedictum, vt habetúr de sacra vnctione C. Cùm venisset, Et Conciliũ Flor. in verb. quintum Sacramentum, Et Conc. Trid. sess. 14. c. 1. de instit: huius Sacramenti.

Annotatio in materiã Extremæ Vnctionis.

Hîc animaduertas oportet, cùm triplex olei genus ad populi Christiani vsum ab Episcopo benedicatur, Chrisma videlicet, quod admixto balsamo ex oleo fit oliuæ, ad vngendos pueros in vertice per Sacerdotem, dum baptizantur, ac dum cõfirmantur per Episcopum in fronte; oleum Cathecumenorum, quo olei salutis nomine etiam appellato infantes ante Baptismum in pectore, interque scapulas vnguntur; & oleum Extremæ vnctionis, quo ægroti communiter sex locis, in quibus maximè sensus mouẽtur, hoc est, in oculis, naribus, auribus, labris, manibus, & pedibus, & si sunt viri, etiam in renibus perunguntur; vt in tribus his literis C. S. I. inter se distinctis pyxidibus asseruetur; nequem Parochi alieno oleo vngant, quòd tum is, qui vngit, mortaliter peccet; &, qui vngitur, ac si vnctus non sit, nihil inde vtilitatis, nihil fructus, nihil emolumenti capiat. Quare, si Sacerdos in hoc Sacramento administrando errâsse se deprehenderit, denuò hominem proprio oleo vngere, ac, quod est omissum, supplere debet, sed

Ex D. Th. 4. sent. d. 23. q. 2. ar. 3. q. 2 in cor. & ad tertium.

Aquina opus. 65. de sacra vnctione.

De sacr. vnct. C. Cùm venisset.

bet,sed ne hic error facilè contingat,seruanda sunt,quę de hac re inferiùs habentur,cap.4. §.3.

Quòd si oleum extremæ vnctionis, aut alterius etiam generis defecerit,olei licet non consecrati additione,abundantiam & copiam Sacerdos sibi suppeditabit: tunc enim,quod additur, olei consecrati vim habet,ac naturam,dummodò,secundùm aliquot Doctores, maior fuerit quantitas olei consecrati, quàm non consecrati.

De cons. Eccles.vel altar. C. Quod in dubiis.

Ex D.Tho. 4. d 11.q.1. ar.2.q.6.in cor.

Forma Sacramẽti Extremæ Vnctionis.

Forma verò eius nihil aliud est, quàm quædam peccatorum deprecatio: Per istam sacram vnctionem,& suam piissimam misericordiam,indulgeat tibi Dominus, quicquid deliquisti per visum; In nomine Patris, & Filij,& Spiritus sancti. Amen.

Et sic de reliquis sensibus sigillatim nominatis est dicendum,videlicet per auditum,per odoratum, per gustum,per tactum,per gressum,ac denique per lumborũ delectationem. Postrema autem verba; In nomine Patris,& Filij &c. vt Doctores quidam sentiunt, ad Sacramenti naturam,formæque necessitatem pertinere non videntur.

Effectus Sacramenti Extremæ Vnctionis.

Effectum materia nobis, quem imitatur,apertissimè indicat;cùm extrema vnctio in interiori hominis parte id efficiat, quod oleum præstat extrinsecùs. Vt enim oleum ad recreandas defessi corporis vires, ac dolores leniendos adhibetur;ita vis huius Sacramenti ad animi mœrorem minuendum,ad tollendam tristitiam, ad excitandam, confirmandamque virtutem plurimùm valet, magnam in eo diuinæ misericordiæ fiduciam excitando;qua infirmus subleuatus, & morbi incommoda, ac labores leuiùs fert, & tentationibus Dœmonis calcaneo insidiantis faciliùs resistit,& à delictis,peccatorum-

Ex Conc. Trid. cap. 2. doctr. Extr.vnct. sess. 14.

torumque reliquiis (si quæ sint adhuc expianda) abstergitur, & sanitatem corporis interdum, vti saluti animæ expedierit (teste Iacobo) consequitur.

Iac. 5. De verb. signif. C. Quæ sunt.

Minister Sacramenti extremæ vnctionis.

Minister quouis tempore, etiam cùm res vrget, solus Sacerdos est; quem esse Episcopum, aut non esse, nihil refert. Huic dum Sacramentum administrat, Clericus, aut Laicus saltem, necessitate ita flagitante, adiunctus comes esse debet, qui respondeat.

QVIDNAM A PAROCHIS *in huius Sacramenti administratione obseruandum sit.*

CAPVT QVARTVM.

Instruendus populus de vtilitate Extr. vnct.

PAROCHI in primis sibi commissos de dignitate, fructu, & vtilitate Extremæ vnctionis inter concionandum diligenter docebunt; ne vim huius sacræ vnctionis, atque effectum, probatam, ac salutarem animarum medicinam (vt non pauci hac nostra ætate tam calamitosa peruersissimè faciunt) pro nihilo putent, imbecillitatemque suam, quę cùm semper, tum in extremo vitæ spiritu maximè infirma, afflicta, atq; eneruata est, hoc diuino priuent auxilio.

Oleum ad infirmos deductum genu flexione non venerandum.

Imperitos autem dehortabuntur, ne sacra olea, cùm in apertum proferuntur, genibus nixi adorent. Quod vsu ne eueniat, tintinnabuli pulsus, quo ad sacræ Eucharistiæ cultum hominum animi commoueri solent, intermittatur. Satis enim fuerit, si Christiani sacrum ole-

um ad salutem, vtilitatemque suam precatione, Deique verbo consecratum sola capitis nudi inclinatione reuereantur.

Ne confundantur sacra olea.

Caueãt Sacerdotes, ne olea sacra cõfundantur, proindè prçter id, quod suprà diximus, de propriis quibusdã signis, vasibus singulis apponendis; Mandamus vt duo vasa sint coniuncta, quibus olea Chrismatis & salutis conseruentur; tertium verò omnino separatum sit, quo solo, oleum infirmorum & seruetur, & circumferatur; esse autem debet vas hoc infirmorum vnà cum superpelliceo & stola semper in promptu, ne, cùm subitus euentus postulauerit, periculum sit in mora.

Debita caremonia Extrema vnctionis ne omittantur. Infirmi tantùm ad mortem vngendi.

Caueant item, ne quem extrema vnctione oblinant; nisi debitæ cæremoniæ, preces, & litaniæ ab Ecclesia Catholica statutæ, atque introductæ infrascripto modo adhibeantur. Excipimus tamen, cùm secus necessitas postulat. Vngendi autem sunt hoc sacro extremæ vnctionis oleo soli ægroti; neque omnes, sed ij tantùm, quibus mortis periculum imminere videtur. Qui verò firmo sunt corpore, ac valenti, ad mortisque supplicium rapiuntur, perungendi non sunt. *Ex Conc. Flor. & Trid.*

Qui sint incapaces Extrema Vnctionis.

Pueri, antequàm ad annos discretionis perueniant, amentes, fatui, ac qui toto vitæ tempore perpetuo quodam insaniæ furore aguntur, Extremæ vnctionis participes esse non debent. Quòd si qui ex graui aliquo morbo in amentiam inciderint, aut ratione, vel sermone vti desierint; vngi debent, si tamen ante morbum pietatem coluisse Christianam dicantur.

Extrema Vnctio iterabilis.

Hoc verò Sacramentum in eodem homine sæpius iterari potest, non in variis solùm, sed in eodem etiam morbo, cùm diuersa vitæ pericula post dierum aliquot inter- *Idem affirmat & Cõ. Trid. sess. 14. c. 13. doctr. Extrem. vnct.*

interualla impendent; vt si nunc remittēte, nunc rursus ingrauescente morbo mors imminere videatur.

Aduertat autem Sacerdos, cùm ægrotum aliquem cum Extrema vnctione aditurus est; an is duobus confessionis, Eucharistiæque Sacramentis munitus iam sit. Nam, si nihil horum adhuc præstiterit, oleo sancto vngendus non est; nisi quis iustas, grauesque ob causas, vtpote, ob aliquod vitium corporis, stomachi præsertim, aut gutturis, ad periculum ac scandalum, in sacrosanctæ Synaxis susceptione euitandum, communicare non potuerit; tunc enim confessio sat est, quia bona voluntas sufficiat; secundùm illud Diui Augustini: Crede & manducâsti. Quòd si aliquot diebus antè ægrotus confessioni, atque Eucharistiæ fecerit satis; denuò illum Sacerdos ad vtriusque susceptionem hortari debet; præsertim si hominem liberiori conscientia, nec admodum tuta esse nôrit, vt is digniùs possit sacro Extremæ vnctionis oleo posteà vngi. Quæ omnia Parocho, antequàm sacrum oleum ad ægrotum deferat, sedulò curanda sunt; alioquin officium si deserat suum, dignas (vt par est) luere pœnas debet.

Extremæ vnctionis confessio & communio præponantur.

Si infirmus leprosus sit, spatula munda oleum Sacerdos pollici admouebit, vngetque ægrotum; ac spatulā posteà cum stuppa cremandam curabit.

De ratione vngendi contagiosos.

Quisquis autem, ad quē Sacramētum hoc est deportandum; in oculis propter visum vngetur; in auribus propter auditum; in naribus propter odoratum; in ore propter gustum, & locutionem; in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum; in renibus propter appetitum concupiscibilem ibi maximè vigētem, quòd in eis libidinis flamma ardeat. Proinde dicebat Christus: Sint lumbi vestri præcincti.

Quibus partibus vngēdi infirmi, & quare.

Luc. 12.

Ratio peculiaris seruāda in vnctione mulierum.

Nullibi tamen debent lumbi fœminis inungi, cùm propter honestatem, tum propter rei significationem, iuxta dicta sancti Gregorij in illud Iob: Fortitudo eius in lumbis eius, & virtus illius in vmbelico ventris eius. Iob. 40.

At si ægrotus eorum membrorum aliquo careat, quæ vngenda sunt: vt, manu, pede, aut alio quocunq;, vngatur locus propinquior.

Manus Sacerdotum exterius, Laicorum interius quare vngendæ?

Manus verò Sacerdotis, quarum palma ab Episcopo peruncta est, foris reuerentiæ causa; laicorum autem intus vngantur.

a Instante omnino morte, adhibendæ sunt tantummodò vnctionum formæ, si per tempus alia addi non poterunt.

[a] Si obitus ægro iam iam instet; missis precibus, quæ vnctionem præcedunt: hæc tantùm formæ necessaria verba pronunciet: Per istam sanctam vnctionem, & suā piissimam misericordiam, &c. Quòd si ægrotus adhuc superuixerit, precationes cæteras, vnctionem quæ sequuntur, recitet.

b Idem vngat & verba formalia proferat.

[b] Animaduertant item Parochi, cùm ęgros oleo sacro perungunt, vt ipsimet formalia verba huius Sacramēti proferant. Neque enim vnus vngere, ac precationem alter recitare debet; vt quidam Sacerdotes ineptè admodum facere consueuerunt. Possunt tamen nihilominus & alij Sacerdotes cum vngente precari. d. 23. C. Quorundam.

Extra articulum necessitatis nemo non sibi subiectos vngat.

Nemo autem externos homines, absque Parochi ipsorum consensione vngat; nisi rei necessitas ita postulet. De reg. iur. C. Quod non est.

Cauendū est Parochis, ne ipsorum negligentia infirmi moriantur sine Extrema Vnctione.

Qui verò grauiter ægrotant, si hoc Sacramentum spernant, aut sibi adhiberi non curent, grauissimè peccant. Item & Parochi ipsi, qui extremam vnctionem egenti conferre, aut nolunt, aut negligunt, crimen admittunt mortale.

[c] Quòd si quis hac salutari egens medicina, mentisq; compos, extremam vnctionem petiturum se apertè negārit

gârit, affirmâritq;, id remedij genus se neque velle, neq; optare, ac pertinacissimè renuerit; supersedeatur hoc vngendi munere. Omnem tamen det operam Sacerdos, vt, quoad eius fieri potest, illius animā lucretur, homine ad istud Sacramentum variis rationibus, exhortationibusque plurimis inducto. *c Inuitus non vngatur sed doceatur.*

At si æger audiens esse noluerit, atque obstinata voluntate ex hac vita migrârit, Sacramenti huius contemptor & anathema secundùm sacros Canones Concilij præcipuè Tridentini existimetur; nisi in extremo vitæ suæ obitu contritionis euidentissimum signum aliquod dederit. *Recusans innungi, nisi resipuerit anathema.* Sess. 14.

Postremò tandem meminerint Parochi, vt quotannis (quod in Baptismate iam diximus) sacrum oleum renouent, ac vetus comburant. *Quotannis renouandum oleum infirmorū.*

QVOMODO SACRVM Oleum Sacerdos ad ægrotum deferre debeat.

CAPVT QVINTVM.

SACERDOS ægrotum vncturus, de cuius salute dubitetur; sacrum oleum manibus religiosè, ac sanctè deferat, accenso lumine præcedente; interque eundum aliquot Psalmos recitet; atque in limine ipso domui pacem diuinam precetur:

℣ Pax huic domui;

℟ Et omnibus habitantibus in ea.

Deinde

Deinde ſequentem, vel aliam ſimilem orationem adiungat.

Oremus.

Omnipotens, & miſericors Deus, qui Sacerdotibus tuis præ cæteris tantam gratiã contuliſti; vt, quicquid ab eis in nomine tuo dignè, perfectèque agitur, à te fieri credatur: Quæſumus immenſam clementiam tuam, vt, quicquid modò viſitaturi ſumus, viſites &, quicquid benedicturi ſumus, benedicas; ſitq; ad noſtræ humilitatis introitum, Sanctorum tuorum meritis, fuga Dæmonum, Angeli pacis ingreſſus. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Poſteà ad ægroti lectum propiùs accedens, illum humaniter ac benignè ſalutet. Ne verò ad extremam vnctionem, quaſi ad certam imminentis mortis accelerationẽ animo cadat, hac ſequenti exhortatione hominem conſoletur, ac confirmet; præſertim ſi adhuc mentis compos ſit, neque à ſe diſcedat; alioquin exhortatio ipſa prętermitti poſſet.

EXHOR-

EXHORTATIO AD ÆGROtum oleo sacro vngendum.

CAPVT SEXTVM.

CHARISSIME in Christo frater, æquum est, vt, seu valeamus, seu ęgrotemus, diuinæ voluntati morem semper geramus, ac nos ipsi sub potenti manu Dei summittamus, quandoquidē & vita & mors nostra in eius est potestate sita, qui in vniuersum hominum genus, tanquàm artifex ac fictor in vasa sua fictilia ius habet omne. Nam, cū mortales nati simus, atque ea conditione viuamus, vt paulò pòst bene consummato vitæ nostræ cursu moriendū sit; tanto terrori & molestiæ graues morbi esse non debent, ac periculosæ ægritudines, quæ certum mortis metum iniiciunt, nosq; de vitæ huius statu deturbant, & aliam sedem, patriam, regionem, eamq; felicissimam (dummodò in hac vita sanctè vixerimus) petere cogunt. Siquidem Dei fortasse volūtas est, vt isto morbo ex hac hominum turba & colluuione discedas. Quare fac, ad eius imperiū paratus sis, ac prōptus, vt mortalem fragilitatē cum ęterna vita ac beata lubens cōmutare velis; cùm nos in huius seculi insolentia, ac peruersitate viuentes, præter molestias, labores, contumelias, dolores, atq; infinita propemodum eiusmodi mala, aliud nihil, maneat. Neq; verò vicissim ignoramus, vitā illam, ad quam per mortem nascemur, adeò esse beatam, vt omnium periculorum sit expers, ærumnis vacua, soluta curis, ęgritudine, metu, detrimēto libera, omniq; bonorum genere expleta atq; cumulata. Clemētissimus enim Deus lachrymantibus Sanctorum

ſuorum oculis fletum abſterget, vt à mœrore, à rebus aduerſis, à mortis timore liberati, aliud nihil, quàm lætitiã, alacritatem, vitam, beatitudinem, cogitent ac ſentiant. Quocirca ne te mortis tædeat, ſi hoc morbo inter viuos eſſe deſieris; ſed in ea potiùs cogitatione, curaq; verſare, vt honeſtiſſimè, ac ſanctiſſimè moriaris, atq; in eas oras migres, quas boni, qui è vita exceſſêre, incolunt. Quod vt fiat, confugiendum tibi eſt ad beatiſſimæ virginis Mariæ, & aliorũ Sanctorum, Sanctarumq; Dei omnium ſuffragia; præſertim autem ad merita Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti, quẽ Parens, ſingulari planè in nos affectus amore, ex altiſſimo cœli domicilio in terras demiſit, vt in eum credentes vitam ęternam habeamus. Illius humeris peccatorum noſtrorum onus ferendum impoſuit, pœnasq; delictorum tuorum, quas te luere omnia iura volebant, in filium tranſtulit, qui interitu ſuo totum genus humanum ab extremo exitio ſeruaret. In hoc ergò benigniſſimo ac miſericorde Deo omnem ſpem ac fiduciam tuã collocare; ab eo, quicquid eſt boni, ſperare; in ipſius clementia magno & erecto animo eſſe debes; cùm vltrò illi ſalus tua cordi fuerit; tibi ſeſe non quæſitus obtulerit; natum ſpontè morti addixerit; vt te precioſo ſanguine ſuo ab hoſtium faucibus eriperet, & ad ſacrũ Baptiſmum, per quem cum Chriſto cõiungimur, pro ea, qua eſt, benignitate admitteret. Itaq; ne nunc quidem (ſi te dignum, idoneumq; præbueris) auxilium tibi ſuum, opemq; negabit; ſed in hoc extremo vitæ periculo etiam ſaluti tuæ prętò erit; afflicto & iacẽti dexteram porriget, atq; vel priſtinæ (ſi id ę re tua eſſe videbitur) te ſanitati reſtituet; vel mortalitate exutum, ad immortalitatem perducet; Vbi animus tuus dulciſſimo, ac iucũdiſſimo Dei aſpectu recreatus, beatarumq; mentium erectus præſentia, perpetua volu-

voluptate perfruetur, ac post corpus à morte excitatũ, indissolubiliq; vinculo, ac longè illustriori sibi coniunctum, laborum olim, ac dolorum socium, perpetuum tunc gloriæ, triumphorumq; comitem habebit. Vt hæc autem cõfessione, ac sacrosancta Eucharistia iam munitus assequi possis, sacra vnctione, quæ extrema dicitur, secundùm veterem sanctæ Matris Ecclesiæ cõsuetudinem vngẽdus es. Ea enim gratia Spiritus sancti est, qua peccatorum reliquiæ, si quæ adhuc supersunt, tolluntur; ęgroto animus additur ad spem, expectationemq; diuinæ misericordiæ; morbi iacturæ ac damna leuiùs feruntur; tentationes dæmonũ faciliùs arcentur, ac vincuntur; & corpori tandem, si ita animæ expedierit, pristina sanitas restituitur. Proinde adesto animo parato ac prompto, ad exequenda ea omnia, quæ diuinitus in te statuentur, vt fructibus huius Sacramenti vberrimis cum lætitia perfruare.

Post exhortationem, si per locum et tempus licuerit, hæc Sacerdos ab ægroto petat, q̃ proximè sequuntur, breui tamen quadã eorum instructione pręmissa, nõ tamen oẽs sequentes interrogationes omnibus cõueniunt: Proinde, habita ratione personarũ, sicut prudentia docebit, à singulis petat Sacerdos, quæ singulis cõuenire iudicauerit; ita autẽ pro cuiusq; dispositione prudenter agat, vt nec importunitate infirmum defatiget, nec morositate exasperet.

PETITIONES ÆGROTO PRO oportunitate facienda.

CAPVT SEPTIMVM.

S. CRedisne omnes articulos fidei, & totam sacram scripturam, secundùm expositionem sanctorum Doctorum, ac Catholicorum?

R. Credo.

S. Detestaris & reprobas oẽs hæreses, ac superstitiones à sancta matre Ecclesia Catholica damnatas, & reꝓbatas?

R. Reprobo.

S. Gaudes mori in fide Domini nostri Iesu Christi?

R. Gaudeo.

S. Cognoscis te multum offendisse Dominum creatorem tuum; à quo tanta beneficia accepisti, & à quo habes, quicquid boni habes?

R. Cognosco.

S. Doles ex corde de omni offensa contra Dñm Deum; teipsum, & proximum tuum quomodocunq; cõmissa.

R. Doleo.

S. Doles de omni negligentia, & omissione bene operandi; & de contemptu gratiarum, à Dño Deo tibi datarum?

R. Doleo.

S. Doles de hoc non timore mortis, vel cuiuscunq; pœnæ, sed solùm ex consideratione offensæ diuinæ bonitatis, quam offendisti?

R. Ita doleo.

S. Desideras recordari omnium peccatorum tuorum oblitorum; vt de ipsis peculiarem contritionem, dolorẽ, ac pœnitentiam habere possis?

R. Desidero.

S. Propo-

S. Proponis, in posterum, si Deo placuerit, te ab hac ægritudine sanare, toto tempore vitæ tuæ cauere à peccatis mortalibus, & vitã tuã mutare, ac quodcunq; damnũ temporale potiùs, mortemq; corporalem sustinere, quàm deinceps Deum p peccatũ mortale offendere?

R. Propono.

S. Roga Deum, vt te in hoc sancto proposito conseruet.

R. Rogo.

S. Parcis omnib' inimicis tuis, qui verbo, vel re tibi, aut tuis aliqua in re nocuerunt, amore Dñi Dei tui, à quo etiã tu veniam peccatorũ tuorum petis; hocq; non verbo solùm, sed corde itidem, & firma voluntate?

R. Parco.

S. Vis omnia integrè restituere illis, à quibus acquisisses, recepisses, vel habuisses per te, aut per alios, iniustè atq; indebito modo; ac p hoc oẽs facultates tuas, si alìter satisfacere nõ posses, exponere, & eidem renunciare?

R. Volo, & paratus sum.

S. Credis non propriis meritis, sed passionis Dñi nostri Iesu Christi virtute ac merito ad gloriam peruenire?

R. Credo.

S. Credis, quòd Dominus noster Iesus Christus pro salute nostra mortuus sit; & quòd ex propriis meritis, vel alio modo nullus saluari possit, nisi in merito passionis eius?

R. Credo.

S. Redde ei gratias toto corde, quantum potes, & te passioni eius commenda, illamque cùm corde cogita, tùm ore, quantum potes, nomina.

R. Reddo.

S. Doles, te recordari non posse omnium peccatorũ tuorum, quibus Dominum Deum offendisti in quocunq;

loco,& cum quacunq; persona; quæ si meminisses, integrè confitereris?

℟. Doleo.

S. Doles, quòd, postquàm veniam peccatorum tuorum à Domino Deo cōsecutus es, reuersus sis ad eadem peccata, vel similia, vel maiora?

℟. Doleo.

S. Si occurrerit tibi Diabolus, ei semper opponesmerita passionis Christi.

℟. Opponam.

S. Si te tentauerit de fide, dicas te omnia credere& confiteri, quæ credit, ac cōfitetur sancta Catholica & Apostolica Ecclesia.

℟. Dicam.

S. Si Dominus Deus voluerit te secundùm peccata tua iudicare, dicas: Domine Deus, ego pono mortem Domini mei Iesu Christi inter me, & iudicium tuum; & quamuis æternam mortem meruerim propter peccata mea; interpono tamen meritum passionis eiusdem, loco meriti, quod ego miser habere deberem, & non habeo. Item: Domine, pono eandem passionem & mortem Domini mei Iesu Christi inter me & iram tuam; & in manus tuas Domine commendo spiritum meum.

℟. Dicam.

Posthæc sequentes ægrotus protestationes vt faciat, efficacibus verbis persuadeatur, si commodum fuerit.

PRO-

PROTESTATIONES, QVÆ *fieri ab ægroto debent.*

CAPVT OCTAVVM.

IN nomine sanctissimæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Ego N. protestor coram te, sanctissime Angele Dei, diuina pietate ex vtero matris cōmissus, & coram te Patre meo N. & coram omnibus vobis circumstantibus; quòd in ea vera fide Catholica, quam sancta Romana & Apostolica profitetur Ecclesia, & in qua omnes Sancti decesserunt, mori desidero, ac volo. Nec ad momentum temporis diutiùs viuere affecto; nisi quantum diuinæ placuerit pietati; cui in omnibus conformiter meam subiicio voluntatem. *Prima.*

Protestor, quòd sub Angelica protectione tua, ac præsidio diuinæ gratiæ discedam ex hac vita; & ita mori intendo absq; omni desperatione, ac fidei dubitatione; ita vt neq; magnitudo, neq; multitudo peccatorum meorum in baratrum desperationis me immergere debeat; cùm sciam & verè credam, vnam Deifici sanguinis sui guttam, in ara crucis effusam, suffecisse in redemptionem totius humani generis, si ita diuinæ pietati placuisset. *Secunda.*

Protestor, quòd si pusillanimitate spiritus propter tremendum diuinum iudicium, cui astare debebo, aut dæmonis tentatione, aut debilitate rationis (quod Deus auertat) in aliquam desperationem inciderem, vel fidei dubitationem; hoc ipsum pro tunc sana nunc mente existens reuoco, irritum facio, atque infectum haberi volo; eò *Tertia.*

lo; eò quòd non animo sano, ac deliberato idipsum euenict; submittens me in omnibus diuinæ clementiæ.

Quarta. Protestor, quòd cùm diuina misericordia nulli peccatori contrito, ac confesso, in remissionem peccatorum suorum eam desiderãti, negetur, vt eandem misericordiam, ac remissionem mihi impertiri velit, toto corde desidero, & peto illam per merita amarissimæ mortis suæ, ac virtutem preciosissimi sanguinis sui, pro me effusi in ligno sanctissimæ Crucis; & per merita ac preces sanctissimæ Matris suæ, & omnium sanctorum Angelorum, atque Electorum.

Quinta. Protestor etiam, per hanc petitionem humili prece factam, me cupere; vt diuina pietas me suscipere velit in numerum eorũ, quos ab ęterno præordinauit, in extremo iudicio esse saluãdos; etiamsi, quamdiu peccata mea exigent, pœnas purgatorij sustinere debeam; dummodò in æternum non secludar ab eius misericordia.

Sexta. His protestationibus p̃missis, sanctissime Angele Dei, tibi extremam volũtatem meam & affectionem pro testamento animę meę cõmendo, tria mihi ex testamento Saluatoris misericorditer impertiri cupiens. Primò, vnũ intuitum lachrymosum, ac mœstum suspirium, ex innumeris, quæ in cruce pendens tribus horis viuus traxit, ad mitigandos singultus, ac gemitus, quibus nunc premor. Atq; vt ipsa Mater omnis gratię mecũ diuidere velit vnũ cordis sui virginei gemitum, mœstumq; suspirium, ac lachrymosum intuitũ ex innumeris, quos sub cruce suspirans, ac lachrymans in filium redemptorẽ generis humani fixit, dum illũ mœsta intueretur. Suscipiar obsecro in numerum eorum peccatorum, qui veniam, & salutem in extremo saltem iudicio, per sanctissima eius merita, ac preces cõsequuntur. Secundò, succurrat Angelica pietas

tua,

tua, vt, quando miſerum cor meum ſcindetur, & anima mea miſera à corpore ſeparabitur, iudicem placabilem inueniam, intuitu illius diuinæ charitatis, qua cor eius amore ardens ſcindebatur in cruce pro ſalute mundi, & diuiniſſima anima eius à diuiniſſimo corpore ſeparabatur. Vltimò, ſanctiſſime Angele Dei, commendo tibi extremam horam vitæ meæ, & exitum animæ meæ, gubernando, & ab hoſtibus ſalutis me protegendo; atque vt ſuper has proteſtationes velis eſſe, vbi & quoties opus fuerit, contra omnia pericula ſalutis, fidelis teſtis & protector.

Hæc omnia, ſi is, qui ægrotat, latinè loqui neſciat, lingua vernacula præſtāda ſunt.

Annotatio in ſupradictas petitiones &c. ac proteſtationes &c.

Notandum tamen, tam petitiones, quàm proteſtationes non neceſſariò ante extremam vnctionem faciendas ſemper eſſe; ſed (ſi ita Parocho videatur) ante ſacræ Euchariſtiæ ſumptionem, vel pòſt, vel aliis temporibus etiam, cùm mortis imminet periculum, fieri poſſe; modò ægrotus rationis compos ſit, ac ſana mente; quæ etiam proponi ægroto poſſunt non à Parocho tantùm, verùm etiam à quacunq; alia perſona pia aſſiſtente, præſertim ſi nullus Sacerdos adfuerit, aut in aliis rebus occupatus ſit.

Poſteà ſequentes preces recitet Sacerdos, vel alias ſimiles, pro conſuetudine Diœceſis.

PRECES ANTE EXTREMAM vnctionem recitandæ, cum aliis cæremoniis & interrogationibus.

CAPVT NONVM.

℣ ADIVTORIVM nostrum in nomine Domini;
℟ Qui fecit cœlum & terram.
℣ Dominus vobiscum;
℟ Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Adesto Domine supplicationibus nostris, & me indignum, qui primùm misericordia tua indigeo, clementer exaudi; & cui non electione meriti, sed dono gratiæ tuæ contulisti huius operis esse ministrum; da fiduciam tui muneris exequendi, & ipse in nostro ministerio, quod tuæ virtutis est, operare. Per Christum Dominum nostrum.

Oremus.

Introeat, Domine Iesu Christe, domum hanc, sub nostræ humilitatis ingressu, æterna fœlicitas, diuina prosperitas, serena lætitia, charitas fructuosa, sanitas sempiterna; effugiat ex hoc loco accessus dæmonum; adsint Angeli pacis, domumque hanc deserat effugata discordia; Magnifica Domine super nos nomen sanctum tuum, & bene ✠ dic nostræ conuersationi; sanctifica nostræ humilitatis ingressum, qui sanctus & pius es, & permanes cum Patre, ac Spiritu sancto, in secula seculorum. Amen.

Ore-

Oremus & deprecemur Dominum nostrum Iesum Christum, vt benedicendo bene ✠ dicat hoc tabernaculum, & omnes habitantes in eo; & det eis Angelum bonum custodem, & faciat eos sibi seruire ad considerandum mirabilia de lege sua; auertat ab eis omnes contrarias potestates; eripiat eos ab omni formidine, & ab omni perturbatione, ac sanos in hoc tabernaculo custodire dignetur. Qui cum Patre & Spiritu sancto viuit, & regnat in secula seculorum. Amen.

Oremus.

Exaudi nos Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, & mittere digneris sanctum Angelum tuum de cœlis, qui custodiat, foueat, protegat, visitet, atque defendat omnes habitantes in hoc tabernaculo. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

His precibus recitatis, ædituus quidem crucifixi imaginem ob oculos ægroti ponat; vt eius conspectu sanctissimæ mortis Christi recordetur: Sacerdos verò ægrotum prius, deinde cubiculum aqua benedicta in formam crucis aspergat, his verbis adiectis:

Respon. Asperges me Domine hysopo, & mundabor; lauabis me: & super niuem dealbabor.

℣ Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam.

Gloria Patri & Filio, & Spiritui sancto.

Lauabis me &c.

Posthæc ægrum ita sciscitetur:

S. Desiderasné Sacramentum extremæ vnctionis?
℟ Desidero.
S. Credisné Deum, Sanctis intercedentibus, preces nostras, auditurum?
℟ Credo.

Quòd si grauitate morbi, ac magnitudine, rationis compos vix videatur, aut loqui nequeat; si tamen constet ipsum, antequàm ægrotaret, de hoc Sacramento bene sensisse, nihilque aduersa valetudine, quod contrarium esset, dixisse; ac tunc, si ratione vti posset, petiturum fuisse, aut quàm libentissimè suscepturum, detur; nam licet explicitè Extremam vnctionem non petierit, petiit tamen implicitè, ac desiderauit. Astantes deinde Sacerdos ita exhortetur ad precandum: 26. q. 5. c. His qui. Et de sent. excom. C. A. nobis

Præpotentem itaque Deum supplicibus, ac piis verbis precemur, vt nos benignè audiat, atque Diuis intercedentibus, huic corporis, animæque salutem concedere dignetur. Proinde precationem Dominicam, Angelicam salutationem, ac symbolum Apostolicum recitemus, omnes denique Sanctos, Sanctasque Dei inuocemus, dicentes:

Pater noster &c. Aue Maria &c. Credo &c.

Letania.

Kyrie eleison, Christe eleison.
Kyrie eleison. Christe audi nos.
Saluator mundi, adiuua nos.
Sancta Maria, ora pro eo, vel ea.
Sancte Michaël, ora pro eo, vel ea.
Sancte Gabriel, ora pro eo, vel ea.
Sancte Raphaël, ora pro eo, vel ea.
Oēs sancti Angeli & Archang. orate pro eo, vel ea.
Sancte Petre, ora pro eo, vel ea.
Sancte Paule, ora pro eo, vel ea.
Ac reliqua pro consuetudine Diœcesis.

Post letanias recitentur sequentes, vel aliæ similes precationes, pro more Diœcesis.

℣ Christe audi nos. ℟ Saluator mundi adiuua nos.
Kyrie eleison. Christe eleison.
Kyrie eleison. Pater noster &c.
℣ Et ne nos inducas in tentationem;
℟ Sed libera nos à malo.
℣ Saluum fac famulum tuum, vel famulā tuam, Domine;
℟ Deus meus, sperantem in te.
℣ Mitte ei auxilium de sancto;
℟ Et de Syon tuere eum, vel eam.
℣ Nihil proficiat inimicus in eo, vel ea;
℟ Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣ Esto ei Domine turris fortitudinis;
℟ A facie inimici.
℣ Domine exaudi orationem meam;
℟ Et clamor meus ad te veniat.
℣ Dominus vobiscum;
℟ Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui per beatum Apostolum tuum dixisti: Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, vt orent super eum, vngentes eũ oleo in nomine Domini; & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuabit eum Dominus; & si in peccatis sit, dimittentur ei; te suppliciter exoramus, vt hic famulus tuus, vel hæc famula tua, per ministeriũ nostræ vnctionis, & donum tuæ sanctæ pietatis, peccatorum suorum omnium veniam consequi, & ad vitam æternam peruenire mereatur.

Deus, qui famulo tuo Ezechiæ ter quinos annos ad vitam donâsti; ita et famulum tuum, vel famulam tuam, à lecto ægritudinis potentia tua erigat ad salutem. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Respice Domine famulum tuum, vel famulam tuam, in infirmitate corporis sui laborantem, & animam refoue, quam creâsti; vt castigationibus emendatus, vel emendata, continuò sentiat se tua medicina sanatum, vel sanatam. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

QVÆNAM OBSERVATIO *post letanias habenda circa ægrotum.*

CAPVT DECIMVM.

HIc ÆGROTVS, si vnum, aut alterum, ac plura etiam delicta in mentem veniant, ea maximè, quorum neque inter cõfitendum, neque posteà meminit, nisi eo ipso tempore, quo

re, quo à Sacerdote extrema ad ipsum defertur vnctio, (quod tamen ita ne eueniat, longè antè à Parocho curandum est) Sacerdoti priùsquàm Extremam vnctionem suscipiat, peccata hæc confiteatur, absoluaturque. Quòd si antè diligẽter omnia præstiterit, generalem saltem tunc ipsemet (si fieri potest) confessionem recitet. Quam si aliquo oris ac linguæ vitio efferre nequeat, astantes eius loco illam pronuncient.

Confessio generalis, si sacramentalis necessaria non fuerit.

Ego miser, indignus, & infelix peccator, confiteor Deo omnipotenti, beatæ Mariæ semper Virgini, beato Michaëli Archangelo, beato Ioanni Baptistæ, sanctis Apostolis Petro & Paulo, omnibus Sanctis Dei, & tibi Patri meo spirituali, vobisque omnibus præsentibus astantibus, me nimis grauiter peccâsse à iuuentute mea, vsque ad hanc præsentem horam, mala cogitatione, verbo, opere, & omissione multorum bonorum, contra Deum & proximum, palam, clam, scienter, ac ignoranter, sicut Deo creatori, & liberatori meo cognita, & aperta sunt; ego verò miserrimus peccator ea satis agnoscere minimè possum, quæ omnia ex intimo cordis affectu defleo. Ideò misericordiam Dei imploro, & te Patrem meum spiritualem, ac vos omnes astantes enixè oro, vt Deum pro me miserrimo peccatore orare, & ad consequendam peccatorum meorum remissionem pro me intercedere, atque interpellare dignemini (nam fidelis est Deus in omnes, & neminem à gratia sua arcet) vt propitius esse velit peccatis meis, eaque abluat per sanguinem Iesu Christi filij sui, mediatoris nostri, secum viuentis, ac regnantis in secula seculorum. Amen.

Annotatio

Supradictam autem confessionem genera-

in supradictam cõfessionem generalem &c. ralem poterit Sacerdos lingua vernacula pedetentim recitare, vt ægrotus subsequi ac repetere queat, si tantum possit; sin minùs, abbreuietur, vel ipse infirmus aliam, si nouit, recitet, aut si loqui non possit, vel cum difficultate & detrimento corporis, circumstantes loco infirmi hoc præstent, ægroto aliquo signo, præsertim capitis inclinatione, annuente. Ea verò confessione generali recitata, Sacerdos generalem dicat absolutionem.

Absolutio generalis. Misereatur tui omnipotens Deus, & dimittat tibi omnia peccata tua, & perducat te sine macula cum gaudio ad vitam æternam. Amen.

Indulgentiam, & absolutionem omnium peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens, & misericors Dominus. Amen.

Quòd si ægrotus Sacramentaliter tunc cõfessus sit; hæc, quæ proximè sequitur, secretò post confessionem detur à Sacerdote absolutio:

Absolutio Sacramentalis, si sacramentaliter confessio facta sit. Dominus noster Iesus Christus te absoluat; & ego autoritate ipsius, qua fungor, absoluo te ab omni vinculo excommunicationis, si quam incurristi, restituens te sacrosanctis Sacramentis Ecclesiæ, communioni, & vnitati fidelium; atque ab omnibus peccatis tuis, mihi confessis

fessis, & quorum memoriam non habes: In nomine Pa✠tris, & Fi✠lij, & Spiritus ✠ sancti. Amen.

Posteà coram ægroto septem Psalmi pœnitentiales recitentur, ac cuique extremò versiculus ille vulgatissimus: Gloria Patri, &c. subiiciatur, cum Antiphona propria ex Agendario Diœcesis.

Facta absolutione, septem Psalmi pœnitentiales sunt recitandi.

QVO ORDINE ÆGER vngendus sit.

CAPVT VNDECIMVM.

INTEREA, dum Psalmi recitantur, Sacerdos oleum Extremæ vnctionis in manus sumat; dextroque pollice eo tincto dicat: In nomine Pa✠tris, & Fi✠lij, & Spiritus ✠ sancti extinguatur in te omnis virtus Diaboli, per impositionem manuum nostrarum; imò per inuocationem omnium sanctorum Angelorum, Archangelorum, Patriarcharum, Prophetarũ, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, atque omnium simul Sanctorum. Amen.

Vngat deinde ægrotum, si mas fuerit, in iis septem locis, quæ suprà scripsimus, cruce singulis impressa; ac primò quidem oculorum dextrum, læuum deinde, secundò aures; nares tertiò; quartò labra, compressa tamen; quintò manus; pedes sextò; postremò renes perfricabit, statuta semper Sacramenti formula inter vngendum

gendum prolata; ita vt singulis vnctionibus rei nomen accommodetur; veluti ex subiecta figura perspicuè patet. At si fœmina fuerit, cùm propter honestatem, tum propter rei significationem, (vt suprà dictum est) lumbi, hoc est, renes inungi non debent.

	visum,	
Per istam sanctam vn-	auditum,	
cti ✠ onem & suam	olfactum,	In nomine
piissimam misericor-	gustum, &	Pa ✠ tris & Fi ✠
diam, indulgeat tibi	locutionem,	lij, & Spiritus ✠
Dominus, quicquid	tactum,	sancti.
deliquisti, per illicitũ,	gressum,	Amen.
vel illicitam,	lumborum	
	delectationẽ;	

Minister verò Parochi, si Clericus sit; sin laicus, Sacerdos ipse post singulas vnctiones sacrum oleum stuppa abstergat, quam in aliquod vas, quod plenum aqua debet adesse, iniiciat; atque perfecta re tota, aut in fluuium proiiciat, aut igne comburat.

POST VNCTIONEM SEQUENTES PRECES RECITENTUR, *vel aliæ similes ex Agendis Diœcesis.*

CAPVT DVODECIMVM.

VNxi te oleo sancto in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Et non lateat in te immundus spiritus, & dolor, siue insanabilis languor, neque in membris tuis, neq; in medullis,

dullis, neque in compaginibus membrorum tuorum: sed virtus Christi altissimi in te corroboretur. Quoniã sicut vnxit Samuel Dauid in Regẽ Prophetam, olei operatione, omnipotentis virtute; sic suo sancto medicamine te vnxi; quatenus per huius mysterij operationem, & per hanc sancti olei vnctionem, atque nostram deprecationem, virtute sanctæ Trinitatis medicatus, vel medicata, atque refectus, vel refecta, pristinam ac meliorem recipere merearis sanitatem à Domino omnipotente. Qui viuit, & regnat Deus in secula seculorum. Amen.

Oremus.

Respice Domine propitius super ✠ hunc famulum tuum, vel hanc famulam tuam, & opem ferre dignare super lectum doloris eius, impone manum tuam manui nostræ, & impera ægritudini nostræ, nec nostram peccatorum spernat infirmitatem; sed ad inuocationem tui nominis vereatur & fugiat; vt sanitati pristinæ, si expedit animæ suæ, restitutus, vel restituta exurgat, & sanctæ Ecclesiæ tuæ præsentetur incolumis. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oremus.

Per istam sanctam vnctionem, & per Dei virtutem, & per ministerij nostri benedictionem, sanctificentur ab omni sorde peccati manus, & os, cor quoque, ac sensus, visus, auditus, odoratus, gustus, tactus, & gressus, ac totum corpus tuum, & anima tua, vt idoneus, vel idonea efficiaris ad inuocandum, atque sanctificandum Deum & benedicendum nomen eius. Reddat tibi Dominus lætitiam salutaris sui, & Spiritu principali confirmet te, & Spiritum sanctum innouet in visceribus tu-

is,& ne auferat illum à te: Sed benedictio Dei Patris, & Filij, & Spiritus sancti descendat super te, copiosaque super caput tuum defluat,& in extrema corporis tui descendat,interiùs exteriùsque te repleat, atque circumdet,& sit semper tecum. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

His recitatis,ista super ægrotum benedictio fiat.

Benedictio ægroto iam Unctio impertienda. Dominus Iesus Christus apud te sit,vt te defendat + intra te sit,vt te reficiat + circa te sit,vt te cõseruet + post te sit,vt te confortet + super te sit, vt te vndique muniat, & bene + dicat. Spiritus sanctus descendat & maneat super te, Amen.

Propitietur Dominus cunctis iniquitatibus tuis. Amen.

Et sanet omnes languores tuos. Amen.

Redimatque de interitu vitam tuam. Amen.

Et faciat in omnibus bonis desiderium tuum.

Qui solus in trinitate vnus Deus viuit & regnat in secula seculorum. Amen.

Pax tecum.

Tum, si commodè fieri possit, vel si placuerit, capite ægroti manu tacto ita precetur:

Sanet te Deus Pater,qui te creauit in carne. Sanet te Filius, qui pro te passus est in cruce. Sanet te Spiritus sanctus,qui tibi infusus est in Baptismate.

Sancta & laudabilis Trinitas, vnus Deus gratiam suam ad profectum salutis animæ & corporis in te augeat, & ab omni malo te liberet, ac in bono iugiter conser-

conſeruet. Qui viuit & regnat Deus in ſecula ſeculorum. Amen.

Poſtremò Sacerdos ab ægroto digreſſurus, hac eum exhortatione conſoletur, ſi adhuc ſit capax.

EXHORTATIO AD ægrotum poſt Extremam vnctionem.

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

DILECTE in Chriſto frater, cùm corporis ægrotationem in hac vrgente neceſſitate, ſecundùm ſacrarum literarum promiſſionem, ac teſtimonia, diuinæ gratiæ beneficio refeceris, animumque tuum in Deo confirmâris; aduersùs hoſtium impetum fortiter pugnato, ac credito, præpotentem Deum, Chriſti ſeruatoris tui adductum meritis, obliturum iniuriarũ, memoriamq; peccatorum tuorũ depoſiturum; ac te à dæmonum inſidiis, à vi, à fraude ſeruaturum; Quorum vires (ii tibi ne nocerent) iampridem Chriſtus debilitauit, fregit, labefactauit. In hoc eodem Chriſto, vitæ tuæ autore, ac cuſtode, à nefaria malefactorum ſeruitute in libertatem vindicaberis, certamque ſalutis æternæ mercedem accipies. Quam tibi, nobisque omnibus per Ieſum Chriſtum Deus Opt. Max. tribuat. Amen.

DE COMMENDATIONE *animæ è corporis vinculis, tanquàm è carcere euolantis.*

CAPVT PRIMVM.

CVM ægrotus animam aget, Sacerdos stola indutus, ante exhalationem animæ, letanias sequentes cum adiunctis precationibus recitet:

Letania. Kyrie eleison, Christe eleison, kyrie eleison.

Christe audi nos,	Christe exaudi nos.
Pater de cœlis Deus;	miserere nobis.
Fili saluator mundi Deus;	miserere nobis.
Spiritus sancte Deus;	miserere nobis.
Sancta Trinitas vnus Deus;	miserere nobis.
Sancta Maria;	ora pro nobis.
Sancta Dei genitrix;	ora pro nobis.
Sancta Virgo virginum;	ora pro nobis.
Sancte Michaël;	ora pro nobis.

Et cætera, vt in Sacramento Extremæ vnctionis annotatum est.

Letaniis recitatis, ab astantibus contenta voce dicatur:

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.

Deinde attenuata voce orationem Dominicam precentur:

Pater noster &c.

Tum Sa-

Tum Sacerdos ſubiiciat altiùs.

℣ Et ne nos inducas in tentationem;
℟ Sed libera nos à malo.
℣ Saluum fac famulum tuum, vel famulam tuam;
℟ Deus meus ſperantem in te.
℣ Mitte ei auxilium de ſancto;
℟ Et de Syon tuere eum, vel eam.
℣ Nihil proficiat inimicus in eo, vel ea;
℟ Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣ Eſto ei Domine turris fortitudinis;
℟ A facie inimici.
℣ Domine exaudi orationem meam;
℟ Et clamor meus ad te veniat.
℣ Dominus vobiſcum;
℟ Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, conſeruator animarum, qui, quos diligis, corripis; & quos recipis, piè ad emendationē coërces; te inuocamus Domine, vt famulo tuo, vel famulę tuæ; qui, vel quæ, in corpore patitur mēbrorū debilitatem, gratiam tuam cōferre digneris; vt in hora exitus ſui de corpore, absq; mortalis peccati macula tibi datori proprio, per manus ſanctorū Angelorum tuorum, eius anima repræſentari mereatur; Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Deinde, cùm infirmus animam exhalat, ſequentes Sacerdos precetur orationes:

Proficiſcere anima Chriſtiana de hoc mundo, in nomine Dei Patris omnipotentis, qui te creauit; in nomine Ieſu Chriſti, filij Dei viui, qui pro te paſſus eſt; in nomine *In anima exhalanda precationes.*

nomine Spiritus ſancti, qui in te in Baptiſmo effuſus eſt; in nomine Angelorum, & Archangelorum; in nomine thronorum, & dominationum; in nomine Principatuum, & Poteſtatum; in nomine Cherubin, & Seraphin; in nomine Patriarcharum, & Prophetarum; in nomine ſanctorum Apoſtolorum, & Euangeliſtarum; in nomine ſanctorum Martyrum, & Confeſſorum; in nomine ſanctorum Monachorum, & Heremitarum; in nomine ſanctarum Virginum, & Viduarum; in nomine omnium Sanctorum, & Sanctarum Dei; Hodie ſit in pace locus tuus; & habitatio tua in ſancta Hieruſalem cœleſti. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Deus miſericors, Deus clemens, Deus, qui ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum, peccata pœnitentium deles; præteritorum criminum culpas venia tuæ miſerationis euacuas; reſpice propitiùs ſuper hunc famulũ, vel famulam, & remiſſionem ſibi omniũ peccatorum ſuorum tota cordis confeſſione poſcentem, deprecatus exaudi. Renoua in eo, vel ea, piiſſime Pater, quicquid terrena fragilitate corruptum, vel quicquid Diabolica fraude violatũ eſt; & vnitati corporis Eccleſiæ membrum redemptionis annecte. Miſerere Domine gemituũ, miſerere lachrymarum; & non habentem fiduciam, niſi in tua miſericordia, ad tuæ Sacramentum reconciliationis admitte. Qui cum Patre, & Spiritu ſancto viuis & regnas Deus, per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Oremus.

Commendo te omnipotenti Deo, frater chariſſime, vel ſoror chariſſima; & ei, cuius es creatura, committo; vt, cùm humanitatis debitum, morte interueniente, perſol-

persolueris, ad autorem tuum,qui te de limo terræ formauerat, reuertaris. Egredienti itaque animæ tuæ de corpore, splendidissimus Angelorum cœtus occurrat; Iudex Apostolorum tibi senatus appareat; Candidatorum tibi Martyrum triumphator exercitus obuiet; liliata rutilantium te Confessorum turma circundet; iubilantium te Virginum chorus excipiat, & in sinu Patriarcharum te collocet, & complexus astringat; mitis atque festiuus Christi Iesu tibi conspectus appareat;qui te inter assistentes sibi iugiter interesse decernat; ignores omne,quod horret in tenebris,quod stridet in flammis,quod cruciat in tormentis; cedat tibi deterrimus Sathanas cum satellitibus suis, & in aduentu tuo te comitantibus Angelis contremiscat, atque in æternæ noctis chaos immane diffugiat. Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius; sicut deficit fumus, deficiant; sicut fluit cera à facie ignis, si pereant peccatores à facie Dei;& iusti epulentur,& exultent in conspectu Dei. Confundantur igitur,& erubescant omnes tartareæ legiones;& ministri Sathanæ iter tuum impedire non audeant. Liberet te à cruciatu Christus, qui pro te crucifixus est; liberet te à morte Christus, qui pro te mori dignatus est. Constituat te Christus, filius Dei viui,intra Paradisi semper amœna virẽtia;& inter oues suas te verus ille Pastor agnoscat; Ille ab omnibus peccatis tuis te absoluat, atque ad dexteram suam in Electorum suorum te sorte constituat; Redemptorem tuum facie ad faciem videas; et semper præsens assistens manifestissimam beatis oculis aspicias veritatem. Constitutus igitur inter agmina Beatorum contemplationis diuinæ dulcedine potiaris in secula seculorum. Amen.

Oremus.

Suscipe Domine famulum tuum, vel famulam tu-

am, in locum sibi sperandæ saluationis à misericordia tua. Amen.

Libera Domine animam famuli tui, vel famulæ tuæ, ex omnibus periculis infernorum, & de laqueis pœnarum, & ex omnibus tribulationibus malis. Amen.

Libera Domine animam famuli tui, vel famulæ tuæ, sicut liberâsti Enoch & Heliam de communi morte mundi. Amen.

Libera Domine animam famuli tui, vel famulæ tuæ, sicut liberâsti Abraham de Hur Chaldæorum. Amen.

Libera Domine animam famuli tui, vel famulæ tuæ; sicut liberâsti Noe de diluuio. Amen.

Libera Domine animam famuli tui, vel famulæ tuæ; sicut liberâsti Iob de passionibus suis. Amen.

Libera Domine animam famuli tui, vel famulæ tuæ; sicut liberâsti Isaac de hostia, & de manu Patris sui Abrahæ. Amen.

Libera Domine animam famuli tui, vel famulæ tuæ; sicut liberâsti Loth de Sodomis, & de flamma ignis. Amen.

Libera Domine animam famuli tui, vel famulæ tuæ; sicut liberâsti Moysen de manu Pharaonis, Regis Ægiptiorum. Amen.

Libera Domine animam famuli tui, vel famulæ tuæ; sicut liberâsti Danielem de lacu leonum. Amen.

Libera Domine animam famuli tui, vel famulæ tuæ; sicut liberâsti tres pueros de camino ignis ardentis, & de manu Regis iniqui. Amen.

Libera Domine animam famuli tui, vel famulæ tuæ; sicut liberâsti Susannam de falso crimine. Amen.

Libera Domine animam famuli tui, vel famulæ tuæ; sicut

ſicut liberâſti Dauid de manu Regis Saul, & de manu Goliæ. Amen.

Libera Domine animam famuli tui, vel famulæ tuæ, ſicut liberâſti Petrum & Paulum de carceribus. Amen.

Et ſicut beatiſſimam Teclam virginem, & Martyrem tuam, de tribus tormentis atrociſſimis liberâſti; ſic liberare digneris animam infirmi huius, & tecum facias in bonis congaudere cœleſtibus. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Oremus.

Commendamus tibi Domine animam famuli tui, vel famulæ tuæ, precamurque te Ieſu Chriſte, Saluator mundi, vt, propter quam ad terram miſericorditer deſcendiſti, Patriarcharũ tuorum ſinibus inſinuari non renuas. Agnoſce Domine creaturam tuam, non à diis alienis creatam, ſed à te ſolo Deo viuo & vero; quia non eſt alius præter te, & non eſt ſecundùm opera tua. Lætifica Domine animam eius in conſpectu tuo, & ne memineris iniquitatum eius antiquarum, & immodeſtiarum, quas ſuſcitauit furor, ſiue feruor mali deſiderij; licet enim peccauerit; tamen Patrem & Filium, & Spiritum ſanctum non negauit, ſed credidit, & zelum Dei in ſe habuit; & te Deum, qui feciſti omnia, adorauit. Amen.

Oremus.

Delicta iuuentutis, & ignorantias eius quæſumus Domine ne memineris; ſed ſecundùm magnam miſericordiam tuam memor eſto illius, in gloria claritatis tuæ; comitentur eum Angeli in regnum tuum.

Domine ſuſcipe famulum tuum, vel famulam tuam; ſuſcipiat eum, vel eam, ſanctus Michaël Archangelus,

qui militiæ cœlestis Principatũ meruit obtinere. Veniant illi obuiam sancti Angeli Dei, & perducant eum, vel eam, in cœlestem ciuitatem Hierusalem. Suscipiat eum, vel eam, beatus Petrus Apostolus, cui à Deo claues regni cœlorum traditæ sunt. Adiuuet eum, vel eam, sanctus Paulus, qui dignus fuit esse vas electionis. Intercedat pro eo, vel ea, sanctus Ioannes, electus Dei Apostolus, & Euangelista, cui reuelata sunt cœlestia secreta. Orent pro eo, vel ea, omnes sancti Apostoli, quibus à Domino data est potestas ligandi atque soluendi. Intercedant pro eo, vel ea, omnes Sancti Dei, qui pro Christi nomine tormenta in hoc seculo sustinuerunt; vt vinculis carnis exutus, vel exuta, peruenire mereatur ad gaudia regni cœlestis; præstante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

Spiritu naturæ reddito, dicat Sacerdos sequentes precationes:

PRECES POST EXHALATAM ANIMAM.

CAPVT SECVNDVM.

Respon. SVBVENITE Sancti Dei; occurrite Angeli Domini, suscipientes animam eius; offerentes eam inconspectu altissimi.

℣ Suscipiat te Christus, qui vocauit te; & in sinum Abrahæ Angeli deducant te. Offerentes eam &c.

℣ A porta inferi;

℟ Erue

℟ Erue Domine animam eius.
℣ Requiescat in pace;
℟ Amen.
℣ Domine exaudi orationem meam;
℟ Et clamor meus ad te veniat.
℣ Dominus vobiscum;
℟ Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Tibi Domine commendamus animam famuli tui, vel famulæ tuæ, vt defunctus, vel defuncta, in seculo tibi viuat; &, quæ per fragilitatem mundanæ conuersationis peccata commisit, tu venia misericordissimæ pietatis absterge. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oremus.

Commendamus Domine animam famuli tui, vel famulæ tuæ, in manibus Sanctorum, Abraham, Isaac, & Iacob, & omnium Patriarcharum.

Commendamus Domine animam famuli tui, vel famulæ tuæ, in manibus Sanctorum, Petri & Pauli, & omnium Apostolorum.

Commendamus Domine animam famuli tui, vel famulæ tuæ, in manibus Sanctorum, Stephani, Laurentij, & Blasij, & omnium sanctorum Martyrum.

Commendamus Domine animam famuli tui, vel famulæ tuæ, in manibus Sanctorum, Benedicti, Ægidij, & Antonij, & omnium sanctorum tuorum Monachorum.

Commendamus Domine animam famuli tui, vel famulæ tuæ, in manibus sanctarum Virginum, Mariæ matris Domini, Agnetis, Cceciliæ, Catharinæ, & omnium Virginum tuarum.

Commendamus Domine, tibi in manus tuas spiritum famuli tui, vel famulæ tuæ, ne princeps tenebrarũ ei noceat; sed tu Domine misericorditer eum, vel eam, protegas, in secula seculorum. Amen.

Postremò, si Sacerdoti ita videatur, hæc sequens precatio addi potest:

Oremus.

Adesto Domine supplicationibus nostris, & pias aures tuas ad preces nostras inclinare digneris; vt nos de throno Maiestatis tuæ clementer exaudias; & orationes famulatus nostri dignanter admittas. Te igitur inuocamus Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, pro anima famuli tui, vel famulæ tuæ, quam hodierna die de hac luce vocare dignatus es; vt iubeas Domine ei præparari Paradisi tui loca virentia; vt non eã exurat flamma ignis crudelis gehennæ. Quia propterea Dominus noster Iesus Christus filius tuus in ligno crucis sub Pontio Pilato pati dignatus est; vt animas, quæ per Adæ transgressionem perierant, sua sancta resurrectione ab inferni claustris liberaret. Confundantur gehennæ ianitores, & ministri nequitiæ erubescant. Deducant eam Angelicæ potestates in sinus Patriarcharum, Abraham, Isaac, & Iacob, Patrum nostrorum. Consequatur à tua potentia paratam Electis iucunditatem, & à dextris hæreditatem adepta lætetur; vt, cùm dies illa tremendæ agnitionis aduenerit, vnà cum Sanctis & Electis tuis, qui tibi placuerunt, in gloria Maiestatis tuæ resurgere mereatur ad indulgentiam, non ad pœnam. Et animam illam, quam fontis vnda perfudit,

& Chris-

& Chriſma ſalutis inunxit, non ſinas Domine flammarum ardoribus cruciari, nec peccatorũ vinculis alligari; ſed liberam redde Paradiſo tuo per indulgentiam pietatis tuæ; quia tuam clementiam, dum in hoc ſeculo conſtitit, non negauit. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

DE MORTVORVM SEPVLTVRA

PROOEMIVM.

IN PRÆCEDENTIBVS certam tradidimus methodum, qua in infirmitate conſtituti, præſertim vbi de vita & ſalute corporis periclitantur, ab animarum curam gerentibus viſitari, Sacramenta Eccleſiæ, nempe confeſſionem, ſacræ Euchariſtiæ viaticum, & vnctionem extremam ritè ſuſcipere, ad benè ſanctèque in Domino moriendum; in quo veluti vltimo vitæ actu omne ſalutis pondus conſiſtere videtur, rectè diſponi ac præparari, nec non in agone Deo commendari debeant; conſequens nunc eſt, vt de mortuorum ſepultura, ac ſepulturæ cæremoniis, & ritibus in Eccleſia Catholica vſitatis, quibus in Domino mortuos terræ mandandos piè ac deuotè proſequi ſolemus, breuem inſtituamus ſermonem, quod iam facturi ſumus. Atque in primis oſtendemus, officium ſepulturæ eſſe non ſolùm laudabile, ſed etiam opus non infi-

In momento conſiſtit æternitas.

mum

mum misericordiæ; quod sacræ literæ, cùm veteris, tum noui testamenti egregiè commendant, & pia Ecclesiæ Catholicæ institutio, ac sanctorum Patrum exempla mirificè comprobant. Deinde trademus, qua ratione Christianorum in Domino defunctorum, tum adultorum, tum etiam paruulorum, funera deducenda & corpora sepelienda sint, nec non illorum, qui extra Catholicæ Ecclesiæ gremium, & Christifidelium vnitatem, tanquam anathema, mortui sunt, cadauera sacræ sepulturæ loco excludenda ac prohibenda, & Catholica funeris deductione omnino priuanda esse; sub indignatione Dei, & pœnis nostro ac Successorum nostrorum arbitrio reseruatis, omnibus & singulis, curam animarum hàbentibus, huius Prouinciæ nostræ seriò mandantes, vt, quæ hoc loco de funeribus, ac sepultura ex Catholicæ Ecclesiæ traditione, præscripto, & consuetudine sumus tradituri, ea omnia fideliter ac diligenter obseruent & custodiant.

IN DOMINO MORTVOS humare non solùm laudabile, sed etiam singulare opus misericordiæ.

CAPVT PRIMVM

CVM CÆTERIS misericordiæ operibus minimum non est fidelium corporum humatio: vt Ecclesiæ Catholicæ consuetudo, ac sacrarum literarum monumenta clarissimè testantur: Idcirco grauissimè homines illi reprehendendi

dendi ſunt, qui corpora humana, vt viliſſima cadauera, *Non hono-*
poſt mortem honorificè ſepelienda non putant, exiſti- *rificè corpo-*
mantes fortaſse corpora à mortuis excitanda non eſſe, *ra humana*
ac futuram beatitudinem, contra omnem Symboli A- *ſepelientes*
1. Cor 15. poſtolici, Pauli Apoſtoli, ac cæterorum ſcriptorum do- *mortuorum*
ctrinam negantes; impiorumque opinionem ſequuti, *reſurrectio-*
Sapient. 2. qui apud ſe non rectè cogitantes dixêre: Ex nihilo nati *nem paruꝰ*
ſumus, & poſthac erimus, tanquàm ſi non fuerimus, *faciunt.*
quia extinctus cinis erit corpus noſtrum, & ſpiritus dif-
fundetur tanquàm mollis aër. Venite ergò & fruamur
bonis, quæ ſunt, & vtamur creatura, tanquàm in iuuētu-
1. Cor 15. te celeriter. Et alibi: Manducemus & bibamus, cras enim
moriemur. Cùm tamen corpora noſtra, ſi naturam ſpe-
ctemus, ab optimo perfectiſſimoq; rerum omnium mo-
litore Deo humo ſint excitata; vt iis ad ſeruitia ipſius vta-
Roman. 6. mur, ſecundùm illud Apoſtoli: Exhibete membra veſtra
arma iuſtitiæ Deo; Et paulò pòſt: Exhibete mēbra veſtra
Rom. 12. ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem; Et alibi: Exhibeatis
corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placen-
1. Cor. 12. tem. Quòd ſi gratiam ſpectemus, Chriſti membra eſſe,
ac templum Spiritus ſancti per Baptiſmum Paulus te- *Fideles ſunt*
Galat. 3. ſtatur: Quicunq; in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum in- *membra*
1. Cor. 6. duiſtis. Et: An neſcitis, quoniā membra veſtra templum *Chriſti.*
eſt Spiritus ſancti, qui in vobis eſt, quem habetis à Deo, &
non eſtis veſtri? Ac paulò antè: Neſcitis, quoniam cor-
Rom. 12. pora veſtra membra ſunt Chriſti? ſicut enim in vno cor-
pore multa membra habemus; ita multi vnum corpus
ſumus in Christo; ſinguli autem alter alterius mem-
1. Cor. 12. bra. Et alibi: Sicut enim corpus vnum eſt, & membra
habet multa; omnia autem membra corporis cùm ſint
De ciuit. Dei lib. 1. multa, vnum tamen corpus ſunt: ita & Chriſtus. Hinc
c. 13. D. Auguſtinus: Contemnenda & abiicienda non ſunt

Corpora fidelium tam mortua, fuerũt organa Spiritus sancti.

corpora defunctorum, maximeque iustorum, atque fidelium, quibus, tanquàm organis & vasis, ad omnia bona opera sanctus vsus est Spiritus. Sin verò futuram resurrectionem gloriosam; animata in patria cœlesti beatitudine sempiterna perfrui debent. Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos, qui viuimus, qui residui sumus, in aduentum Domini, non præueniemus eos, qui dormierunt: Quoniam ipse Dominus in iussu, & in voce Archangeli, & in tuba DEI, descendet de cœlo, & mortui, qui in CHRISTO sunt, resurgent primi. Deinde nos, qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam DOMINO in aëre, & sic semper cum Domino erimus. Eamque ob rem CHRISTVS DEI Filius de cœlo est ad nos delapsus, nostramque carnem assumpsit. Hæc est voluntas eius, qui misit me, Patris, (inquit CHRISTVS) vt omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in nouissimo die, vitamque habeat æternam. Proinde, teste D. Augustino, charitate diuina vnum primò ac præcipuè, qui supra nos est, DEVM; animam deinde, quæ intra nos est, corpori præposita, vt illud moderetur, ac moueat; tum proximũ, qui circa nos est; corpus postremò, quod infra nos est, beatitudinis quoquo modo particeps diligere debemus. Quod eò libentiùs præstare oportet, quandoquidem natura ad id animum nostrum inclinat. Si enim paterna vestis, & annulus, ac si quid huiusmodi tantò charius est posteris, quantò erga parentes maior extitit affectus, nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, quæ vtique multò familiariùs, atque coniunctiùs, quàm quælibet indumenta gestamus. Hæc enim non ad ornamentum, vel adiutorium, quod adhibetur extrinsecus, sed ad ipsam naturam hominis pertinent.

1. Thess. 4.

Ioan. 6.

De doctr. Christiana lib. primo.

Ex D. Aug. de ciuit. Dei lib. primo c. 13.

Amor verò noster erga corpus, vel ex eo cernitur, quòd, cùm ipsum, dum vita esset, charissimum habuerimus, post mortem etiam diligamus, dum id omnibus pietatis, religionisque officiis prosequimur. An non illud certissimum amoris nostri signum est, quòd post obitum honorificè fidelium cadauera humo, ex qua ortum habent, tegi, ac pro salute, perpetuaque animi ad Dei imaginem ac similitudinem creati beatitudine precationes fieri curamus? Propterea Abraham, cùm surrexisset ab officio funeris vxoris suæ Saræ, terram emit, vt ibi coniugi, sibi, posterisque suis, locum sepulchro designaret, perpetuumque tumulum haberet; in quo Sara primùm, deinde Abraham ipse, Isaac cum Rebecca coniuge sua, Lia, ac Iacob, à suis sunt magnis honoribus, ac debitis cæremoniis sepulti. Ita & Ioseph; Ita & Patriarchæ alij, ac vates, atque omnes Deo accepti homines in sua, aut Maiorum suorum sepulchra illati fuêre.

Genes. 23. — *Cura Patriarcharũ in suorum sepultura.*

Iosue 24.

Quid multa? Nemo equidem est, nisi mentis prorsus expers sit, omnisque consilij inops, qui, cùm aut peregrini hospitio excipiuntur, aut vestibus nudi, aut esurientes pane, aut potu sitientes recreantur, rem Deo gratissimam, maximumque misericordiæ opus fieri, non fateatur. At verò qua in re peregrinorum, aliorumque Christianorum in Domino defunctorum sepultura his est operibus inferior? nulla sane. Quid enim obsecro Deo gratius est; si hospitem viuum domo tua accipias, aut nudum vestibus tegas, aut esurientem pane, vel potu sitientem saties; an verò si eundem mortuum in sepulchrum funebri pompa, ac solitis Christianorum cęremoniarum honoribus inferas, ac terrę mandes? Certè si hoc Deo illis acceptabilius non sit, non minùs gratum saltem dici debet.

Opera misericordiæ Deo grata.

Proinde cùm Maria, Lazari ſoror, libram vnguenti nardi piſtici precioſi accepiſſet, & pedes IESV vnxiſſet, Iudasque murmuraſſet, inquiens: Quare hoc vnguentum non veniit trecentis denariis, & datum eſt egenis? Dixit CHRISTVS Seruator noſter: Sinite illam, vt in diem ſepulturæ meæ ſeruet illud; Pauperes enim ſemper habebitis vobiſcum, me autem non ſemper habebitis. Abraham quoque, cùm aduena eſſet, ac peregrinus in terra Heth, adorauit populum terræ illius; eò quòd ſibi petenti ad ſepeliendam coniugem Saram ſua electa obtulerint ſepulchra. Thobias item nõ parum laudatur, quòd diuiſerit vnicuique, prout poterat, de facultatibus ſuis; eſurientes aluerit, nudiſque veſtimenta præbuerit; & mortuis, atque occiſis ſepulturam ſolicitus exhibuerit; filiumque ſuum ad id agendum his verbis inſtituerit: Panem tuum cum eſurientibus & egentibus comede; & de veſtimentis tuis nudos tege; Panem tuum, & vinum tuum ſuper ſepulturam iuſti conſtitue. Ideo Euangeliſta etiam Principes Sacerdotum in hoc commendare videtur; quòd ex argenteis (licet impiè, ac nefariè acquiſitis) precij ſanguinis Chriſti in ſepulturam peregrinorum agrum figuli emerint; quæ res ſine dubio abſq; Dei prouidentia facta non eſt; vt ſcilicet mors filij ſanctiſſima non animabus noſtris ſolùm prodeſſet ad vitam, ſed corporibus etiam ad requiem fructum afferret. Cui ſententiæ & Maximus Taurẽn. Epiſcopus huius facti rationem inueſtigans ita ſcribit: Hoc enim prouidentia factum puto, vt precium Saluatoris, non peccatoribus ſumptum præbeat, ſed peregrinis requiem ſubminiſtret; nõ ſacrilegis Iudæis ſit ad lucrũ, ſed defunctis ſit ad ſepulchrum; vt iam exinde Chriſtus & viuos ſanguinis ſui paſſione redimat, & mortuos precioſa paſſione ſuſcipiat.

Ioan. 12. *Geneſ. 23.* *Thob. 1.* *Thob. 4.* *Matth. 27.* *Max. Taur. hom. 5. de Iuda prod.*

Laus Tobiæ propter ſepulturam.

Phariſæi in eo falsè laudãtur, quòd de peregrinorum ſepultura curam habuerint.

Preciũ Chriſti non præbuit impiis ſumptũ, ſed peregrinis requiem.

Cæte-

Cæterùm si hoc non est pietatis, ac misericordiæ opus, cùm filij vnici matris suæ viduæ funus magna hominum turba comitante efferebatur, quorsum Dominus misericordia motus esse dicitur? Quorsum Iudæi suos aromatibus, aliisque piis id genus cæremoniis humabant? An non & CHRISTVS cum Maria Magdalene super caput ipsius vnguentum preciosum nardi spicati effudisset; hunc ipsum Iudæorum morem laudauit, inquiens: Bonum opus operata est in me; præuenit enim vngere corpus meum in sepulturam? Quorsum tanta cum dignitate, ordine, ac maiestate, quatuor Euangelistæ CHRISTVM à Iosepho ab Arimathia ex cruce detractum, ac syndone munda in hunc vsum ab eo comparata, atque aromatibus à Nicodemo propterea emptis inuolutum, inque monumentum excisum è petra, positum scribunt? Quorsum Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata; vt venientes vngerent IESVM iam sepultum? Quod si hæc pietatis in CHRISTVM & amoris signa dari licuit; cur non & his similia in cæteros omnes, qui vera CHRISTI sunt membra, ostensa ac declarata beneuolentiæ charitatisque indicia, inter præcipua misericordiæ opera connumerari debent? Audi, quid CHRISTVS dicat: Amen dico vobis, quamdiu fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Sed quorsum tàm longa, & tàm altè repetita oratio in hoc vno consumitur? vt planum faciamus, mortuorum sepulturam opus esse pium, atque à misericordia non alienum; cùm idipsum vates ille Regius Dauid apertissimè testetur? Ait enim: Benedicti vos à Domino, qui fecistis misericordiam hanc cum Domino vestro Saul, & sepelistis eum. Idem planiùs confirmat

Margin notes: Lucæ 7. — Ioan. 19. — Marci 14. — Matth. 27. Marci. 15. Lucæ 23. Ioan. 19. — Marci 16. — Matth. 25. — 2. Reg. 2.

Probatio honorifica sepulturæ ex Euangeliis.

Benedicit Dauid sepelientibus Saul.

Commẽdat Raphaël ſtudium ſepeliendi Thobiæ.

firmat Angelus Raphaël ad Thobiam: Quando orabas cum lachrymis, & ſepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abſcondebas perdiem in domo tua, & nocte ſepeliebas eos; ego obtuli orationem tuam Domino. Quid ait Eccleſiaſtes? Fili (inquit) in mortuum produc lachrymas, & quaſi dira paſſus incipe plorare, & ſecundùm iudicium contege corpus illius, & non deſpicias ſepulturam illius. Verùm iſtæ autoritates non hoc admonent, quòd inſit vllus cadaueribus ſenſus, ſed ad DEI prouidentiam, cui placent etiam talia pietatis officia, corpora quoque mortuorum pertinere ſignificant, propter fidem reſurrectionis aſtruendam. Laudabilis itaque eſt, & quem homines Chriſtiani ſuis habeant, dignus ſepulturæ honor, quo funeri exequiarum iuſta, & preces animæ ſoluuntur. Quam quidem præclaram ac ſalutarem cadauera fidelium omnibus pietatis ac religionis officiis humandi in Eccleſia Catholica cõſuetudinem, ſacri Doctores, Dionyſius Areopagita, Athanaſius, Ambroſius, Auguſtinus, Hieronymus, Gregorius, Chryſoſtomus, cæterique omnes tàm ſcriptis, quàm reipſa poſteritati commendârunt; vt monumenta ipſorum, ac Concilia Oecumenica, ipſa ſolis luce clariùs & illuſtriùs docent.

Commẽdatur ſepultura à ſapiente.

Thob. 12.

Eccleſ. 38.

Ex D. Aug. de ciuitate Dei lib. 1. c. 13.

Illud autem animaduertendũ eſt, fidelibus in Chriſto defunctis non tantùm prodeſſe, ſi cadauera eorum ſepultura afficiantur; niſi pro animarum ſalute, ac beatitudine (vt ſuprà tranſeuntes attigimus) preces etiam ad DEVM fundantur, aliiſque piis operibus illis ſubueniatur: Machabæorum exemplo, qui cùm veniſſent, vt corpora proſtratorum tollerent, & cum parentibus ponerent in ſepulchris paternis, inueniſſentque ſub tunicis interfecto-

A comitantibus funus preces fundendæ pro defunctis.

2. Machabæor. 12.

terfectorum de donariis idolorum, quæ apud Iamniam fuerunt, à quibus lex prohibet Iudæos; cognito hanc ob cauſam eos corruiſſe, omnes benedixerunt iuſtum iudicium Domini, qui occulta fecerat manifeſta. Atque ita ad preces conuerſi rogauerunt, vt id, quod factum erat, delictum obliuioni traderetur. Et fortiſſimus Iudas hortabatur populum, conſeruare ſe ſine peccato, ſub oculis videntes, quæ facta ſunt pro peccatis eorum, qui proſtrati ſunt. Et facta collatione, duodecim millia drachmarũ argenti miſit Hieroſolymam, offerri pro peccatis mortuorum ſacrificium, benè & religiosè de reſurrectione cogitans (niſi enim eos, qui ceciderant, reſurrecturos ſperaret; ſuperfluum videretur, & vanum orare pro mortuis) & quia conſiderabat, quòd hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repoſitam gratiã. Sancta ergo, & ſalubris eſt cogitatio, pro defunctis orare, vt à peccatis ſoluantur.

QVÆNAM IN EXEQVIIS ſeruanda ſint.

CAPVT SECVNDVM.

NEMO Chriſtianum hominem in Domino defunctum extra locum ſacrum ſepelire, aut iubere, aut conſulere audeat.

Fidelis defunctus extra locum ſacrum non ſepeliẽdus.

Nullum funus ad ſepulchrum ducatur, niſi priſco, & vſitato Eccleſiæ Catholicæ more crux, ac lumina præcedant, vnuſquè ſaltem (ſi plures non adfuerint) rerum diuinarum miniſter adſit, Parochus ſcilicet, vel eo infirmo, aut abſente, alius Sacerdos ipſius

Ritus dedu-cẽdi funus.

loco

loco. Qui quotquot adfuerint, superpelliceis induti, funus comitari debent vsque ad locum sepulturæ; adhibitis cæremoniis & orationibus, in Agendario, seu Obsequiali Diœcesano traditis, iuxta ea, quæ habentur in Synodo Prouinciali, Const. 51. cap. 2.

Pium comitari funus.

Præterea cùm cadauerum humatio opus misericordiæ maximum sit, hocq; reipsa præstare omnes nequeāt, ne tantum misericordiæ officium prætermittatur, Christianos Sacerdotes hortentur, vt exequiarum comites saltem ad sepulturam vsque adesse velint.

Mandatum Parochis factum de ritu sepulturæ seruando.

Parochis denique, eorumq; Cooperatoribus impe ramus; vt non hæc modò, quæ diximus, ipsi seruent, ab aliisq; seruāda curent, ac iubeant; sed vt neminem etiam sepultura afficiant, nisi eo, quo dicemus, ordine.

Statutum Synodi in taxa funeris seruandum.

Quod verò pertinet ad illud, quando, & quomodo Parochi, & alij Officiales, ac Ministri Ecclesiæ, possint aliquid accipere pro sepultura & eorum officio vel labore: id iam statutum est in Synodo Prouinciali, Consti. 51. Quod omnino sub indignatione DEI & nostra, cum reliquis in eadem constitutione contentis obseruari præcipimus; amotis omnibus superfluis cęremoniis & vanis ritibus.

QVO ORDINE FVNVS sit ducendum.

CAPVT TERTIVM.

PAROCHVS, aut eius loco alter, Sacerdos tamen, domum, ex qua funus est efferendum, ingressus dicat:

Oremus

Oremus pro omnibus fidelibus defunctis. Requiem æternam dona eis Domine; & lux perpetua luceat eis.

Pſ. 129. De profundis clamaui ad te Domine, &c.

Requiem æternam dona eis Domine; et lux perpetua luceat eis.

Ant. Animam de corpore, quam hodie aſſumpſiſti Domine, fac eam gaudere cum Sanctis tuis in gloria.

Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon.

Pater noſter &c.

℣ Et ne nos inducas in tentationem;

℟ Sed libera nos à malo.

℣ A porta inferi

℟ Erue Domine animam eius.

℣ Domine exaudi orationem meam;

℟ Et clamor meus ad te veniat.

℣ Dominus vobiſcum;

℟ Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Beati Petri, Apoſtoli tui, quæſumus Domine, interceſſione nos protege; & animam famuli tui Sacerdotis N. Sanctorum tuorum iunge conſortio. *Si ſit Sacerdos.*

Omnipotens ſempiterne Deus, cui nunquàm ſine ſpe miſericordiæ ſupplicatur, propiciare animæ famuli tui, & præſta, vt, qui de hac vita in tui nominis confeſſione deceſſit, Sanctorum tuorum numero eum facias aggregari. *Si Laicus.*

Quæſumus Domine pro tua pietate, miſerere animæ famulæ tuæ; & à contagiis mortalitatis exutam, in æternæ ſaluationis partem reſtitue. *Si mulier.*

At verò iſtarum collectam quamlibet hac ſequenti precatione concludat.

Fidelium Deus omnium conditor & redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum, omnium fidelium defunctorum, remissionem cunctorum tribue peccatorum; vt indulgentiam, quam semper optauerunt, piis supplicationibus consequantur. Qui cum Deo Patre, & Spiritu sancto viuis & regnas Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

Deinde mortui corpus aqua benedicta aspergat; his adiectis verbis:

Rore cœlesti perfundat animam tuam Deus: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

Tum incenso odore, thuribulum manu super cadauer hucilluc que ferat, dicat que:

Odore cœlesti pascat animam tuam Deus; In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

Posteà funus ad sepulchrum efferatur; atque inter ducendum cantentur Responsoria, vel Psalmi, aut aliæ precationes iuxta consuetudinem Diœcesis.

Sepultura, exequiæ, & visitatio pheretri, seu tumuli, fiant ex more Diœcesis. Quod sicubi negligentia Parochorum aliquid in desuetudinem venit, mandamus eis, vt omnia ad veteris consuetudinis similitudinem reuocent.

DE SE-

DE SEPVLTVRA PARuulorum in Christo defunctorum.

CAPVT QVARTVM.

QVONIAM factum videmus, nescimus quorum culpa, vt quibusdam in locis Prouinciæ nostræ paruuli in Christo defuncti sine vllo funere efferantur, perinde nati gentilibus parentibus quasi essent; præcipimus, ac mandamus omnibus & singulis, quorum id curæ est, vt neminem deinceps tumulo mandari permittant, sine iis exequiarum pompis, quæ adhiberi solent; cùm vt in sepultura discrimen sit inter hos, ac illos, qui ante Baptismum è vita migrârunt; tum, vt gratiæ Deo Opt. Max. agantur, ac vetus simul & laudabilis Ecclesiæ Catholicæ consuetudo seruetur. Propterea hîc quoque formulam huiusmodi funeris præscribere voluimus, quam quisque sequatur, nisi aliam Diœcesis habuerit.

QVOMODO PVERI PARuuli in Christo baptizati sepeliendi sint.

CAPVT QVINTVM.

Sacerdos domum, in qua puer mortuus iacet, ingressus dicat:

℣ Sinite paruulos ad me venire;
℟ Talium enim est regnum cœlorum.

Oremus.

Deus omnipotens, redemptor mundi, Domine Iesu Christe, apud quem mortuorum spiritus viuunt, & in quo Electorum animæ, deposito carnis onere, plena felicitate lætantur; gratias agimus ineffabili pietati, ac benignitati tuæ; qua animam famuli tui, vel famulæ tuæ, imagine tua insignitam, & precioso sanguine tuo misericorditer redemptam, de miseriis tenebrarum, & laqueis huius seculi liberare dignatus es; vt æternæ illius tuæ lucis solatio frueretur; & concessa sibi venia, originalis peccati per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti optata quietis consequeretur gaudia, omnibus Sanctis & Electis tuis æternaliter repromissa. Qui viuis & regnas Deus per omnia secula seculorum. Amen.

Corpus deinde infantis aqua aspergat benedicta; atque deinde ad Ecclesiam pro sepultura deferatur. Et cùm de domo extrahitur, cantentur, aut recitentur Psalmi: Laudate pueri Dominum, &c. et: Beati immaculati in via, &c. cum: Gloria Patri, &c. ad quemlibet Psalmum. Quib. finitis, subsequantur Psalmi graduales: Ad Dominum cùm tribularer, &c. similiter cum: Gloria Patri, &c. in fine vniuscuiusque, quousque ad Ecclesiam peruentum fuerit, vbi pheretrum cum infante defuncto à portatoribus deponitur. Et licet omnes Psalmi graduales non fuerint expleti, relinqui tamen cæteri poterunt, quàm primùm defuncti pheretrum fuerit in Ecclesia, aut cœmiterio depositum; excepto illo, qui actualiter canitur, vel legitur, qui omnino finiri, cum

Psal. 112. Psal. 118. Psal. 119.

ri, cum: Gloria Patri, &c. debet. Quo finito, incipiatur per Sacerdotem ſequens Antiphona:

Ant. Hic accipiet benedictionem à Domino, & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo; quia hæc eſt generatio quærentium Dominum.

Deinde Pſalmus:

Pſ. 23. Domini eſt terra &c. cum: Gloria Patri, &c.

Quo finito dicatur:

Kyrie eleiſon, Christe eleiſon, Kyrie eleiſon.
Pater noſter &c.

℣ Et ne nos inducas in tentationem;
℟ Sed libera nos à malo.
℣ Me autem propter innocentiam ſuſcepiſti;
℟ Et confirmâſti me in conſpectu tuo in æternum.
℣ Dominus vobiſcum;
℟ Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens & mitiſſime Deus, qui omnibus paruulis renatis fonte Baptismatis, dum migrant à ſeculo, ſine vllis eorum meritis vitam illico largiris æternam; ſicut animæ huius paruuli, vel paruulæ, hodie credimus te feciſſe: fac nos, quæſumus Domine, per interceſſionem beatæ Mariæ virginis, & omnium Sanctorum tuorum, hîc purificatis tibi mentibus famulari; & in Paradiſo cum beatis paruulis perenniter ſociari. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Hac oratione finita, ad tumulum ex Eccleſia deferatur, & cùm portatur, dicatur Antiphona:

Iuuenes, & virgines, senes cum iunioribus laudent nomen Domini. Ant.

Deinde dicatur Psalmus:

Laudate Dominum de cœlis, &c. Psal. 148.

Quo finito, repetatur Antiphona præincepta: Iuuenes &c.

Cùm verò ad sepulchrum ventum fuerit, dicat Sacerdos:

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.
Pater noster, &c.

Intereà, dum oratur submissa voce ipsa oratio Dominica, infantis cadauer aqua aspergatur benedicta, ac thuris honore afficiatur; itemque sepulchrum, in quo est humandum, tum contenta voce subiiciat:

℣ Et ne nos inducas in tentationem;
℟ Sed libera nos à malo.
℣ In memoria æterna erit iustus;
℟ Ab auditione mala non timebit.
℣ Dominus vobiscum;
℟ Et cum Spiritu tuo.

Interim infantis cadauer sepeliatur.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, sanctæ puritatis amator; qui animam huius paruuli ad cœlorum regna hodie misericorditer vocare dignatus es; digneris etiam Domine ita nobiscum misericorditer agere, vt meritis

tuæ

tuæ ſanctiſſimæ paſſionis, & interceſſione beatæ Mariæ virginis, & omnium Sanctorum tuorũ, in eodem regno nos cum omnibus Sanctis & Electis tuis ſemper facias cõgaudere cœleſtibus. Qui viuis & regnas cum Deo Patre in vnitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Completa hac oratione, redeatur proceſſionaliter ex cœmiterio ad Eccleſiã, vel ſi in Eccleſia infans ſepultus eſt, ad medium Eccleſiæ versùs altare maius, cantando præincepta ſequente Antiphona: *Benedicite Dominum)* canticum trium
Daniel. 3. puerorum: *Benedicite omnia opera Domini Domino, &c.* Quo finito, dicatur tota Antiphona, vt ſequitur:

Ant. Benedicite Dominum omnes Electi eius; agite dies lætitiæ; & confitemini illi.

Deinde dicatur:

℣ Dominus vobiſcum;
℟ Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Deus, qui corda fidelium ſancti Spiritus illuſtratione docuiſti; da nobis in eodem Spiritu recta ſapere, & de eius ſemper conſolatione gaudere.

Concede nos famulos tuos, quæſumus Domine Deus, perpetua mentis & corporis ſanitate gaudere; & glorioſa beatæ Mariæ ſemper virginis interceſſione à præſenti liberari triſtitia, & æterna perfrui lætitia.

Deus,

Deus, qui miro ordine Angelorum ministeria, hominumque dispensas, concede propitius, vt, quibus tibi ministrantibus in cœlo semper assistitur, ab his in terra vita nostra muniatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Vltimò poterit etiam pro omnibus in Christo defunctis fieri commemoratio, vt sequitur:

Pater noster &c.

℣ Et ne nos inducas in tentationem;

℟ Sed libera nos à malo.

℣ A porta inferi

℟ Erue Domine animas eorum.

℣ Domine exaudi orationem meam;

℟ Et clamor meus ad te veniat.

℣ Dominus vobiscum;

℟ Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Deus, cuius miseratione animæ fidelium requiescunt, famulis, & famulabus tuis omnibus, hîc & vbique in Christo quiescentibus, da propitius veniam peccatorum; vt à cunctis reatibus absoluti, tecum sine fine lætentur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Requiescant in pace. Amen.

DE SE-

DE SEPVLTVRA NON baptizatorum, hæreticorum, ſchiſmaticorum, excommunicatorumq́; & hominum id genus aliorum omnium.

CAPVT SEXTVM.

PVERVLI, vel ſanctorum hominum filij, & quicunq; alij ex hac vita ſine Baptiſmo migrantes, in loco ſacro ne ſepeliantur.

Item, neq; hæretici, ſchiſmatici, excommunicati, deſperati, & publici peccatores; niſi extrema vita ſignum aliquod non vulgare pœnitentis animi dederint. Quod cùm conſtiterit, ea inſuper ſeruanda ſunt, quæ in Sacramento Pœnitentiæ diximus.

DE ORDINE

PROOEMIVM.

QVEMADMODVM in nouo teſtamento ſacrificium, à Chriſto nobis traditum atque inſtitutum, aſpectabile eſt; ita prorſus & ſacerdotium externum, quòd cùm tanti honoris nomen ij ſolj ſuſtinere poſſint, quibus factitandi ſacrificij dignitas eſt demandata,

vt maiori cum amplitudine ac maiestate conseruetur, atque exerceatur; plures diuersorum ordinum ministros Sacerdotibus ab ineunte Ecclesia Maiores nostri præsto esse voluerunt.

Distinctio ordinum. Horum quidam, vt Subdiaconorum, ac Diaconorum, veluti Sacerdotum quoque maiores appellantur; alij verò minores, vt Ostiariorum, Lectorum, Exorcistarum, & Acolythorum. Quos tamē omnes prima tonsura, non dignitatis gradu, sed ineundi ordine præcedit; cui etiam ius ac priuilegium Clericatus est attributum.

Sacerdotū distinctio. Neque verò Sacerdotes sunt omnes pares inter se, sed quidam simplices, Episcopi alij, quidam Archiepiscopi; alij Patriarchæ dicuntur. Quibus tamen vniuersis summus Pontifex, Petri Successor, ac Christi in terris Vicarius, autoritate, potestate, ac iurisdictione, longè & multùm antecellit.

QVID SIT SACRAmentum ordinis?

CAPVT PRIMVM.

ORDO, SI vniuersaliter accipiatur, est dispositio sup erioris & inferioris. Ratio autem superioris in potestate ad excellentiores quosdam actus exercendos consistit; neque verò in spiritualibus minùs est necessarius bonus rerum ordo, quàm in politicis, tum quia ordinata sunt, quæ à Deo sunt, atq; à cōfusione maximè abhorrent; tum etiam, quia quò singula sunt excellētiora, eò maiori digni- *Rom. 13.*

tate

tate tractari oportet. Sed vt politica omittamus, vsu vocabuli signum, quo potestas spiritualis confertur, ordo vocatur, atque hac acceptione ordo est Sacramentum, quo singularis gratia ac potestas spiritualis quibusdam traditur, vt munus in Ecclesia ex professo gerant. Sicut in naturalibus, vbi datur potestas, datur etiam virtus motiua ad executionem; ita in supernaturalibus, cùm opera Dei minùs perfecta non sint (vt præclarè docet S. Thomas) vbi datur potestas, datur etiam virtus ad eiusdem executionem, id quod in hoc Sacramento fieri, tradita iam descriptio ab effectu desumpta clarè ostendit. Dicitur enim huiusmodi esse, vt quo potestas spiritualis traditur; & etiam singularis gratia, ad traditam potestatem executioni rectè mandandam. Quamuis autem, quod ad Sacramenti necessitatem attinet, quilibet baptizatus ordines suscipere posset, tamen ex rei decentia, & præcepti necessitate non sunt conferendi ordines quibusuis, sed idoneis tantummodò, id quod in prædicta descriptione insinuatur, cùm dicitur, quo potestas spiritualis non omnibus, sed quibusdam traditur. Quis verò ad Sacramentum hoc idoneus censeri dicitur, Deus ipse de Sacerdotibus legis veteris, in qua mysteria longè minora fuêre, loquens insinuat: Homo, inquit, de semine Aaron, qui habuerit maculam, non offerat panes coram Domino, nec accedat ad ministerium eius. Per maculam verò omne vitium intelligitur. Itaque vt irregularitates, & alia impedimenta Canonica iam omittamus, de quibus in opusculo nostro de censuris breui in lucem edendo fusiùs dicemus, illi tantummodò admittendi essent, qui egregiis & naturæ, & etiam gratiæ donis præditi, vitæ integritate, aliorumque optima aut spe, aut opinione pollent,

Ordo, quo potestas spiritualis traditur, est Sacramentum.

In addit. ad tertiam partem q. 35. ar. 1. C.

De qualitate ordinandorum.

Leuit. 21.

Glos. in 21. Leuit.

 ca-

eaque rerum cognitione & ſcientia valent, quæ ad cuiuſque ordinis munus rectè obeundum ſufficere videatur.

Sed, vt intelligamus, ad quid nã poteſtas & gratia iam dicta conferatur, ſequitur: vt munus in Eccleſia ex profeſſo gerant, non quoduis, ſed munus ordinis. Cùm autem omnes ordines ad Eccleſiam maiori dignitate tractandam inſtituti ſint, tot erunt ordinum munera, quot ad Euchariſtiæ adminiſtrationem ſunt neceſſaria, vt docet ſanctus Thomas. Ea autem ſunt ſeptem, Conſecratio, quæ eſt Sacerdotum; Diſpenſatio Diaconorum; Præparatio ſacrorũ vaſorum, id quod Subdiaconorum eſt; & materiæ adminiſtratio, quæ eſt Acolythorũ. Sed & in ordine ad ſuſcipientes hoc Sacramentum tria ſuperſunt munera: Sunt enim quidam indigni, vel ex defectu fidei & ſimilium, & hi ſunt arcendi à ſacris, id quod ad Oſtiarium pertinet; alii verò etiam credere nolentes, vt Catechumeni ignorant, quæ debent credere, & hos inſtruere, quantum ad doctrinam legis & Prophetarum attinet, Lectoris eſt; in doctrina verò Apoſtolorũ & Euangelij, Subdiaconi & Diaconi. Alij denique immundicia inhabitantis quandoque ſpiritus nequam impediuntur, vt energumeni, & horum purgatio ad Exorciſtas pertinet, atque hæc ſunt munera, quorum in præfata deſcriptione fit mentio. Et quamuis nonnulla ex his, ab aliis quibuſdã aliquando exercẽtur, tanquàm ex neceſſitate, aut delegatione, non tamen ab aliis quàm ab ordinatis, veluti ex officio exercentur, id quod vox illa (ex profeſſo) in deſcriptione poſita inſinuat.

Diſtinctio ordinum.

In addit. ad tertiam partem q. 37 ar. 2. C.

Sed & Magiſter ſententiarum aliter definit ordinis Sacramentum. Eſt, inquit, ſignaculum quoddam, quo Dei

Alia deſcriptio Sacra-

In quarto ſen. d. 24. C. Quid ſit.

Dei gratia per manuum impoſitionem, aliasque cæremonias ordinato confertur, ac ſpiritualis illi poteſtas tribuitur. Signaculum vocat, quia commune eſt omnibus Sacramentis, vt ſint ſigna quædam. Illos etiam effectus addit, de quibus paulò antè dictum eſt. Poteſtatem nempe ſpiritualem, & gratiam. Hæc autem per manuum impoſitionem, aliasque cæremonias conferri aſſerit, vt deſignet in aliis ordinibus conferendis, alios obſeruari ritus. Verùm, an ſacerdotij poteſtas & gratia per impoſitionem manuum conferatur, ipſa verò eſſentiale quid, aut Sacramentale tantummodò haberi debeant; an verò priùs in materię applicatione & formæ prolatione Sacramenti effectus producantur, ſcholaſticorum ſubtilitati diſcutiendum libenter relinquimus.

menti ordinis ex Magiſtro ſent.

Seſſ. 23. c. 4.

Aliam Sacramenti huius deſcriptionem ex SS. Concilio Tridentino elicimus, priori non abſimilem. Eſt enim veluti oſtium, per quod neceſſariò intrant legitimi diſpenſatores myſteriorum & eloquiorum Dei, Miniſtri Chriſti & Eccleſiæ, Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, & quotquot demùm in Eccleſiaſticis muneribus ritè & cum autoritate verſantur. Tanta autem eſt Sacramenti huius neceſſitas, vt, qui ordine ſacro non ſit initiatus, præcipua illa Eccleſiæ munera, vt ſunt, ordinare, conſecrare, & id genus alia, nullo modo exercere quis poſſit, neque, ſi quid temerariè attentet, quicquam efficiet. Decernit proinde ſancta Synodus, eos, qui tantummodò à populo, aut ſeculari poteſtate, ac Magiſtratu vocati & inſtituti ad hæc miniſteria exercenda aſcendunt, & qui ea propria temeritate ſibi aſſumunt, omnes non Eccleſiæ miniſtros, ſed fures & latrones, per oſtium non ingreſſos habendos eſſe.

Alia definitio Sacramenti ordinis cum declaratione, ex S. Conc. Trid.

DE HOC SACRAMENTO Paulus Apostolus, & D. Ignatius nobis sunt multis in locis testimonio.

CAPVT SECVNDVM.

AC PRIMÒ quidem ad Philippenses cùm ait: Paulus & Timotheus, serui Iesu Christi; omnibus Sãctis in Christo Iesu, qui sunt Philippis, cũ Episcopis, & Diaconis. Gratia &c. Philip. 1.

Deinde ad Timotheum: Oportet enim Episcopum esse irreprehensibilem: Diaconos similiter pudicos. Tim. tert. primæ. Et Tit. primo.

Item non multò pòst: Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur. Aduersùs Presbyteros accusationem noli recipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus. Tim 5. primæ.

Et alibi: Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea, quæ desunt, corrigas, & constituas per ciuitates Presbyteros. Tit. primo.

Tum Ignatius, Ioannis Euangelistæ discipulus, idem in Epistola ad Antiochen. singulos ordines propriis appellans nominibus confirmat: In Epist. ad Antiochẽ.

Saluto sanctum Presbyterum vestrum; saluto sanctos Diaconos; saluto Subdiaconos, Lectores, Cantores, Ostiarios, laborántes Exorcistas.

Et in Epistola ad Smyrnenses: Saluto Deo dignum Episcopum vestrum Policarpum, & Deo decentissimum Presbyterum. Idem in Epistola ad Smyrnen.

DE MATERIA, FORMA, ministris & effectu huius Sacramenti.

CAPVT TERTIVM.

Ex Conc. Flor. in verb. sextũ Sacramentum.

MATERIA est id, cuius porrectione confertur ordo, veluti sacerdotij calix cum vino, ac patena cum hostia; Diaconatus Euangeliorum liber; Subdiaconatus calix vacuus, vacua etiam patena tectus; et sic de aliis per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem. *Materia Sacramẽti ordinis.*

Ex Conc. Florent. loco vtſ.

Forma eadem in omnibus non est. Nam quot sunt ordines inter se diuersi, tot etiam formæ singulæ singulis attributæ dicuntur; vt ex verbis Episcoporum consecrantium facilè colligitur; ac forma quidem sacerdotij eiusmodi est: Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro viuis & mortuis; In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Et ita de cæteris aliorum ordinum formis est dicendum, prout in Pontificali Romano latè continetur. *Forma Sacramenti ordinis.*

Ex Conc. Florent. loco vtſ.

Minister ordinarius huius Sacramenti est Episcopus, qui maiores ac minores ordines, vt confirmationem etiam confert; licet Abbas Presbyter benedictus, vel ab Episcopo exemptus, possit conferre ordines minores in suo Monasterio Monachis suis, aut etiam iis, qui habitum suscepturi sunt, aliisque, super quibus Episcopalem habet iurisdictionem, &c. *Minister Sacramenti ordinis.*

Quòd si Sacerdotes omnes, quo ad ordinis potestatem pares inter se sunt; iurisdictione tamen plurimùm

differunt. Nam Episcopi Presbyteris, Episcopis Archiepiscopi, Patriarchæ Archiepiscopis, ac Patriarchis Pontifex Maximus potestate superior est.

Effectus Sacramenti ordinis. Effectus ordinis est varia ac multiplex, cum augmento gratiæ potestas, variis multiplicibusq; ordinum gradibus, diuino tributa beneficio; ac vis quædam, qua rata & firma habentur ea, quæ legitimis sacris initiati homines officij iure gesserint; vt Sacerdoti potestas datur sanctam consecrandi Eucharistiam atque immolandi; peccata vel remittendi, vel retinendi; ac deniq; omnia, quæ ad Dei mysteria, cultumque pertinent, subministrandi.

QVID PRO INITIANDIS sit à Parochis annotandum.

CAPVT QVARTVM.

Parochi instruere debent suos ordinandos. LICET Sacramenti huius curatio, atq; administratio ad solos spectet Episcopos; nihilominus tamen Parochi suos, qui sacris initiari debent, hæc pauca, quæ proximè sequuntur, diligenter edocebunt.

Instruendi ordinandi de numero & distinctione ordinum. Primùm instruere debent Parochi ordinandos sibi subiectos de numero & qualitate ordinum, eos videlicet septem esse; quatuor minores, Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolythatus; & tres maiores, Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus; quos omnes præcedit prima tonsura, quæ licet propriè inter ordines

nes non connumeretur, dispositio tamen est ad cultum Dei, ordinesque suscipiendos.

De tempore ordinationum.

Deinde docendi sunt, ordines huiuscemodi ordinariè ab Episcopis conferri tantùm sex anni temporibus, hoc est, quatuor sabbatis, quatuor temporum, & sabbato ante Dominicam Passionis, & sabbato sancto; licet pręter primam tonsuram, quæ omni tempore conferri potest, minores singulis diebus Dominicis & aliis festis possint dari, dummodò non videatur teneri generalis ordinatio.

Quilibet à proprio Episcopo ordinandus.

Sess. 23. c. 8. Decr. de ref. & reform.

Præterea ordinandi sunt etiam admonendi, vnumquemque à proprio Episcopo ordinari debere, vti omnes sacri Canones, etiam Concilij Tridentini docent. Quòd si quis ab alio promoueri petat, nullatenus id ei etiam cuiusuis generalis, aut specialis rescripti, vel priuilegij pretextu, etiam statutis temporibus permittatur, nisi eius probitas, ac mores ordinarij sui testimonio cōmendētur. Si secus fiat, ordinans à collatione ordinum per annū; & ordinatus à susceptorū ordinū executione, quādiu pprio ordinario videbitur expedire, sit suspēsus.

In sacris ordinibus suscipiendis, quæ præfigenda intentio.

Abiis, qui non sunt idonei & periti, ne petantur ordines.

Posteà, antequam Episcopum eorundem ordinum suscipiendorum causa conueniant, ad illud onus atque munus sedulò instituantur, quod illis suscipiendum est, profitendum, & agendum. Deinde moneantur, vt apud se cogitent, quo animo, quaué mente ad sacra accedant; ne aut rerum humanarum quæstum sibi proponant, aut animo imparato accurrant, aut imperiti sint, atque muneribus Ecclesiæ obeundis indigni. Tum aduertantur, vt iis criminibus careant, quibus contaminatum nemi-nem sacri Canones initiari volunt. Vt si accedat histrio, scurra, hæreticus, schismaticus, excommunicatus, patre vel auo hæretico natus, militaris, infamis illegiti-

 mus,

mus, corporis vitio deformis, seruus, neophytus, bigamus, aut peregrinus, seu huius generis alius, qui, nisi peculiari quodã priuilegio, ac decreto iuuentur, (quæ tamen res in omnibus locum non habet,) sacris initiari non possunt.

De ætate, beneficio & moribus, &c. testimonium habeant ordinandi.

Moneantur præterea, vt secum anteactæ vitæ præclarum ad Episcopos adferant testimonium; vt id ætatis habeant, quam decernunt leges; vt ij sint, qui beneficio Ecclesiastico legitimè impetrato seruire & velint & possint, vel alio saltem titulo à sacris Canonibus approbato gaudeant, ac tandem, aut post acceptum beneficium, aut post susceptum Subdiaconatum, horas Canonicas quotidie recitare, castè viuere, tonsuram, ac vestitum clericalem ferre in animo habeant. Qui autem ad minores ordines sunt promouendi, à Parocho & Scholæ Magistro, in qua educantur, testimonium habere debent; cæteri verò iuxta formam à Concilio Tridentino præscriptam.

Ex Conc. Tridentino sess. 23. cap. 5. Decret. de resid. & reform.

Cæremoniæ baptismales, si prius omissæ fuerint, per Parochum suppleri debent ante ordinum susceptionem.

Quòd si fortè is, qui sacris initiandus est, propter necessitatem, vel schisma, sine olei sacri vnctione in pectore, intra scapulas, ac Chrismatis in vertice fuisset baptizatus, Parochus, cui id cõstiterit, omnia suppleat, antequàm hominem ad suscipiendos ordines cum testimonio suo dimittat.

a Confirmatio præcedere debet ordines. Ne per saltũ suscipiantur ordines.

a Similiter, si quis confirmatus non esset, admoneat eum Parochus, prima tonsura insigniri non posse, nisi antè confirmationis Sacramentum susceperit, & fidei rudimenta edoctus fuerit; neque ordines superiores recipere, nisi habeat inferiores, vt sic gradatim iuxta sacras sanctiones dignè tandẽ ad Presbyteratum ascendere possit.

Ex Conc. Trid. sess. 23 cap. 4. Reform.

Nesciens

Commonefaciat etiam, neminem ad minores ordines admitti

Ex Con.

Trid. sess. 23. cap. 11. reform.

nes admitti posse, nisi saltem latinam linguam intelligat.[a] Et hos non, nisi post annum à susceptione postremi gradus minorum ordinũ, ad sacros ordines promoueri, nisi necessitas, aut Ecclesiæ vtilitas, iudicio Episcopi, aliud exposcat.

linguam latinam non est idoneus ad ordines minores.

a *Inter minorum & maiorum ordinum susceptionem annus intercedat.*

Ibidem cap 13. & 14. reform.

[b] Similiter nec Subdiaconos ad Diaconatus ordinem, nisi in Subdiaconatu per annum saltem sint versati, neque Diaconos ad ordinem Presbyteratus, nisi in Diaconatu ad minus annum integrum ministrauerint, & ad populum docendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ac ad ministranda Sacramenta diligenti examine præcedente idonei comprobentur, atque ita pietate ac castis moribus conspicui, vt præclarum bonorum operum exemplum, & vitæ monita ab eis possint expectari, esse admittendos, nisi, quo ad annui temporis spatium duntaxat, ob Ecclesiæ vtilitatem, ac necessitatem, aliud Episcopo videretur.

b *A susceptione vnius maiorum ordinum ad alterius susceptionem anni spatium expectandum.*

Ibidem cap. 12. reform.

Doceat quoque, nullum ad Subdiaconatus ordinem ante vigesimum secundum, ad Diaconatus ante vigesimum tertium, ad Presbyteratus ante vigesimum quintum ætatis suæ annum posse promoueri. Neque singulos, in ea ætate constitutos, debere ad hos ordines assumi, sed dignos duntaxat, & quorum probata vita senectus sit. Regulares quoque, nec in minori ætate, nec sine diligenti Episcopi examine esse ordinandos; priuilegiis quibuscunque, ad hoc, penitus exclusis.

De ætate ordinandorum.

Vt verò iuniores Clerici sacris initiati ab Episcopo redierint, eos Parochi iis in ordinibus, quos suscepisse se dicunt, ministrare ne patiantur; nisi literas Episcopi viderint, ac legerint, quæ susceptos ordines testificentur.

Ordinati sine formatis non admittendi ad executionem ordinum.

DE MATRIMONIO

PROOEMIVM.

CVM MATRIMONIVM, cuius arctiſſimis vinculis vir ac mulier inter ſe iunguntur, copulanturq́; , magnum eſſe Sacramentum teſtetur Apoſtolus; vt quod indiſſolubilem Chriſti cum Eccleſia cõiunctionem apertè præ ſe ferat, eiusque autorem Deum ipſum agnoſcamus, qui illa quidem innocentiæ planè aurea ætate, antequàm parens primus tanti ſceleris contagione cùm ſe, tum nos etiam poſteros omnes contaminaret; ius nuptiarum in officium; & poſt amiſſam per peccatum dignitatem, ac libertatem, in ſalutis remedium eſſe voluit; neceſſarium fore exiſtimauimus; vt Eccleſiæ noſtræ populique ſpectata vtilitate, Sacramenti huius inſtitutio, & adminiſtrandi ratio Parochis noſtris, cæteriſque Sacerdotibus paucis traderetur.

QVID SIT MATRIMONij Sacramentum?

CAPVT PRIMVM.

MATRIMONIVM eſt legitima viri fœminæque coniunctio, ad conſuetudinem vitæ indiuiduam inter ipſos coniuges tranſigendã diuinitùs inſtituta. Iam inde ab orbe cõ- Ex cap. 11. de præſumptionibus & 27. q. 2. cap. primo & Ma-

dito

gistro Sent. d. 27. C. Quid sit côiugium. & pletisq; aliis.

dito matrimonium in vsu fuit, Sacramenti tamen rationem à Christo Domino primùm accepit. Neque verò alia ratione definitur hîc matrimonium, quàm vt Sacramentum est. Dicitur itaque viri & fœminæ legitima coniunctio, in qua Sacramenti essentia consistit. Franciscus à Victoria quatuor ait in matrimonio reperiri, Consensum, Contractum, Vinculum & Copulam. Sacramentum verò vinculum ipsum præcipuè esse docet. Nam ante copulam iam est, inquit, matrimonium, similiter transacto consensu & contractu, manet matrimonium. Verùm, cùm dici soleat, omnia Sacramenta, vna Eucharistia excepta, in actione transeunte consistere, dicendum est, vinculum permanens effectum esse Sacramenti potiùs quàm Sacramentum. Nam & Sacramentum quando est, quantum est ex parte ipsius, gratiam confert; non autem semper actu confertur gratia, non ergo manet Sacramentum. Præterea sicut Baptismus, ipse quidem transit, ex eo tamen relinquitur, vt baptizatus semper, quatenus iam in militiam asscriptus, Deo sit obligatus, & baptizati nomen retineat; ita qui matrimonio iuncti sunt, etiam transacto Sacramento, mutuò sibi obligantur, & in statu matrimonij viuere, rectè dici possunt. Non est itaque vinculum Sacramentum, sed contractus potiùs ex consensu proueniens & transiens, id quod nomine coniunctionis in præfata descriptione significatur.

De Sacramentis q. 446.

Neque verò ad Sacramentum satis est quælibet coniunctio, sed omnino debet esse legitima, hoc est, iuxta sacros Canones, diuinæ, atque humanę legis iura. Primò ergo omnium requiritur, vt contrahentes sint ad hunc contractum idonei, & absolutè, & ad inuicem. Absolutè idoneos vocamus, qui sui iuris sunt, nec voto, nec priùs inito

Matrimonium est legitima coniunctio.

ùs inito contractu incompatibili, nec alio modo impediuntur. Ad inuicem idonei sunt, qui nulla affinitatis, aut consanguinitatis attinentia, aut aliter contrahere prohibentur. Rursus ad hoc, vt coniunctio sit legitima, necesse est, omnia, quæ à legibus præscribuntur, sedulò obseruari, vt nempe præuiis promulgationibus, præsente parocho, & testibus fiat, & si quid aliud huiusmodi requiratur. Præterea legitima non esset, si inter fideles fieret hæc coniunctio ex proposito, non in ordine ad Sacramentum, quemadmodum Iudæorum & Gentilium connubia fiunt. Nam cùm Christus Dominus hoc Sacramentum instituerit, vt ad rectum matrimonij vsum propria ad hoc ipsum infusa gratia fideles iuuentur, esset sanè in egregium autoris contemptum, rem ipsam sine Sacramento velle. Neque huiusmodi aliquid communi fidelium consensu in Republica Christiana vnquam ferendum esset.

Sequitur ad consuetudinem vitæ indiuiduam. hic est proprius Sacramenti huius effectus, vt inter coniuges sit indissolubile vinculum, iuxta illud Christi Domini: Quos Deus coniunxit, homo non separet. Verū, an tanta hæc obligatio sit legis naturæ, siue positiuæ, an verò ex ratione Sacramēti proueniat; quia nempe indissolubile vinculum Christi & Ecclesiæ, Deitatis & humanitatis in verbo diuino significat, non ita est facilè decernere. Certum autem est, legem naturæ eò inclinare, vt sit hic contractus indissolubilis, tum quia derelictos ab aliis, nō facilè admittunt alij; tū etiam quia prolis educatio, & amor parentū in proles, hoc videtur postulare. Ius itaque naturæ ad minimum præscribit, ne facilè hoc soluatur vinculum, cui hac de re, lege positiua ante Christum lata, nihil additum apparet. Sed cùm olim

Matt. 19.

olim licitè permitteretur solutio vinculi huius per libellum repudij, & nunc quoq; vsus Ecclesiæ sit, vt infidelis ad fidem Christi cõuersus, si cũ priore cõiuge sine contumelia creatoris viuere non possit, illa dimissa, alteram ducat, indissolubile hoc vinculum non est ex præcepto legis naturæ. Relinquitur igitur, vt ex ratione Sacramenti oriatur. Sunt tamen duo matrimonij status hîc distinguendi. Aliud enim est matrimonium ratum, aliud verò consumatum. Ratum quidem ita est indissolubile, vt recedere non liceat, nisi ob excellentiorem vitæ statum suscipiendum; hoc est, per ingressum religionis. In huiusmodi enim conuenit illud Christi Domini:

Matth. 19. Qui potest capere capiat. Consumatum verò omnino indissolubile est, quo ad vinculum; iuxta illud Pauli:

Ad Rom. 7. Quæ sub viro est mulier, viuente viro, alligata est legi. Et pòst: Viuente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro; atque ad hunc modum intelligi debet, quod de consuetudine vitæ indiuidua in descriptione præfata habetur.

Vltimo tandem loco additur, coniunctionem illam, de qua iam dictum est, diuinitùs institutam esse, vt esset quidem olim in Paradiso, à Deo statutum est, ipso dicente:

Gen. 1. Crescite & multiplicamini; siue hoc Creatoris dictũ fuerit legis positiuæ, quæ vocatur præceptum, siue legis naturalis, quæ non minùs ad speciei, quàm indiuidui conseruationem impellit, quædam explicatio. Atque, vt coniunctio illa signum rei sacræ fieret, quatenus iustificat, & rationem Sacramenti haberet, hoc ipsum à Christo Domino institutum est.

AVTO-

AVTORITATES AD MAtrimonij dignitatem confirmandam ex vtroq; testamento petitæ.

CAPVT SECVNDVM.

PRimvs parens humani generis Adam, diuini Spiritus instinctu, hæc verba de matrimonio est effatus: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est. Gen. 2.

Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit vxori suæ; & erunt duo in carne vna.

Hoc Christus ita confirmat: Ab initio Deus masculum & fœminam fecit eos, & dixit: propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ; & erunt duo in carne vna. Itaque iam non sunt duo, sed vna caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet. Matt. c. 19.

Paulus idem docet: Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino; quoniam vir caput est mulieris; sicut Christus caput est Ecclesiæ. Viri diligite vxores vestras; sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret. Et paulò pòst: Ita & viri debent diligere vxores suas, vt corpora sua. Qui suam vxorem diligit, seipsum diligit. Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo, & in Ecclesia. Eph. 5.

1.Pet.3. Idem apud diuum Petrum legimus: Mulieres subditæ sint viris suis; vt, etsi qui nō credunt verbo, per mulierum conuersationem sine verbo lucrifiant, considerantes in timore castam conuersationem vestram; Quarum non sit extrinsecùs capillatura, aut circundatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus; sed qui absc͂oditus est, cordis homo, in incorruptibilitate quieti & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples. Sic enim aliquãdo & sanctæ mulieres sperantes in Deo ornabant se, subiectæ propriis viris; sicut Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans, cuius estis filiæ benefacientes, & non pertimentes vllam perturbationem. Viri similiter cohabitantes secundùm conscientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impertientes honorem, tanquàm & cohæredibus gratiæ vitæ, vt non impediantur orationes vestræ.

DE MATERIA, FORMA, *ministro & effectu huius Sacramenti Matrimonij.*

CAPVT TERTIVM.

MATERIA Matrimonij duplex est, vna remota, altera proxima; remota sunt vir & mulier, de materia propinqua non leuis est inter Doctores controuersia; sententia verò, quæ hoc tempore in Scholis maximè probatur, quam doctissimus Martinus Nauarrus probabilissimam cēset, est, cōsensum legitimū personarum ad contrahēdum ido-

Materia Sacramenti matrimonij.

In manuali 22. c. numero 20.

nearum esse materiam propinquam. Neque impedimento est, quòd consensus fortè res non sit sensibilis, id quod ad Sacramentorum materiam requiritur; nam quatenus ad externam quandam expressamque significationem ordinatur, res ex se alioquin à sensibus remota, esse potest Sacramenti materia; vt in Pœnitentia est manifestum. Contritio enim res omnino est interior, nec sensu vllo in se percipitur, quatenus tamen ad confessionem ordinatur, vt nempe per confessionem etiam ad sensum nota fiat, pertinet ad materiam Pœnitentiæ.

Forma Sacramenti matrimonij.

Forma est legitimi consensus expressio, siue ea per verba, per taciturnitatem (vt etiam quandoque fit) aut per alia quælibet signa fiat, quibus consensus vnius in alterum mutuò declaratur, & de præsenti acceptatur. Essentiam autem Sacramenti à solis contrahentibus perfici constat; quia ante Concilium Tridentinum remotis arbitris matrimonium initum pro Sacramento habitum fuit. Quæ verò à SS. Concilio Tridentino decreta sunt, aliunde quàm ab immutatione essentiæ, matrimonium præter decreti ordinem contractum irritant: Personas nempe ad aliter contrahendum reddendo inhabiles.

Minister Sacramenti matrimonij.

Quod ad Sacramenti huius Ministrum attinet, quicquid sit de necessitate Sacramenti, tanquàm assistens saltem huic ministerio, ex decreto SS. Concilij Tridentini necessariò adesse debet proprius Parochus, vel alter Sacerdos eius loco, qui, vt Minister approbans & solemnizans contractum, post mutuũ coniugis vtriusq; interrogati consensum coram se de præsenti, aut verbis, aut signo datum, inquiet: Ego vos in matrimonium cõiungo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti; aut expri-

Sess. 24. c. 1. Decret. de reform. matr.

ex prisco Salisburgensis Ecclesiæ more, decretis tamen Concilij Tridentini accomodato: Matrimoniū in facie Ecclesiæ inter vos, me annuente contractum, Deus cōfirmet, & ego illud approbo, perficio, atque solennizo; In nomine Patris, & Filij & Spiritus Sancti. Amen.

Effectus præter gratiam, matrimonio legitimo coniunctis diuinitùs collatam, qua iusti concubitus ipsorū culpa vacant, amorq; naturalis perficitur, & cōiuges ipsi sanctificantur, est triplex boni genus; liberi Deo in lucem suscipiendi, atq; educandi; fides, quam alter alteri præstare debet; & indissolubilis ac perpetua vtriusq; cōiugis consociatio, quæ indiuiduā Christi cum Ecclesia coniunctionē significat. Quāuis enim diuortia fieri Ecclesia interdū permittat; nubere tamen alteri non licet, aut alterā sibi vxorem adiungere: quòd legitimi cōiugij vinculū arctissimum sit, atq; perpetuū, Paulo Apostolo teste: His, qui matrimonio iuncti sunt, præcipio, nō ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere; quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari; et vir vxorem non dimittat. Item: Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius viuit; quòd si dormierit vir eius, liberata est; cui autem vult, nubat, tantùm in Domino.

Effectus Sacramenti matrimonij.

1 Cor. 7.

QVÆNAM IN MATRImonij Sacramento notanda, ac seruanda sint.

CAPVT QVARTVM.

Coniuges ante solenné benedictionem ne cohabitent.

PAROCHI, mulieres ac viros sibi creditos legitimi etiam matrimonij nomine eodem iungi contubernio, ne patiantur, nisi sponsalia per Sacerdotem in facie Ecclesiæ solennibus facta cæremoniis fuerint. Eos item, qui aliunde aduenientes æqui se connubij iure stabilitos profitentur, inter suos domum habere ne sinant; nisi certissimo testimonio nuptias confirmârint. Quòd si quis mulierem eodem tecto, ac lecto receperit, cui matrimonij fidem publicè non dederit; moneantur, vt suas res sibi alter alteri habere iubeat; aut tempus bimestre detur, se coram Ordinario, eiusué Vicario sistendi, atque legitimi contubernij potestatem impetrandi. Quibus si non pareant, Sacramentis interdicantur, atque nisi ante obitum errorem correxerint, aut confessione sustulerint, Christiana sepultura prohibeantur.

Ex cap. 1. decr. de reform. matr. Con. Trid. sess. 24.

Quod matrimonium sit legitimum.

Legitimum verò matrimonium illud esse censemus, quod in templo, præsente Parocho, aut altero Sacerdote ab Ordinario delecto, tribusque vel duobus saltem adhibitis testibus celebratur. Quòd si qui aliter, quàm præsente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi, seu Ordinarij licentia, & duobus, vel tribus testibus matrimonium contrahere attentauerint; eos Concilij Tridentini decreto, ad sic contrahendum omnino inhabiles reddimus; & huiusmodi contractus irritos, & nul-

Ex Con. Trid. sess. 24. c. 1. decr. de refor matr.

nullos esse decernimus; prout eos præsenti decreto irritos facimus & annullamus. Insuper Parochum, vel alium Sacerdotem, qui cum minore testium numero; & testes, qui sine Parocho, vel Sacerdote huiusmodi contractui interfuerint, nec non ipsos contrahentes grauiter arbitrio Ordinarij puniri præcipimus.

Conc. Lat. Con. Trid. cap. primo decr. de reform. matri. sess. 24.

Trina proclamationes matrimonium præcedere debēt.

In facie autem Ecclesiæ nullos Parochi inter se coniungant, nisi ex laudatissimo & antiquissimo Metropolitanæ Ecclesiæ nostræ more, à Laterañesi Concilio sub Innocentio tertio inducto, atque à sacra Synodo Tridentina approbato, antequàm matrimonium contrahatur, tribus festis diebus, aliquot dierum interuallo inter se distinctis, in templo inter Missarũ solennia, vel inter concionandum coram populo denuncietur, inter quos coniugium sit futurum; Nisi Ordinarius ipse iustis de causis expedire iudicauerit, vt vna tantùm denunciatio fiat, vel ex toto prædictæ denunciationes remittantur; quod eius prudentiæ & iudicio S. Synodus Tridentina relinquit. Quòd si quæ causa grauior nuptiis obstiterit, de qua dubitetur, an matrimonio impedimentũ afferre possit; cum pœna legibus cõstituta, aliisq; censurarum notis pro delicti genere inurendis, prohibemus, vetamus, interdicimus; ne eiusmodi sponsalia fiant, nisi peculiare priuilegium eam in rem irrogetur; aut causa tota ab Ordinario, eiusúe Officiali, seu Vicario definiatur. Neque cui credant, sententiam à iudice in litigiosum matrimonium latam prædicanti, nisi literas fide dignas ostenderit.

Ex de Cõs. & affin. C. Non debent. Et causa

Impedimenta sponsaliorum.

Sponsalia verò impediuntur, prohibenturque, cùm inter cognatos spirituales, vel consanguineos, aut affines in primo, secundo, tertio, & quarto gradu fiunt; nisi sponsa in quinto: in secundo, tertio, vel quarto gradu

du ſponſus ſit conſanguinitatis, vel affinitatis; aut contra; quia quoto gradu remotior quis diſtat à ſtipite, tàto gradu differt à quolibet per aliam lineam deſcendentium ab eodem. 35. q. 5. C. Æqualiter. Ex de Cõſ. & affin. c. vltimo.

Quæ ſpiritualis affinitas dirimat matrimonium. Spiritualem verò neceſſitudinem Concilij Tridentini decretis habent in Baptiſmate quidem baptizantes, & ſuſcipientes (qui vnus tantùm ſiue vir, ſiue mulier; vel duo ad ſummum, vnus & vna, eſſe debent) cum baptizato, illiusque patre, ac matre; in Confirmatione verò tenens (quem vnum duntaxat eſſe oportet) cum confirmato, parentibusque ipſius; omnibus inter alios huius ſpiritualis cognationis impedimentis omnino ſublatis. Con. Trid. c. ſecundo decr. de ref. form. matri. ſeſſ. 24.

Vxor patrini non contrahit cognationẽ ſpiritualem & econtra. At quoniam de hoc Tridentini Concilij decreto inter quoſdam ambigebatur; an impedimentum cognationis ſpiritualis inter maritũ, vel vxorem ſuſcipientis, & baptizatum, patremq; eius, ac matrẽ, locum haberet, quia, quod vni coniugũ prohibetur, etiã alteri prohibitũ videatur; Pius PP. Quintus piarũ mẽtium quieti, ac matrimoniorum fauori conſulere volens, à verbis Concilij diſcedendum non eſſe cenſuit. Properea nullum amplius impedimentum ratione cognationis eiuſmodi ſubeſſe decernit, ac declarat; quo minùs inter maritum vel vxorem ſuſcipientis & baptizatum, eiuſq; parentes, ac quoſcunque alios tam ex parte ſuſcipientis, quàm baptizantis, & baptizati, in ſupradicto Concilio nominatim non expreſſos, matrimonium liberè, ac legitimè contrahi poſſit; atque ita ab omnibus iudicari debere mãdat, ac ſtatuit; irritum & inane decernens, ſi quid ſecus à quoquam, quacunq; dignitate, autoritate, ac poteſtate prædito, iudicari contigerit. In Bulla, quæ incipit: Cùm illius vicem. Data quarto Cal. Dec. Pont. ſui Anno primo.

Præte-

Sess. 24. c. 4. decr. de refor. matr.

Præterea eiusdem Tridentini Concilij autoritate impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractum inducitur, & matrimonium posteà factum dirimit; ad eos tantùm, qui in primo, & secundo gradu coniunguntur, restringitur. In vlterioribus verò gradibus statutum est, huiusmodi affinitatem, matrimonium posteà contractum non dirimere. Quia verò à multis adhuc est dubitatum; num, licet in vlterioribus gradibus matrimonium eiusmodi contractum non dirimatur, secundùm antiquos Canones contrahi prohibeatur; prædictus Pius Quintus omnem ambiguitatem tollere, ac animarum tranquillitati, ac matrimonij libertati consulere volens declarat, & Apostolica autoritate decernit, nullum remanere impedimentum, quo minùs in vlterioribus gradibus eiusmodi matrimonium liberè ac legitimè contrahi possit; atque ita ab omnibus iudicari debere mandat, ac statuit: irritum, & inane decernens, si quid secus à quoquã, quacunque dignitate, autoritate, ac potestate prædito, iudicari contigerit.

Affinitas ex fornicatione contracta secũdum gradũ non excedit.

In Bulla, quæ incipit: Ad Romanum. Data quarto Cal. Decemb. Pót. sui Anno primo.

Affinitas ex fornicatione contracta vltra secundũ gradum nec impedit qui dẽ matrimonium.

Si quis autem intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere præsumpserit: iuxta decretum Concilij Tridentini separetur, & spe dispensationis cõsequendæ careat; idque in eo multò magis locum habeat, qui non tantùm matrimonium contrahere, sed etiam consumare ausus fuerit. Quòd si ignoranter id fecerit, siquidem solennitates requisitas in contrahendo matrimonio neglexerit; eisdem subiiciatur pœnis: non enim dignus est, qui Ecclesiæ benignitatem facilè experiatur, cuius salubria præcepta temerè contempsit. Si verò, solennitatibus adhibitis, impedimentum aliquod posteà subesse cognoscatur, cuius ille probabilem

Intra gradus prohibitos coniũcti, separandi.

Sess. 24. cap quinto Decr. de reform. matr.

lem ignorantiam habuit; tunc faciliùs cum eo, & gratis dispensari poterit. In contrahendis matrimoniis secundùm eiusdem Concilij decretum, vel nulla omnino detur dispensatio; vel rarò; idque ex causa, & gratis concedatur. In secundo gradu nunquàm dispensetur, nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam.

Populus sæpe admonendus de impedimẽtis matrimonij.

Parochi igitur ex suggestu doceant populum, & sæpius inculcent, quænam sint impedimenta, quo minùs matrimonium, aut sponsalia contrahi possint, vel iam contracta dirimant; nec non qui vani & superflui ritus in matrimoniis celebrandis euitandi sint, quatenus vbique seruetur eadem conformitas, iuxta consuetudinem Cathedralis Ecclesiæ.

Ignoti ad matrimonium non admittendi.

Con. Trid. d. sess. cap. 7. decr. de reform. matr.

Peregrinos quoque, & ignotos, hominesq; vagos ne admittant ad matrimonia; nisi testimonia suæ libertatis adferant ab his, cum quibus sunt commorati.

Tempus nuptiarum.

Cõ Trid. c. 10. decr. de reform. matr. sess. 24.

Con. Trident. loco vts.

Caueant Parochi, ne diebus, quibus per ius nuptias solennes coniungi fas non est, sponsalia consuetis cæremoniis in facie Ecclesiæ celebrent. Nam secundùm Concilij Tridentini interpretationem, à Dominica prima Aduentus Domini nostri Iesu Christi vsque in diem Epiphaniæ, & à feria quarta cinerum vsque in octauam Paschatis inclusiuè, statæ publicarum nuptiarum cæremoniæ, conuiuia, ludi, saltus, choreæ, viri vxorisque coniunctio solennis, aliaque id genus interdicuntur; simplex tamen matrimonij contractus, ac sponsio non tollitur. In aliis verò temporibus, etiam à Septuagesima vsque ad diem cinerum, & à Rogationum feriis vsque in octauam Pentecostes (quibus diebus ante Concilium Tridentinum matrimonia publica vetabãtur) celebres nuptiæ permittuntur; quas Episcopi, vt ea, qua decet, modestia & honestate fiant, diligenter

genter curabunt. Sancta enim res est matrimonium, & sanctè tractandum.

Confessio & communio coniugum nuptiis praeponantur.

Illud quoq; Parochi meminerint, vt sponso, ac sponsæ, priùsquàm solenni matrimonio coniungantur, dignitatem, præstantiam, vtilitatemq; huius Sacramenti ob oculos ponant, eosque sedulò hortentur, vt ad diuinam gratiam consequendam peccata sua diligenter confiteantur, & ad sanctissimum Eucharistiæ Sacramẽtum piè ac religiosè accedant. Hinc & sancta Synodus Tridentina coniuges hortatur, vt antequàm contrahant, vel saltẽ triduo ante matrimonij consumationem sua peccata diligenter confiteantur, & ad sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum piè accedant.

Sess. 24. c. pri. decr. de reform. matr.

Coniuges, non solenniter benedicti, non cohabitent.

Moneantur item, vt etiam sancta Synodus Tridentina eos hortatur, ne ante benedictionem, in templo à proprio Parocho, vel ab alio Sacerdote vices gerente, aut ab Ordinario facultatem habente suscipiendam, in eadem domo cohabitent.

Qui non sibi subditos matrimonio coniungit, vel solenniter benedicit, est suspensus.

Quòd si quis Parochus, vel alius Sacerdos, siue regularis, siue secularis sit, etiam si id sibi ex priuilegio, vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius Parochiæ sponsos, sine illius Parochi licentia, matrimonio coniungere, aut benedicere ausus fuerit, ipso iure tam diu suspensus maneat, quàm diu ab Ordinario eius Parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu à quo benedictio suscipienda erat, absoluatur.

Quomodo puniendi, qui durantibus sponsalibus, vel ante solennem benedictionem

Quidam autem, fide matrimonij futuri intra domesticos parietes vix data, antequàm in conuentu publico & frequentia hominum tribus diebus festis nuptiæ promulgentur, coramque Sacerdote, ac testibus, ipsi in tẽplo solenni iungantur matrimonio; concubitu sese contaminant; nuptias deinde per Parochum publicè pro-

nem carnaliter cõueniunt.

clamari iubent;ac post spatium dierum aliquot, muliere interdum grauida,in templum ad matrimonij societatem ineundam conueniunt;res non modò visu fœda,ac turpis;sed etiam auditu,atq; ab homine Christiano prorsus aliena. Qui mos detestabilis ac meretricius è medio penitus vt tollatur, Parochi suos seuerè moneant,id scelus deinceps ne admittant,quod concubitus is non matrimonij iure,ac dignitate; sed stupri labe, & flagitio nitatur;adeò vt, qui hoc se nefario scelere deuinxerint,vt in libidinem lege vetitam lapsi, perpetua infamia notandi sint,atque ab Ordinario cum dedecore puniendi.

Accedentes ad benedictionem monendi de charitate & Christianorum coniugum mutuis officiis.

Eos item,quos publici coniugij societate in templo iunxerint,ad mutuam amoris beneuolentiam,ad omnẽ coniugalem honestatem, ad continentiam, ad fidem perpetuò seruandam hortentur, suadeantque,vt Pauli Apostoli consilio, à concubitu interdum abstineant, 1.Cor.7. quò precibus vacare religiosiùs possint. Moneant etiam,vt liberos, quos Deus concesserit, probitate morum,religione,virtutibus,optimisque disciplinis instituant, atque educent; secundùm illa verba Sapientis: Filij tibi sunt?erudi illos,& curua illos à pueritia eorum. Eccl.7. Filiæ tibi sunt,serua corpus illarum,& non ostendas hilarem faciem tuam ad illas.

Registranda à Parocho, quæ ad matrimonium pertinent.

Habeat prætereà Parochus librum, in quo coniugum & testium nomina, diemque ac locum contracti matrimonij describat; quem diligenter apud se custodiat. Cõ.Trid. c primo decr. de reform. matr.

In maioribus constituti, si vxorem duxe-

Sacerdotes verò, ac maiorum ordinum sacris initiati,vxorem omnino ne ducant;nisi se grauissimis perpetui supplicij,ac Canonum pœnis subiectos esse velint;

quòd

quòd ab eo tempore matrimonij iure ceciderint, quo pudicitiam suam Deo consecrauêre.

rint, quomodo puniendi.

QVO ORDINE, QVIBVSué cæremoniis sponsus, ac sponsa inter se iungendi matrimonio sint.

CAPVT QVINTVM.

CVM ii, quorum nuptiæ publico in conuentu proclamatæ sunt, ad templum venerint, Sacerdos, stola collo inserta, pro foribus templi, aut (præsertim si tunc res diuina fiat, vel iam facta sit) pro ara, more solito consistat, sponsumque ad dexteram, ad læuam sponsam collocet; tum ad populum conuersus, postrema vice nuptias promulget, vt sequitur:

Filij in Christo mihi charissimi; en duos honestissimos homines N. & N. (his autem literis nomina ipsorum ac cognomina prodenda significantur) quorum nuptiæ non tam pridem more Maiorum publicè vobis proclamatæ, ac denunciatæ; nunc vobis præsentibus arctissimo matrimonij vinculo cõiungendæ sunt, atque Christianis ritibus confirmandæ & approbandæ. Si quis vestrûm itaque est, qui iustum impedimentum inferre velit; vt si alteruter horum alterius fortasse coniugij particeps sit, aut cum eo iungatur, cui propter affinitatem vel naturalem, vel ciuilem, vel spiritualem connubij ius non est; præcipio illi per eam, quam Christiani Maioribus suis debent, obedientiam, atque impero, vt nunc omnia proferat, patefaciat-

Nuptiarũ in publica sponsi, ac sponsa coniunctione ad populũ cum protestatione promulgatio.

 que.

que. Quod omnibus palam primò, secundò, ac tertiò dictum sit.

Deinde sponsum et sponsam alloquatur, inquiens:

Ad sponsũ ac sponsam, ante Matrimony caremonias, exhortatio.

Quandoquidem ea mente, ac consilio in templum conuenistis, vt matrimonium mutuo inter vos consensu sponsum, per sacrosanctæ Ecclesiæ benedictionem, publico astantium testimonio perficiatur, ac confirmetur; vt maior vobis hac ex re cùm honoris dignitas, ac voluptas animi, tum promissi constantia, & fructus vtilitas accedat; vos scire volo, matrimonium, vt rem friuolam, aut leuem cæremoniam, humani ingenij inuentum non esse; sed Sacramentorum vnum, per quæ Deus Opt. Max. religionis studiosis, ac cultoribus de thesauris suis solidas opes, diuitiasque cœlestes plena manu suppeditat, à Deo primorum hominum memoria institutũ. Nam Princeps ille mundiq; Dominus, in amœnissimo Paradisi ac deliciarum hortulo, marem & fœminam connubij iure sociauit; institutumque matrimonium munificentissimis gratiæ ac clementiæ suæ priuilegiis, amplissimisque decretis ornauit, & confirmauit, ne aut contagione magni illius sceleris, quod ab vno profectum, latissimè ad omnes manauit, turpissimè cõtaminaretur; aut eluuione aquarum, terrarumque exustione penitus extingueretur, ac tolleretur. Posteà verò, quàm eius dignitate, ornamentis, ac maiestate Iudæi, & Gentiles sunt abusi; Christus, vnicus Dei filius, nostræq; salutis ac vitæ seruator, & custos vigilantissimus, ad pristinam speciem veritatemque omnia reuocauit; matrimoniũ deprauatum correxit, & in integrum restituit; ius connubiij sacrosanctum, ac perpetuum esse apud

pud Christianos voluit. Hoc nimirum est illud, quod Christus cùm sua, tum matris discipulorumq; pręsẽtia nuptias honestauit, ac miraculo aquæ in vinum mutatæ illustrauit. Hinc Apostolus etiam matrimonium summis laudibus effert, coniugibusque certam beatitudinem pollicetur; si fidei sanctitate ac constantia seruata ad extremum spiritum vsque laudabiliter in matrimonio perseuerârint. Quare diuinum istud inuentum Christiani spernere, ac negligere non debent, sed magnificè, sanctèque de eo sentire ac loqui. Agite verò: enumeremus causas, ob quas potissimùm matrimonij Sacramentum à Deo institutum fuisse dicatur. Ac prima quidem illa est; vt matrimonio, quasi honesta quadam, ac legitima maris & fœminæ consuetudine, ac coniunctione, hominum genus ab interitu vindicaretur; communes ferino more, permiscendorum corporum libidines humanæ vitæ finibus arcerentur; & certi cuique liberi essent, quos non tam fortunarum, ac bonorum suorum hæredes facerent, quàm cultores Dei optimè institutos sibi superstites relinquerent. Deinde, vt amores impudici, libidinosi concubitus, luxuries, obscœnæque voluptates frenarentur, & naturæ nostræ imbecillitati, fragilitatique, ne toties peccandum esset, salutaribus matrimonij remediis subueniretur. Postremò, vt futura Christi atque Ecclesiæ coniunctio hoc mysterio tam admirabili proderetur, eiusque maximus amor, ac beneuolentia singularis, quam erga suos erat declaraturus, signo quodam non obscuro perspiceretur. Ex his, quæ diximus, coniuges certissimam matrimonij rationem ac studia colligere possunt. Nam quemadmodum vnam in terris Ecclesiam Christus habet, quam sanguine suo, ac vita seruatam maximis

beneficiis indies afficit, auget, tuetur; ita vir vna vxore, ac viciſſim mulier viro vno contenta ſit; voluntatum, ſtudiorum, ac ſententiarum ſumma conſenſione, & charitate coniuncti mutuis inter ſe certēt officiis; fraudem nullam faciant, ſed magna fidei integritate ac ſynceritate valde familiariter ſimul viuant. At verò ſicut illa coniunctio, quæ Chriſto cum Eccleſia intercedit, non vnius eſt horæ, diei, aut multorum annorum; ſed aſſidua, perpetua, indiſſolubilis; ſic coniuges ſempiterno ſe matrimonij vinculo deuinciunt; quæ vitæ ſocietas nulla re alia, quàm morte dirimi poteſt. Quocirca, cùm Chriſtiani coniugij ſpecies, ſpiritualis Chriſti cum Eccleſia cōiunctionis effigiem quandam, ac ſimulachrum præ ſe ferat; decet virum vxori præeſſe; omnia, quæ ad viuendum neceſſaria ſunt, ſuppeditare; resque eius cùm vniuerſas, tum ſingulas curare; ne quid detrimenti accipiat, ne quid aſperius patiatur, ne quam iacturam faciat; amet illam, foueat, complectatur, in oculis ferat, Chriſti veſtigia perſecutus; qui Eccleſiam tam charam habuit, vt pro illa vitam, ſanguinemque ſuum profundere non dubitârit. Vxores viciſſim maritos ex animo diligant, reuereantur, obſeruent; dicto illis audientes ſint; exemplo Eccleſiæ, quæ Chriſtum maximo amoris ſtudio, ſummaq; beneuolentiæ charitate proſequitur, colit, veneratur, eiusque imperio, ac voluntati diligenter paret, illum audit, illi obtemperat. Quòd ſi vterq; veſtrū (vt ad vos veniam) ſanctiſſimū matrimonij Sacramentum piè, ſanctè, ac religioſè ſuſcipere voluerit, nemini dubium eſſe debet; quin vobis præpotens ille Deus, qui theſauros ſuos omnibus aperuit, propitius ſit futurus, opem indigentibus auxiliumque allaturus, animosque veſtros omni bonorum genere confirma-

tu-

turus;vt mutua amoris ac fidei officia exercere;vt cubile ac lectulum genialem saluũ conseruare; vt res aduersas moderatè ferre; quietum & tranquillum spiritum ducere, ac vitam beatam tandem, quæ sola est vita, eius beneficio viuere possitis. Quare diuinam implorate misericordiam,vt dexteram porrigat, vt vitæ socius, vt consiliorum omnium autor vobis esse velit. Date operam,ne sacrosanctam matrimonij religionem,quæ saluti alioquin esse solet, turpi nimiarum opum quæstu, ac compendio, & immoderata voluptatum libidine ad vestram perniciem vocetis, domesticæ consuetudinis vsus ac familiaritas timore diuino condiatur; ne aut ab assiduis precationibus ad lasciuiam, aut à Dei cultu ad rerum creatarum amorem auocemini;in omnibus denique actionibus vestris charitatem in Deum semper retinete,vt ille vobis post obitum sempiternæ beatitudinis domicilium impertiatur. Per Iesum Christum Dominum nostrum. Amen.

Post hanc exhortationem, sciscitetur Sacerdos lingua vernacula ex sponso, ac sponsa, quæ proximè sequuntur. Et primùm ex sponso, dicens:

Quæro ex te N.an,vt vxorem in Christo tibi adiungas,in animum induxeris?

Respondeat sponsus:

Ita prorsus in animum induxi meum.

Petat Sacerdos:

Visné hanc præsentem N. in legitimam vxorem tuam ducere,ei fideliter præesse,sicut Adam Euæ,ac tanquàm infirmiori vasculo muliebri (vt D. Petrus loquitur)

tur) parcere, eam, vt teipsum, ac vitam tuam diligere, spem eius, & fidem tuam in rebus aduersis nunquàm deserere, atque honestè, ac perhumaniter cum ea vsque ad mortem viuere?

Dicat sponsus:

Volo, duco, atque hæc omnia præstiturum me sanctè spondeo.

Deinde Sacerdos eodem modo roget sponsam, inquiens:

Visné hunc præsentem N. in legitimum maritum tuum habere, ei fideliter cohabitare, ac obedire, vt Eua Adæ, eum obseruare, vt Abraham Sara, spem eius, ac fidem tuam in rebus aduersis nunquàm fallere, atque honestè, ac perhumaniter cum ipso vsque ad mortem viuere?

Respondeat sponsa:

Volo, habeo, atque hæc omnia præstituram me sanctè spondeo.

Post fidem promissam Parochus dexteras vtriusque iungat, annuloque inuicem tradito, & quid vtrumque significet, aperiat.

Quid porrectæ manus significent. Ista manuum porrectio aliud nihil sibi vult, quàm quòd hîc coram Deo & Ecclesia, vos quasi iureiurando deuinxeritis, alterum ab altero nunquàm, ne in rebus aduersis quidem, discessurum, sed in hac initi Matrimonij societate vsque ad extremum vitæ diem constantissimè perseueraturum.

Quid an- Vt annulus iste forma vndique rotunda principio ac fine

fine caret;ita fides veſtra, quam mutuò dediſtis, integra ſemper ſit, extremumque ne habeat, initium optimis auſpiciis à Deo ducat, qui ſine principio ac fine in perpetuum viuit ac regnat trinus & vnus. *nulum deſig- net.*

FORMA VTRVMQVE coniungendi.

CAPVT SEXTVM.

SACERDOS poſt hæc manus amborũ ſtola ſua circumuoluat, vti id moris eſt, atque ita eos ſimul copulet, inquiens:

Ego vos in matrimonium coniungo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.

Vel ex priſco Salisburgẽſis Eccleſiæ more, decretis tamen Concilij Tridentini accommodato:

Matrimonium in facie Eccleſiæ inter vos me annuente contractum, Deus confirmet; & ego illud approbo, perficio, atque ſolennizo, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.

Hic Sacerdos, diſiunctis vtrinque manibus, ſponſum in hanc ſententiam alloquatur, deinde ſponſam, & vltimò aſtantes:

Ego Dei iuſſu ac præcepto impero tibi, vt huic coniugi tuæ, cuius te Deus caput conſtituit, fideliter præſis, eamque vt teipſum nutrias, ac diligas, atque quoad eius *Sermo ad ſponſum.*

fieri poteſt, ab omni infamia, dedecore, contumelia, vitæque periculis cuſtodias, ac conſerues; nec vllæ res aduerſæ tantæ ſint, quæ animum ita perturbent ac frangant, vt te ab ipſa diſtrahi tantiſper patiaris, dum ſocietatem veſtram & coniunctionem diſceſſus è vita per mortem dirimat. Conſuetudo autem victus, quæ tibi cum ea, quaſi perpetua vitæ ſocia erit, rationẽ ducem, verecundiam, ſanctitatem, cæteraſque virtutes comites habeat; vxori, vt vaſculo fragiliori parcas, quòd & ipſa cohęres vitæ ſit ſempiternæ; ita denique te geras, vt ſumma pax, ſumma concordia, ſummus amor inter vos ſemper exiſtat, ne preces veſtræ à Deo negligantur.

Deinde ſponſam:

Sermo ad ſponſam.

Nec minùs & tu N. erga hunc maritum tuum, conſtantem te, ac fidelem præſtes, hunc ames, huic obedias oportet, perinde vt Eccleſia Chriſto; te illi facilem, obſequentem, amabilem, reuerẽtem fac præbeas, quales Sara, cæteræque mulieres ſanctæ in viros ſuos fuerunt. In re domeſtica verò adminiſtranda fida exiſtas adiutrix, neque vllas opes cum ipſo, niſi honeſtis conditionibus ad victum quæras, ac cumules; nulla tandem difficultas, excepta morte, ab eius te contubernio ſeparet.

Tum aſtantes:

Sermo ad aſtantes.

Fratres in Chriſto mihi chariſſimi. Cùm clementiſſimus ac liberaliſſimus parens noſter Deus per hoc matrimonij Sacramentum, vt per alia etiam omnia, tanta in homines conferat beneficia, quãta ſuſtinere ipſi poſſunt, atq; hi duo coniuges, matrimonio inter ſe coram Eccleſia iuncti, horum meritorum participes ſint; genibus nixi omnes diuinum eius numen implorate, vt (quæ

(quæ ſua eſt benignitas, ac miſericordia)hiſce coniugibus gratiam ſuam impertiatur, qua ad principia matrimonij ſáctè, rectiùs ad media, ad extrema optimè, quaſi ſecundis ventis deferantur, vt poſt breuem huius vitæ curſum, in tranquillum ſempiternæ beatitudinis portum venire poſſint. Quæ vt à Deo Opt. Max. illi obtineant, precationem Dominicam, Angelicam ſalutationem, ac Symbolum Apoſtolicum, ſupplices recitate.

QVID VLTIMO AGENDVM SIT.

CAPVT SEPTIMVM.

POSTREMO Sacerdos aſpergat eos aqua benedicta. Quòd ſi pro foribus templi hæc acta fuerint; ſtola in ſponſæ manibus data, ſi conſuetudo ſit, eos in templum introducat, inquiens:

Dominus cuſtodiat introitum veſtrum, & exitum veſtrum, ex hoc nunc, & vſque in ſeculum.

Sin autem hæc in templo ipſo pro ara curata ſint; Sacerdos, poſtquàm ſponſum ac ſponſam aqua benedicta aſperſerit, dicat:

Dominus vos cuſtodiat, & protegat, vnanimesq conſeruet, ex hoc nunc & vſque in ſeculum.

His ita pactis, res diuina fiat; aut ſi cępta fue-

rit, perficiatur: si tamen eo tempore Missa celebrari haberique possit.

DE BENEDICTIONE SPONSI, AC SPONSÆ

PROOEMIVM.

NON QVEMADMODVM solenne est, vt sponsus, ac sponsa, cùm virgines sunt, in templo benedicantur, ita & illos, qui altero iam matrimonio defuncti sunt, ac secundas nuptias inter se cõiungunt, benedici oportet. Quòd si vir solus aliam vxorem habuerit, mulier verò nemini vnquàm nupserit; si id in eius Ecclesiæ more positum sit, benedicantur; Non contra si vidua nubat, virque eius vxorem nunquàm duxerit; tum enim ob secundum mulieris matrimonium nuptiæ non benedicuntur. Ac graue quidem peccatum contra sanctiones Ecclesiasticas esset; si secus, quàm dictum est, ageretur; præsertim cùm Diœceseos consuetudo obstat.

De Secun. nup. c. Vir autem S. Thom. 4. d. 42. q. vltima ar. 2.

At verò qui benedicendi sunt, post rem diuinam; aut si res diuina non fiat (curandum tamen est, si fieri possit, vt actus iste matutino tempore fiat, quò Missa haberi & celebrari possit) post matrimonij cæremonias saltem pro ara coram Sacerdote genua flectant; eosque Sacerdos stola indutus, eo modo benedicat, qui proximè sequitur:

BENE-

BENEDICTIO SPONSI *ac ſponſæ.*

CAPVT PRIMVM.

℣ ADIVTORIVM noſtrum in nomine Domini;
℟ Qui fecit cœlum & terram.
℣ Dominus vobiſcum;
℟ Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob ſit vobiſcũ; & ipſe adimpleat bene ✠ dictionem ſuam in vobis, & videatis filias filiorum veſtrorum, vſque ad tertiam & quartam generationem; & poſteà vitam æternam habeatis ſine fine; adiuuante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum Patre, & Spiritu ſancto viuit & regnat Deus, per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Hunc Pſalmum deinde recitet, vel alium pro more Diœceſis.

Pſal. 127. Beati omnes qui timent Dominum, &c.
Gloria Patri, &c. Sicut erat &c.
Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon.
Pater noſter &c.
Et ne nos inducas &c.
℣ Saluos fac fideles tuos;
℟ Deus meus ſperantes in te.
℣ Exaudiat vos Dominus in die tribulationis.
℟ Protegat vos nomen Dei Iacob.
℣ Mitte eis Domine auxilium de ſancto;
℟ Et de Syon tuere eos.

℣ Domine exaudi orationem meam;
℟ Et clamor meus ad te veniat.
℣ Dominus vobiſcum;
℟ Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Prætende, quæſumus Domine, fidelibus tuis dexteram cœleſtis auxilij; vt te toto corde perquirant, &, quæ dignè poſtulant, conſequi mereantur; Per Dominum noſtrum &c.

Oremus.

Creator cœli & terræ, qui primos parentes noſtros, Adam & Euam, bona ſocietate copulâſti; bene ✠ dic, & ſancti ✠ fica hos adoleſcentulos; & ſemina in eis ſemen vitæ æternæ, fructum ventris; tibi placeant, te diligant, & à te Deo viuo & vero in perpetuum nunquàm recedant; Per Chriſtum Dominum noſtrum &c.

Tum illud Ioannis Euangelium legat:

Initium ſancti Euangelij ſecundùm Ioannem. &c.
In principio erat verbum, &c.

Poſteà hanc benedictionem ſpōſo ac ſponſæ precetur:

Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus ſanctus, trinus, & vnus vobiſcum ſit, & ipſe coniungat vos, impleatque benedictionem ſuam in vobis. Creſcite & multiplicamini, & replete terram. Et benedictio Dei omnipotentis, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, deſcendat ſuper vos, & maneat ſemper. Amen.

Vel iſtam:

Cœleſti benedictione, quæſumus omnipotens Deus, hūc famulum tuum, & hanc famulam tuam, bene ✠ di-

ćas; & corda eorum tui sancti Spiritus mundes infusione, & sanitate, & prosperitate donata, solita tuę pietatis clementia, rorem eis tuæ misericordiæ infundas; & sicut Saram & Thobiam, Angelo pacis comitante & instruente, protegebas, ita & istos à mortifera dæmonum infestatione custodias; & ab eis omnes mentis & corporis aduersitates repellas; vt munimine tuo protecti, & te donante, deuotè laudent nomen tuum sanctum, quod est benedictum in secula seculorum. Amen.

Benedictio Dei Pa ✠ tris omnipotẽtis, & Fi ✠ lij, & Spiritus ✠ sancti descẽdat sup vos, & maneat semper. Amen.

Postremò aqua benedicta eos aspergat.

ALIA BREVIOR SPONSVM ac sponsam benedicendi ratio; qua quis qualibet hora vti potest, cùm nuptiis iam factis, ad templum pro benedictione redeunt.

CAPVT SECVNDVM.

CVM sponsus ac sponsa ad templum peruenerint, Sacerdos ad fores accedens, dicat: In nomine Pa ✠ tris & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

℣ Adiutorium nostrum in nomine Domini;

℟ Qui fecit cœlum & terram.

Psal. 127. Beati omnes qui timent Dominum, &c. Gloria Patri &c.

Vel alius, vt fuerit loci consuetudo.

Kyrie eleison, Christe eleyson, Kyrie eleison.

Pater noster &c.

Quod

Quod ab omnibus astantibus summissiùs recitetur; deinde altiùs Sacerdos illa verba pronunciet:

℣ Et ne nos inducas in tentationem;
℟ Sed libera nos à malo.
℣ Saluos fac fideles tuos;
℟ Deus meus sperantes in te.
℣ Mitte eis Domine auxilium de sancto;
℟ Et de Syon tuere eos.
℣ Domine exaudi orationem meam;
℟ Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Omnipotens sempiternus Deus, qui primos parētes nostros, Adam & Euam, sua virtute creauit, & in societate sancta copulauit; ipse corda & corpora vestra sancti ✠ ficet, & bene ✠ dicat, atque in societate & amore veræ dilectionis coniungat: Per Dominum &c.

Oremus.

Bene ✠ dicat vos Deus, & custo ✠ diat vos Iesus Christus, ostendatque faciem suam in vobis, & misereatur vestri; conuertat Dominus vultum suum ad vos; & det vobis pacem, & sanitatem corporis & animæ; impleat vos Christus omni benedictione spirituali, in remissionem peccatorum; vt habeatis vitam æternam, & viuatis in secula seculorum. Amen.

Bene ✠ dictio Dei omnipotentis Patris ✠ & Filij & Spiritus sancti descendat super vos, & maneat semper. Amen.

Tum Sa-

Tum Sacerdos vtrumque aqua benedicta aſpergat.

Poſtremò templum ingrediantur ad audiendam Miſſam; ſi tempus fuerit ſacri faciendi.

Poſt ſacrum, ſi factum ſit, proximè ante benedictionem; ſin minùs, poſtquàm ad altare peruenerint, Sacerdos ad populũ aduerſam corporis partem cõuertat, ac ſequentem precationem pro ſponſo ac ſponſa dicat:

Oremus.

Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob, ſit vobiſcum; & ipſe adimpleat bene ✠ dictionẽ ſuam in vobis; & videatis filios filiorum veſtrorum, vſque ad tertiam & quartam generationem; & poſteà vitam æternam habeatis ſine fine; adiuuante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum Patre, & Spiritu ſancto viuit & regnat Deus, per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Tum denique benedictionem omnibus more ſolito impertiatur, & ſponſum, ac ſponſam, aqua benedicta aſpergat; Euãgeliumq́; D. Ioannis recitet, inquiens:

℣ Dominus vobiſcum;

℟ Et cum ſpiritu tuo.

℣ Initium ſancti Euangelij ſecundùm Ioannem;

 ℟ Gloria

℟ Gloria tibi Domine.

Ioan. 1. In principio erat verbum, &c.

DE PVRIFICATIONE PVERPERÆ

PROOEMIVM.

Leuit 12. Ibid. 15. LICET LEX MOSAICA præceperit, vt mulier, si masculũ peperisset, 40. si verò fœminam, 80. diebus post partum à templi cessaret abstineretque ingressu; quia tamen lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est, ac legis vmbra euanuit, Euangelijq; veritas illuxit; si mulieres post prolem emissam, acturæ gratias Ecclesiam intrare voluerint, nulla proinde peccati mole grauantur, nec Ecclesiarum est eis aditus denegandus; ne pœna illis conuerti videatur in culpam. Si tamen ex veneratione voluerint aliquandiu abstinere, deuotionem earum non credimus improbandam. Cùm verò ad Ecclesiam se contulerint gratias Deo acturæ, antequàm ingrediantur, iuxta laudabilem huius Prouinciæ consuetudinem, benedictionem primùm præ foribus Ecclesiæ accipiant à Sacerdote, qui eas modo infrascripto benedicet.

Ex dist. 5. De naturali iure &c. c. 1. 2 3. Et de purifica. &c. cap. vnico.

Loco v. s.

MODVS BENEDICENDI MVLIEREM, cùm post partum templum primò est ingressura.

CA-

CAPVT PRIMVM.

SACERDOS ſuperpelliceo lineo, ac ſtola indutus, confeſſionem pro foribus templi recitet, mulieremque aqua aſpergat benedicta, ac dicat:

Ant. Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui.

Pſ. Magnus Dominus &c. Gloria Patri, &c. Vel alius ex more Diœceſis.

Deinde repetatur Antiphona: Suſcepimus &c.
Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon.
Pater noſter, &c.

℣ Et ne nos inducas in tentationem.
℟ Sed libera nos à malo.
℣ Saluam fac ancillam tuam;
℟ Deus meus ſperantem in te.
℣ Mitte ei Domine auxilium de ſancto.
℟ Et de Syon tuere eam.
℣ Nihil proficiat inimicus in ea;
℟ Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣ Eſto ei Domine turris fortitudinis;
℟ A facie inimici.
℣ Domine exaudi orationem meam.
℟ Et clamor meus ad te veniat.
℣ Dominus vobiſcum;
℟ Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Deus, qui per Moyſen famulum tuum Iſraeliticæ plebi mandâſti; vt mulier, quæ filium peperiſſet, quadraginta diebus ab ingreſſu templi ſequeſtraretur; quæſumus vt hanc famulam tuam ab omni inquinamento peccati emundare digneris; quate-

nus mente & corpore emundata, in ſinum matris Eccleſiæ valeat penetrare; & tibi pro ſuis delictis acceptabile munus deferre; Per Chriſtum &c.

Deinde, extrema ſtolæ parte in manibus mulieris data, templum ingrediens cum ipſa dicat:

Ingredere in domum Domini; & adora filium ſanctæ Mariæ virginis, qui tibi tribuit fœcunditatem & prolem.

Poſteà ſuper eam ad altare deductam legat illud Euangelium: *In principio &c.* aut: *Miſſus eſt Angelus &c.* aut: *Cùm natus eſſet &c.* aut: *Poſtquàm impleti ſunt dies purgationis, &c.*

Tum hanc precationem recitet:

Deus, qui ſalutis æternæ &c.

Poſtremò eam ita benedicat:

Benedictio Dei omnipotentis, Pa ✠ tris, & Fi ✠ lij, & Spiritus ✠ ſancti deſcendat ſuper te, & maneat ſemper. Amen.

ALIA RATIO MVLIERIS poſt partum benedicendæ.

CAPVT SECVNDVM.

Cùm ad fores templi venerit:

℣ Adiutorium noſtrum in nomine Domini;

℟ Qui

℟ Qui fecit cœlum & terram.
℣ Dominus vobiſcum;
℟ Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Aufer Domine à famula tua cunctas iniquitates ſuas, vt ad ſancta Sanctorum puris mereatur mentibus introire; Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Pſal. 112. Laudate pueri Dominum; laudate nomen Dñi. &c.
Gloria Patri &c.

Vel:

Pſal. 121. Leuaui oculos meos in montes; vnde veniet auxilium mihi. &c. Gloria Patri &c.
Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon.
Pater noſter &c.

℣ Et ne nos inducas in tentationem.
℟ Sed libera nos à malo.
℣ Saluam fac ancillam tuam;
℟ Deus meus ſperantem in te.
℣ Domine exaudi orationem meam;
℟ Et clamor meus ad te veniat.
℣ Dominus vobiſcum;
℟ Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, maieſtatem tuam ſuppliciter exoramus; vt, ſicut vnigenitus Filius tuus cum noſtræ carnis ſubſtantia in templum eſt præſentatus; ita facias hanc famulam tuam purificata tibi mente præſentari; Per Chriſtum Dominum noſtrum. &c.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui per Moſem famulum tuum Iſraëliticæ plebi mandâſti; vt mulier, quæ

 parc-

pareret filium,quadraginta diebus se ab ingressu Ecclesiæ sequestraret;benedicere dignare hanc famulam tuam,post partum tibi Domino Deo nostro ad templum sanctum tuum purificandi gratia præsentatam; & concede, vt,sicut eam per nostrum officium, in templum istud introducimus terrenum; sic post finem vitæ præsentis,cœlestem introitum habere mereatur; Per Christum &c.

Hic aspergat eam aqua benedicta, atque in templum introducat, inquiens:

Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum,ex hoc nunc,& vsque in seculum. Amen.

Tum pro altari legat Euangelium Ioannis:

In principio erat verbum,&c.eodem modo vt suprà.

Postremò librum ori osculandum admoueat, ac dicat:

℣ Sit nomen Domini benedictum;
℟ Ex hoc nunc & vsque in seculum.
℣ Adiutorium nostrum in nomine Domini;
℟ Qui fecit cœlum & terram.

Oremus.

Benedictio Dei omnipotentis, Pa ✠ tris, & Fi ✠ lij, & Spiritus ✠ sancti, descendat super te,& maneat semper. Amen.

DE IE-

DE IEIVNIIS
ET DIEBVS FESTIS promulgandis
PROOEMIVM.

ABSOLVTIS iis omnibus, quæ ad Sacramentorum administrationem vſumque pertinent, nihil aliud modò reſtare videtur, quàm vt etiam aliquid de ieiuniis & diebus feſtis breuiter dicamus, ad quorum obſeruationem cùm veteris, ac noui teſtamenti monumentis documentiſque admonemur, tum Salutatoris noſtri Domini Ieſu Chriſti exemplo, & ſanctæ Matris Eccleſiæ præcepto excitamur, & obſtringimur. Quare Paſtorum, illorumq; vices gerentium, ſiue Concionatorum partes poſtulant, vt diebus Dominicis in populi frequentia ieiuniorum ac feſtiuitatum dies per hebdomadam occurrentes de præcepto Eccleſiæ, vel etiam de conſuetudine obſeruari ſolitos indicant, quod vt diligenter efficiant, illis in virtute ſanctæ obedientiæ mandamus. Poterunt etiam Chriſti fideles ſubinde commoneſieri, cuiq; integrum eſſe, ſi velit ſpiritualis deuotionis cauſa, etiam aliis diebus ieiunare; ita tamen, vt ab Eccleſia imperatos, vel de conſuetudine introductos non prætermittat.

DE IEIVNII OBSERuatione,

CA-

CAPVT PRIMVM.

QVONIAM parùm prodesset, audire vocem ieiunij, & quo tempore ieiunandum sit nouisse, nisi etiam constet, quid sit ieiunium, & qua ratione, item quibus diebus ieiunandum, necessarium fore duximus, aliquem de ieiunio ædere tractatum, quem, ne præsens opusculum in immensum excresceret, peculiari volumine, cum alio tractatu de dierum festorum ratione, licet simus coniuncturi, hîc tamen maximè necessaria attingere interim voluimus, vt quisque Christi fidelium, præsertim cui animarum cura commissa est, breuiter de ieiunio intelligat, quæ ipsum scire necesse est. Ieiunium autem est, non (vt quidam perperam sentiunt) parcè viuere, licet hoc ipsum sit laudabile, sed, vt ab Ecclesia Catholica traditur & obseruatur, à carnibus, aliisque cibis vetitis tempore prohibito abstinere, semelque tantùm in die vesci, hoc est, duntaxat prandium sumere circiter meridiem, sed non antè, & vesperi cœnam intermittere, cuius loco haustu ac bolo panis, aut aliqua re alia simili, si quis indiget, sit contentus, exceptis infirmis, adolescentibus, qui vigesimum primum ætatis annum non attigerunt, senibus, iustè peregrinantibus, vel laborantibus, & id genus aliis, quibus etiam vesperi aliquid amplius pro cuiusque necessitate ac conscientia conceditur, præter carnes tamen, & alios cibos vetitos, nisi infirmitas de vtriusque Medici consilio aliter exposceret. Sed vt omittamus eos, qui ex peculiari instituto aut voto (vt sunt Carthusiani, diuersi religiosi, & quicunque alij, qui se voto quomodolibet obstrinxerunt) à carnibus omnino abstinere tenentur, de communi

Quid sit ieiunium de precepto Ecclesiæ.

Quando sumendum sit prandium diebus ieiunij.

Qui excusandi à ieiunio, & quomodo.

muni fidelium regula loquẽdo, licet feriis sextis & diebus Sabbathinis carnium esus tantummodò interdictus sit (excepto à communi hac regula Natali Domini, quo siue feria sexta siue die sabbathi incidat, vsus carnium perinde ac aliis diebus permittitur) aliis tamen ieiunij diebus, quorũ Catalogus infrà habetur, prohibẽtur carnes, oua & lacticinia (nomine autẽ lacticiniorum, butyrum, lac, & caseum intelligimus) quanquam in partibus Germaniæ, vbi oliuæ non extant, propter olei penuriam & caritatem lac & butyrum ex vetusta & tolerata consuetudine in vsu sint; imò etiam non tam ex eadem consuetudine, quàm (vt quidam volunt) ex indulto Apostolico ob piscium, aliarumque rerum penuriam, caseus etiam & oua alicubi in Quadragesima vsque ad Dominicam Passionis. Quo sanè priuilegio siue potiùs tolerata consuetudine non pauci abutentes vsque ad Dominicam Palmarum, imò etiam aliqui vsque ad finem Quadragesimæ, vel saltẽ ad feriam quartam vel quintam hebdomadæ sanctæ vesci ouis non verentur. Qui abusus in sacri temporis irreuerentiam vergens, vt abrogetur, quisque Episcopus nostræ Prouinciæ diligenter curet, vt per Parochos & Concionatores Diœcesani omnes instituantur, quid in his rectè agere oporteat; circa quæ cuiusuis Episcopatus priuilegia inspicienda & attendẽda erunt, & vbi caseus & oua aliis temporibus permissa sunt, vt à prædicta saltem Dominica Passionis inclusiuè iisdem abstineant. Idem etiam fiat cum butyro & lacte in hebdomada sancta, præsertim ab iis, qui oleum emere possunt.

Quidam religiosi & alij habentes votum perpetuò abstinendi à carnibus, tenentur etiã die Natali &c.

Quæ edulia tempore ieiunij prohibentur.

Quæ nonnullis in locis conceduntur tempore ieiuniorum.

Abusus comedendi oua vltra tempus permissum abrogandus.

QVIBVS DIEBVS IEIVNIA IN Prouincia nostra Salisburgensi cum præcepto imperentur.

CAPVT SECVNDVM.

OMNES dies Quadragesimæ (exceptis Dominicis, quod ad obseruantiam vnius comestionis pertinet).

Feriæ quarta, sexta, & Sabbathum quatuor temporum, quæ semper veniunt post Dominicam Inuocauit, post dies festos Pentecostes, post exaltationem sanctæ crucis, & post diem D. Luciæ. V. & M.

Vigiliæ:
- Natalis Domini.
- Matthiæ Apostoli.
- Pentecostes.
- Natiuitatis D. Ioannis Baptistæ.
- Principum Apostolorum, Petri & Pauli.
- Iacobi Apostoli.
- Laurentij.
- Assumptionis B. Mariæ virginis.
- Bartholomæi Apostoli.
- Matthæi Apostoli.
- Apostolorum, Simonis & Iudæ.
- Solennitatis omnium Sanctorum.
- Andreæ Apostoli.
- Thomæ Apostoli.

Feria sexta, ac dies Sabbathi per totum annum, quod ad abstinentiam à carnibus spectat.

QVIBVS

QVIBVS DIEBVS IEIVNIA IN eadem Prouincia nostra Salisburgensi ex antiqua consuetudine obseruari debeant.

CAPVT TERTIVM.

VIGILIA purificationis B. Mariæ virginis.
Dies maiorum letaniarum in anniuersariis D. Marci.
Tres rogationum dies, hoc est, feriis, secunda, tertia, ac quarta ante Domini ascensionem.
Vigilia Natiuitatis B. Mariæ virginis.
Vigilia D. Rudberti Apostoli nostri.

In quibus, si qui ex toto ieiunare non possunt, saltem à carnibus abstinere debēt, nisi inualetudo secus postulet.

DE CELEBRATIONE, ET sanctificatione dierum festorum,

CAPVT QVARTVM.

QVONIAM feriæ & dies festi propterea sunt maximè instituti, vt homines à terrenis operibus vacent, & à rebus mundanis abstineant, ác diuino cultui solùm intendant, & Sanctorum, quorum memoriæ recoluntur, exempla mente tractare, atque imitari studeant; præcipimus, & mandamus omnibus & singulis, vt hos dies festos persanctè, & debita cum veneratione obseruent, ab omni illicito opere abstineant, atq; templa ad verbum Dei, & sacra audienda, visitent. Proinde

Ante peracta sacra & conciones, tabernæ & ludus prohibeantur.

ante tempus Missæ, ac cōcionis, tabernæ, & œnopolia nemini pateant, choreæ publicæ, ac comessationes ne fiant, nec alia huiusmodi opera, quæ Christianos animos minùs decent. Et quia nonnulli sibi vsum quasi fecerunt, vt non modò totam concionem non audiant, sed neque integro Missæ sactificio intersint, veteres Canones sacros in memoriam reuocantes statuimus & iubemus, vt in templis perseuerent, quousquę scripturas Apostolorum, & Euangelium audiant, ac Missa tota peragatur, cui ad finem vsque interesse quilibet fidelis Christianus sub præcepto tenetur. Si qui secus fecerint, per Parochos & Concionatores admoneantur, vt se cæteris Ecclesiæ filiis obedientibus cōforment, & nisi paruerint, grauissimè puniantur, vt cultus diuini, & sanctionum Ecclesiasticarum contemptores.

Sacra ad finem vsq; audienda.

DIES FESTI TOTIVS ANNI, *qui vniuersim sub præcepto obseruandi sunt.*

CAPVT QVINTVM.

OMNIVM dierum Dominicalium.
Natiuitatis Domini nostri Iesu Christi.
Sancti Stephani Prothomartyris.
Sancti Ioannis Apostoli, & Euangelistæ.
Circumcisionis Domini.
Epiphaniæ Domini.
Purificationis beatæ Mariæ virginis.
Sancti Mathiæ Apostoli.
Annunciationis Dominicæ.
Paschæ, cum duobus diebus sequentibus.
SS. Philippi & Iacobi Apostolorum.

Inuen-

Inuentionis sanctæ crucis.
Ascensionis Domini.
Pentecostes cum duobus sequentibus.
Corporis Christi.
Sancti Ioannis Baptistæ.
SS. Petri & Pauli Apostolorum.
Sancti Iacobi Apostoli.
Sancti Laurentij Martyris.
Assumptionis beatæ Mariæ virginis.
Sancti Bartholomæi Apostoli.
Natiuitatis beatæ Mariæ virginis.
Sancti Matthæi Apostoli, & Euangelistæ.
SS. Simonis & Iudæ Apostolorum.
Omnium Sanctorum.
Sancti Andreæ Apostoli.
Sancti Thomæ Apostoli.

DIES FESTI, QVI EX CONsuetudine Ecclesiæ Salisburgensis, ac totius ferè Prouinciæ celebrari debent.

CAPVT SEXTVM.

SS. INNOCENTIVM.
S. Vincentij Martyris.
Conuersionis sancti Pauli Apostoli.
Depositionis S. Rudperti.
Cœnæ Domini.
Feriæ quartæ post festum Paschæ.
Festi clauorum, quod vsque ad meridiẽ in foro tantùm obseruatur.
S. Georgij Martyris.

Feriæ quartæ poſt feſtum Pentecoſtes.

S. Vdalrici Epiſcopi, quod vſque ad meridiem tantùm in foro obſeruatur.

S. Margarethæ virginis,& Martyris, quod vſque ad meridiem tantùm in foro obſeruatur.

S. Mariæ Magdalenæ.

S. Auguſtini,quod vſque ad meridiem tantùm in foro celebratur.

Translationis S. Rudperti.

Dedicationis Metropolitanæ Eccleſiæ Salisburgen.

Translationis S. Virgilij.

S.Michaëlis Archangeli.

S. Martini Epiſcopi & Patroni.

S.Catherinæ Virg.& Martyris.

Depoſitionis S. Virgilij, quod vſque ad meridiem in foro tantùm celebratur.

S.Nicolai Epiſcopi.

Conceptionis, ſeu ſanctificationis B. Virginis Mariæ, quod vsq; ad meridiem in foro tantùm celebratur.

His demum adiiciuntur dies aliorum Sanctorum,Patronorum, & dedicationum, Eccleſiarum Cathedralium, Collegiatarum,Parochialium & quarumcunq; aliarum, qui peculiariter veteri more in Eccleſiis obſeruantur.

Atq; hæc ſunt, quæ in gratiam ampliſſimæ Salisburgenſis Prouinciæ hoc libro tradenda iudicauimus. Quæ omnia & ſingula ſanctæ Sedis

dis

dis Apostolicæ, cuius est de vera, sana & syncera doctrina in Ecclesia iudicare ac disponere, sentẽtiæ, iudicio, ac censuræ planè submissa & subiecta esse volumus.

FINIS.

Librum hunc, tanquàm Catholicæ fidei consentaneum atque etiam doctum, dignum esse censeo, qui typis excusus euulgetur,

Gregorius de Valentia Societ. IESV, Theol. D. & pro tempore eiusdem facult. Decanus Ingolstadij.

Ad Lectorem.

Ne erratis, quæ in opusculi huius lectione fortè occurrent, præpediaris amice lector, voluimus hic eadem adnotare, vt qua ratione singula emendãda sunt, in promptu habeas; quòd si alia quoq; inter legendũ siue in indice siue alibi tibi occurrant, quæ hic annotata non fuerint, tuum erit errandi facilitati, quæ typis colligendis adiuncta est, tribuere; & in tuam aliorumq; si placet vtilitatem corrigere.

Errata.

In pag 1. in mar. pro multa plura, lege multò plura, pag. 11 lin. 19 pro sublata, sublatę, pag. 12. lin. [illegible] pro [illegible]onunter, ponuntur, pag. 21. lin. 16. pro possent, posset, pag. 23. in mar. pro nostrum, notum, pag. 40. lin. 19. pro extremum, extremam, pag. 49 lin. 19. pro uanescunt, enanescũt, pag. 58. lin. 22. pro oblectatione, oblectationẽ, pag. 60. in mar. pro tantumuis, tantum uir, pag. 65. lin. 42. pro pręstaturum, præstiturũ, pag. 85. lin. 2 pro Cõfirmatiñem, Confirmationẽ, pag. eadem lin 21. pro satellibus, satellitibus, pag. 86. lin. 15. pro sansti, sancti, pag. 82. in mar. pro cõfirmari potest, cõfirmari non potest, pag. 88. lin. 8 pro excitisset, extitisset, pag. 90. lin. vlt. pro largã, larga, pag. 92. lin. 12. pro qui, quod, pag. 96. lin 5. pro sanctè, sancti, pag. 101 lin. vlt. pro agitatio, cogitatio, pag. 104. lin 31. pro Accipe, Accipite, pag. 106. lin. 18 pro hac, hęc, pag. 111 lin. 25. pro additum, adirum, pag 128. lin 27, pro clare, celare, pag. 136. lin. 18. pro quatenus, quantus, pag. 156. lin. 4. pro volunt, nolunt, pag. 160. in mar. pro oulla, nulla, pag 202. lin. 1. pro Dea bsolutione, De absolutione, pag. 211. lin. 13. pro currârit, curârit, pag. 219. lin. 19. pro portio, potio, pag. 227. lin 24 pro quodã, quadã, pag. 228 lin. vlt. pro quo, quòd, pag. 230 lin. 11. pro idolatriã, idololatriam, pag 288. lin. 17. pro exprobauit, exprobrauit, pag. 321 lin. 20. pro labris, labiis, & ibidem, lin 21. pro vt in tribus, vt tribus, pag. 323. lin. 24. pro eueuiat, eueniat, pag. 335. lin. 7. pro matris commissus, matris tibi cõmissus, pag. 353. lin. 17. pro si, sic, pag 382. lin. 9. pro Eipscopis, Episcopis, pag. 383. lin. 7. pro ptaena, patena, pag. 398. lin. 15. pro suscipientsi, suscipientis, pag 421. pro Mosen, Moysen.